Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Lorenz Marquard

Otium Herbipolense, Sive Liber Primus Jurisprudentiæ : Potissimum Ex Jure Publico Romano-Germanico, Civili Privato, Moribus hodiernis, ac Statutis Ducatûs Franconici per horas otiosas methodicè concinnatus

Herbipoli: Typis Martini Francisci Hertz, 1704

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866231498

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

K-f-585
K. f. — 585.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866231498/phys_0002
DFG

OTIUM HERBIPOLENSE,

Sive

Liber Primus

JURIS PRUDENTIÆ

Potissimùm

Ex

JURE PUBLICO

Romano-Germanico, Civili privato, Moribus hodiernis, ac Statutis Ducatûs Franconici per horas otiosas methodicè concinnatus

A

LAURENTIO MARQUARDO FRANCONE.

Herbipoli, Typis Martini Francisci Hertz, Anno 1704.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI,
Ac
DOMINO,
D. JOANNI
PHILIPPO,
EPISCOPO HER-
BIPOLENSI,
Franciæ Orientalis
DUCI,
PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn866231498/phys_0006
DFG

REVERENDISSIMIS ac PERILLUSTRIBUS D. D.

DOMINO, DOMINO

CHRISTOPHORO HENRICO L. B. de Greiffenclau à Vollraths,

ECCLESIÆ METROPOLITANÆ Trevirensis & Cathedralis Herbipolensis CANONICO Capitulari, & ad S. Burckardum Herbipoli PRÆPOSITO.

DOMINO, DOMINO

FRANCISCO FRIDERICO L. B. de Greiffenclau à Vollraths,

CANONICO CAPITULARI Ecclesiæ Imperialis Bambergensis & ad S. Burckardum Herbipoli.

DOMINO, DOMINO

JOANNI ERWINO L. B. de Greiffenclau à Vollraths,

VICE-DOMINO RINGAVIÆ

Dominis meis perquàm Gratiosis,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866231498/phys_0007
DFG

REVERENDISSIME
ET
CELSISSIME
PRINCEPS,
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME.

Reverendissimi, Perillustres & perquàm Gratiosi Domini Domini



Accidit ad pedes Tuos REVERENDISSIME & CELSISSIME PRINCEPS venerabunda, ac verecunda simul Juris prudentia mea, quam CELSITU-

SITUDINIS TUÆ Reverentia procul aliàs retraxit, fiducia patrocinij hodie revocavit. Patriæ enim PATER es, qui neminem etiam infimum Tuo gremio excludis, neminem Tuo gratiæ influxu prætergrederis, Solis instar DIVES in omnes. Vel ideo enim supremum Franconiæ nostræ Solium inscendisti, non ut aureos gratiæ rores in sublime TECUM ascisceres, ut meridies solet, sed contrà in populum munificentissimâ manu dispergas, & profusis quaquà versum radijs subjectum Patriæ solum locupletes, in quo nil tam obscurum subnascitur, quod clemētissimo Gratiæ TUÆ affluxu, lactante & animante affectu, in illustre Patriæ decus non assurgat. Fretus itaque Tuâ & totius Familiæ Gratiâ trepido quidem, sed reverenti pede sub Regiam Solis, Familiæque totius formosissimum Cœlum adrepo, ac in sinum Splendoris Tui, ac Perillustris Stirpis Nominis obscura hæc volumina defero, ut à nativo Jllius lumine suæ lucem

obscuritati attrahant. Ab eo enim tempore, quo in arenam hanc Juridicam primùm ingressus sum, jam tacito cor æstuabat desiderio, Theses meas GRATIOSISSIMO Familiæ Tuæ NOMINI inscribere, ut quod à se habere nequeunt, ab EODEM pretium derivent. Hinc & primum statim, quem ante quinquennium de Legibus emisi LIBELLUM, Familiæ Tuæ perinde ac assistentibus Soli Syderibus dedicavi, ut velut umbra copiosam inde lucem mutuaretur. Ultimum verò Tibi ac TOTI iterum Familiæ collustrandum substerno. Illabere igitur REVERENDISSIME & CELSISSIME PRINCEPS gratiosis oculis in obscuros hos animi fœtus, quos ad semiconspicuos ac propè extinctos Ingenij lychnos concepi; Depluant Perillustris Familiæ Sydera in subjectas paginas benevolentiæ Suæ ignes, ut, quæ in tenebris hactenus delituit Jurisprudentia mea, tandem serenior, formosiorque prodeat, ac lætam mihi deferat lauream.

am. Nova certè vitâ mihi inſpirabitur, ſi, ut alios, ita & me Principalis Clementiæ ac Familiæ lætificet Gratia, ut ſub terreſtri Cœlo hoc, mutuatis aliunde radijs, coruſcare liceat. Sic exoptatam per integrum omninò decennium vel in ſolo Jurisprudentiæ ſtudio, & ſtadio adhibitorum laborum metam feliciſſimè attigero.

Reverendiſſimæ & Celſiſſimæ Dominationis Tuæ

Reverendiſſimarum & Perilluſtrium Dominationum veſtrarum,

Subditorum & Servorum infimus

LAURENTIUS MARQUARD.

Syllabus Authorum in hoc opusculo potissimùm adhibitorum.

EX THEOLOGIS.

CLarissimus D. D. Babenstuber de Jure & Justitia.
Reverendissimus P. Thyrsus Conzalez de Usu opinionum probabilium.
P. Gobat in Theologia experimentali.
P. Haunold de Jure & Justitia.
P. Illung in Theologia practica universa.
P. Laymann in Theologia morali.
P. Lessius de Jure & Justitia.
Magnificus D. D. Mezger de Legibus.
Magnificus D. D. Petschacher de Legibus.
P. Palao in Theologia morali.
P. Reiffenstuel in Theologia morali.
P. Rosmer de Jure & Justitia.
P. Sanchez de matrimonio.
Reverendissimus D. D. Schrenck de Jure & Justitia.
P. Suarez de Legibus.

EX CANONISTIS.

Barbosa ad Decretales.

Magni-

Magnificus D. D. Philippus Braun in Principiis Juris Canonici.

Covarruvias in resolutionibns variarum Quæstionum.

Clarissimus D. D. Ebbert meus quondam in celeberrima Universitate Salisburgensi Juris Canonici Professor omnibus nominibus mihi venerandus.

In bellissimo Tractatu de bello,

Et

In Quæstionibus selectis ex universo Jure part. 1. & 2.

D. D. Engel in Collegio Juris Canonici.

P. Gibalin in Scientia Juris Canonici.

Magnificus D. D. Konig meus pariter in prælaudata Universitate Salisburgensi quõdam Juris Ecclesiastici Professor famigeratissimus.

In Principiis Juris Canonici.

Reverendissimus D. D. Kimpfler de Consuetudine.

Pignatelli in Consultationibus Canonicis.

P. Pirrhing ad Decretales.

EX PUBLICISTIS.

L. B. ab Andler, quondam Ducalis hujusce Universitatis Professor, ac postea per multos omninò annos Cæsareæ Majestatis Consiliarius Aulicus meritissimus

In Jurisprudentia quà publica quà privata.

Arumæus ad Auream Bullam.
Bechmann ad Auream Bullam.
Becker in Synopsi Juris publici.
Bœcler in Notitia S. R. I.
Besold in Synopsi politices.
Bocerus de Regalibus.
Brunnemann in Jurisprudentia publica.
Buckisch ad Instrumentum Pacis.
Buxtorff ad Auream Bullam.
Cæsarinus Furstenerius de Supremata Germanorum Principum
Carpzovius de Lege Regia Germanorum.
Cocceius in Juris publicis prudentia.
Conring de Capitulatione Cæsarea.
De Ducibus & Comitibus Imperij.
De Septemviris Imperij.
Finckelthaus de Venia ætatis.
Gerhard de supremis Imperij Judicijs.
Author der Grundvest deß H. R. Reichs.
Hermes in Fasciculo Juris publici.
Hippolitus à lapide de Ratione Statûs Imperij Romano-Germanici.
Ludolphus Hugo de Statu Regionum Germanicarum.
Magnificus D. D. Kieffer ad Jus publicum.
De S. R. I. Electorum Origine & potestate.
De Domo Habspurgico-Austriacâ.

Knip-

Knipschild de Fideicommissis Personarum nobilium.
Kulpis in Commentario ad Monzambano.
In Exercitationibus de Imperatore, Rege Rom. & Vicarijs Imperij.
Lampadius de Republica Romano-Germanicâ.
Lembken de Jure Indigenatûs.
Lincken de Matrimonio ad Morganaticam sive Lege salica contractum.
Lymnæus ad Auream Bullam.
Ad Capitulationem Cæsaream.
Ad Jus publicum.
Mauritius de Libris Juris communis.
In Notis ad Capitulationem Leopoldinâ
De Principiis Juris publici.
Du May L' Estat de L' Empire.
Severinus de Monzambano de Statu Imperii Germanici.
Mulderen in Capitulatione Harmonica.
Mulz in Repræsentatione Majestatis.
Myler ab Ehrenbach in Ætologia Ordinum Imperij.
In Archologia.
In Gamologia.
In Hyparchologia.
De Principibus & Statibus Imperij.
Naurath in Hypotyposi Subditorum.
Oldenburger in Lymnæo enucleato.
Paurmeister de Jurisdictione Imperij Germanici.

Pfef-

Pfeffinger in Notis ad Vitriarium.
D. à Puhel de Tutelis Electorum, Principum, aliorumque Statuum Imperij.
Rachel in Otio Noviomagensi.
Reinking de Regimine sæculari & Ecclesiastico.
Rhetius in Institutionibus Juris publici.
Ringler de Tutelis Personarum Illustrium.
Scharschmidt ad Collegium Juris publici
Schubard de Austregis. (Schuzij
Schuz ad Collegium Juris publici.
Seckendorff in Teutschen Fürsten-Staat.
Sixtinus de Regalibus.
Elias Augustinus Stricklus de Matrimonio ex Ratione Status.
Ufenbach de Consilio Aulico Viennensi.
Vitriarius in Institutionibus Juris publici.
Unrath de Tutela Electorali.
Clarissimus D. D. Woller meus quondam in Archi-Episcopali Universitate Salisburgensi ad Jus publicum Romano-Germanicum & ad Statum Europæ modernum Professor celeberrimus.
In Quæstionibus tum Oeniponti, tum Salisburgi editis, ex universo Jure selectissimis.
Ziegler de Juribus Majestatis.

EX CIVILISTIS,

Bacchovius ad Institutiones ad Treutlerum.

Berli-

Berlichius in Conclusionibus practicis.
Besold in Thesauro practico.
Blumblacher de Tutelis.
Blumius in Processu Camerali.
Bonacossa de Famulis.
Clariss. D. D. Balthasar Braun in Jurisprudentia in genere & specie.
De Magistratibus.
De Tutelis.
D. D. Demeradt in Fasciculo differentiarum Juris communis & Franconici.
Eckold ad Digesta.
Franzkius in Commentario ad Pandectas.
Clarissimus D. D. Franz meus quondam in Archi-Episcopali Universitate Salisburgensi Institutionum Professor subtilissimus.
In Prodromo Justinianeo.
Gailius in Observationibus practicis.
De Arrestis Imperij.
Clarissimus D. D Gletle meus quondam in Archi-Episcopali Universitate Salisburgensi Pandectarum Professor profundissimus.
In Quæstionibus selectis ex universo Jure.
De Testamentis.
Gilcken de Præscriptionibus.
Harprecht ad Instituta.
Homborgius ad Instituta.
Hoppius ad Instituta.

Husas

Husanus de hominibus propriis.
Lauterbach ad ff.
De Legitimatione per matrimonium subsequens.
Simon Van Lewen in Censura forensi.
Theophilus Majer ad Instituta.
Melonius in Thesauro Civili, Feudali, & Criminali.
Muller in Jurisprudentia Elementari.
Mynsinger in Consilijs.
Paschalis de Viribus patriæ potestatis.
Perez ad ff. & C.
Pomeresch ad Instituta.
Rickius de Unione Prolium.
Rosenthal de Feudis.
D. D. Schambogen ad Instituta.
Schilter in Exercitationibus ad ff.
Schneidwin ad Instituta.
Schuz in Compendio Lauterbachiano.
Clarissimus D. D. Sommeting, meus quondã in Pandectis Professor observandissimus
In Introductione ad Jus Justinianeum.
In Semicenturia Controversiarum
Speidel in Speculo politico-juridico-historico-Philologicarum Quæstionum.
Stamm de Servitute personali.
Strickius in Examine Juris feudalis
In Usu moderno Pandectarum.
Struvius in Syntagmate Juris Civilis.
In Syntagmate Juris feudalis.

VVeh-

VVehner in Consiliis Franconicis.
In observationibus practicis
VVissenbach ad Digesta & Cod.
Zoesius ad Digesta &c. &c.

Elenchus Dissertationum.

Dissertatio præambula de Libris Juris. pag. 1
Dissertatio 1. de Justitia & Jure. pag. 52.
2. De Jure Naturali, Gentium & Civili. pag. 94.
3. De Statu Personarum intuitu Juris publici. pag. 184.
4. De Statu Personarum inspecto Jure Civili privato. pag. 228.
5. De Patria potestate. pag. 259.
6. De Matrimonio. pag. 276.
7. De Legitimatione. pag. 346.
8. De Adoptione. pag. 371.
9. De Unione Prolium. pag. 384.
10. De Tutela in Genere. pag. 400.
11. De Tutelis in Specie. pag. 463.
12. De Curatela. pag. 499.



Approbatio & Licentia D. Ordinarii.

CUm Tractatus hic Juris tum publici, tum privati Authore pererudito D. Laurentio Marquardo Jurium Candidato ingeniosè ac eruditè compositus ac intitulatus: *Otium Herbipolense sive Liber primus Jurisprudentiæ, potissimùm ex Jure publico Romano Germanico, Civili privato, moribus hodiernis, Statutisq; Ducatûs Franconici per horas otiosas methodicè concinnatus*, Judicio Admodum Reverendi & Nobilis Domini JOANNIS BERNARDI MAYER J. U. Doctoris, ac SS. Canonum Professoris, Insignis Collegiatæ Ecclesiæ in Haugis Canonici, Celsissimi ac Reverendissimi EPISCOPI & PRINCIPIS Herbipolensis in Spiritualibus Consiliarij, Sacellani Aulici primarij, ac Cæremoniarij, nil contra Fidem Orthodoxam, ac contra bonos mores in se contineat, imò omnibus Jurium amantibus perutilis sit futurus, nomine & authoritate altissimè fatæ SUÆ CELSITUDINIS datur facultas, ut lucis publicæ beneficio frui possit. Dat. Herbipoli 27. Januarij Anno 1704.

ADAMUS SALENTINUS BARTHOLOMÆI SS. Theologiæ Doctor, Prothonotarius Apostolicus, Insignis Collegiatæ Ecclesiæ in Novo Monasterio Decanus, Celsissimi D. Episcopi & Principis Herbipolensis in Spiritualibus Consiliarius, Fiscalis, & Librorum Censor.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866231498/phys_0020
DFG

Dissertatio præambula De LIBRIS JURIS.

CUm vix ullus vastum Juris itet sine prævia librorum juridicorum cognitione legitimè ingredi, nedum id inoffenso pede emetiri possit, in ipso operis introitu authenticos Juris libros recensere, ac de origine, compositione, eorumque authoritate nonnihil discurrere lubuit. Quia verò ex instituto nostro librorum alij sunt Juris Publici Romano-Germanici, alij Civilis privati, antè de illis, tanquam nobilioribus, postea de his disseremus.

SECTIO I.

De Libris Juris publici Romano-Germanici.

LIbri Juris publici Romano-Germanici sunt potissimùm: *Aurea Bulla*, *Recessus*

sus Imperij, Ordinatio Cameræ Imperialis, Ordinatio Consilij Aulici Viennensis, Pax prophana, Pax religiosa, Nemesis Carolina, Capitulatio Cæsarea, Instrumentum Pacis Westphalicæ. De his ordine.

§. I.

De Aurea Bulla.

Quær. I. *Aurea Bulla unde sic dicatur, & quid ea sit?*

R*Esp.* Aurea Bulla, Germanicè die güldene Bull / Gallicè la Bulle d' or, ab aureo eidem appenso sigillo (Bulla enim præter significationes alias etiam sigillum denotat, vide D. Thulemarium *de Bulla Aur. argent. plumb. &c. cap.* 1.) per synecdochen sic dicta est Buxtorff *ad Aur. Bull. conclus.* 1. Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. cap.* 3. *sect.* 2. *n.* 2. *& seqq.* definiturque, quod sit pragmatica sanctio de electione & coronatione Imperatoris, juribus Electorum, ac negotijs quibusdam alijs lata ac promulgata. Clarissimus D. D. Gletle *in dissertat. præamb. ad jurisprud. fundament.* §. 3. *n.* 3.

Quær.

Quær. II. *Quis Auream Bullam condiderit.*

R*Esp.* Carolus IV. Romanorum Imperator, ac Rex Bohemiæ, unà cum frequentissimo Imperij Senatu. *Aur. Bull. in proœm. & cap.* 12. §. 2. Lehemann *in Chronic. Spirens. lib.* 7. *cap.* 35. Arumæus *ad Aur. Bull. discurs.* 1. *th.* 7. Bechmann *ad Aur. Bull. Exercit.* 1. *n.* 73. du May *L' Estat de L' Empire part.* 2. *dialog.* 10. *pag.* 129.

Quær. III. *Ubi & quando Aurea Bulla fuerit promulgata?*

R*Esp* Capita 23. priora Norinbergæ, Cætera Metis, An. 1356. edita ac publicata fuerunt. Patet ex *proœm. Aur. Bull. ac Rubrica A. B. cap.* 24. Arumæus *ad A. B. dict. discurs.* 1. *th.* 9. Buxtorff *ad A. B. concl.* 4. Lymnæus *ad Rubric. cap.* 24. *A. B. obs.* 2. Bechmann *ad A. B. Ex.* 1. *n.* 70.

Quær. IV. *Quis Iuris hujus Bullati finis extiterit?*

R*Esp.* Ut controversiæ inter Electores, aliosque Imperij Proceres circa convocationem, electionem, & coronationem

 nem

nem Imperatoris, sedendi, votandique ordinem in Comitijs, alijsque conventibus publicis frequenter oriri solitæ (exempla refert Arumæus *ad A. B. d. disc. 1. th. 6.* Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. cap. 3. sect. 2. n. 27. & seqq.* Oldenburger *in Lymnæo enucleato lib. 1. cap. 9. §. 9.*) sopirentur. *A. B. in proœm. & cap. 3. §. 2. & cap. 7. §. 1.* Lehemann *in Chron. Spirens. lib. 7. cap. 35.*

Quær. V. *Cum variæ Iuris hujus Bullati extent editiones, tum Latinæ, tum Germanicæ, eæq; inter se dissimiles, mendosæ, ac defectuosæ, uti notavit post alios* Lymn. *ad A. B. obs. prælim. 3. n. 1.* Rachel *in Otio Noviomagensi cap. 9. pag. 41. & 42. quænam lectio erit præferenda?*

Resp. Tum ad exemplaria autographa latina, quorum unum Francofurti ad Mœnum in Curia, quam appellant den Römer/ ceu in loco electioni Cæsarum mancipato, sanctè asservatur, recurrendum, indeque controversiam decidendam. Lymnæus *tom. 1. Addit. ad lib. 1. Jur. publ. cap. 11. n. 90.* Rachel *dict. cap. 9. pag. 41.*

Quær.

Quær. VI. *Utrùm Aurea Bulla sit mutabilis?*

Resp. Affirmativè. Ita Strauchius *in dissert. exot. Jur. publ.* 4. *th.* 14. Oldenburger *in Lymn. enucl. lib.* 1. *cap.* 9. §. 13. & 14. Bechmann *ad A. B. Exerc.* 2. *n.* 20. du May *L' Estat de L' Empire part.* 2. *dialog* 10. *pag* 129. & 130. Probatur: Sanctio hæc ab Imperatoris, Procerumque Imperij consensu Esse suum accepit, per eorundem ergo contrariam voluntatem etiam rursus immutari potest. *Nihil enim tam naturale est, quàm unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est. l.* 35. *ff. de Reg. jur.* Id quod tantò faciliùs concedendum, quantò certius est, post tẽpora Caroli IV. vel expresso vel tacito saltem Archi-Principum ac reliquorum Ordinum Imperii consensu per contrariam observantiam vel consuetudinem à sanctione hac sæpiùs fuisse recessum. Vide omninò Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. cap.* 3. *sect.* 3. *n.* 7. & 8. Oldenburger *in Lymn. enucl. lib.* 1. *cap.* 9. §. 13.

§. II.

De Recessibus Imperii.

Quær. I. *Vnde sic dicantur & quid sint Recessus Imperii?*

Resp. Recessus Imperii Germanicè Reichs-Abschiede/ Reichs-Tags-Abschiede/ Reichs-Satzungen/ Reichs-Ordnungen/ inde sic dicti, vel quod Imperator & Status Imperii à Comitiis recessuri sub ipsum tractationis finem illos soleant decernere: vel Ideo, quod fiant cum quodam recessu animorum Imperatoris & Statuum: vel quod per eos à variis dissensionibus recedatur. Definiuntur, quòd sint Leges universales in Comitiis Imperii Germanici ab iis, qui jus ferendi habent, legitimè constitutæ, & promulgatæ. Mauritius *in dissert. de Recess. Imp. th. 6.*

Quær. II. *Quotuplices sint Recessus Imperii?*

Resp. Recessus Imperii dividuntur 1. à Mauritio *Dissert. de Recess. Imp. th.* 10. in Recessus Comitiorum universalium & particularium. Comitiorum universalium

um illos dicimus, qui ab omnibus ad generalia Comitia convocatis Imperii Statibus conficiuntur; Comitiorum particularium sunt ij, qui tantùm ab aliquibus Imperii Ordinibus, omnium tamen vicem sustinentibus, concipiuntur. Hujusmodi sunt Recessus, qui continent conclusa in Comitiis Deputatorum, Deputations-Tägen / ac sub nomine Abschiede der Deputations-Tägen in Recessibus Imperii leguntur. De his vide Wehnerum *in observat. pract.* Besoldum *in Thesauro pract.* Speidelium *in speculo historico-politico-juridico &c. Voce Deputations-Täg.* Lampadium *de Republ. Rom. Germ. part.* 3. *cap.* 8. *n.* 17. *& seq.*

Dividuntur 2. ab eodem Mauritio *th.* 13, in primarios & secundarios, Neben-Abschiede. Hi sunt, qui non æq; ac primarij certis ex causis eduntur in publicum, sed jubentur reponi ac reservari in Archivo Electoris Moguntini. Extat ejus exemplum *in Comitiis Ratisbonensibus in causa subsidii Turcici de Anno* 1541. §. Und nach dem 60. *ac Recess. Imp. de anno* 1559. ubi post recessum leguntur hæc verba: Diese hernach geschribene Articul, so durch die Rö-

mische Käyserl: Majestät / unseren allergnädigsten Herrn / mit Churfürsten / Fürsten / und Ständen deß H. Reichs / und der abwesenden Räthen / Bottschafften / und Gesanden / jetzo auf den Reichs-Tag allhie zu Augspurg abgehandelt / sollen bey der Mäyntzischen Cantzley verwahrlich behalten werden / dieweil sie in Abschied außgelassen worden. Hodie tamen extat in editione novissima, quæ prodiit Moguntiæ Anno 1692. pag. 694. cum hac inscriptione: Neben Abschied zu Augspurg durch die Käyserl. Majestät / Chur-Fürsten / Fürsten / und Stände verglichen. *Anno* 1559.

Quær. III. *Quænam sit materia Recessuum Imperii?*

Resp. Sunt causæ & negotia, de quibus disponunt Recessus Imperii. Disponunt autem potissimùm de servanda Pace religiosa & prophana, de Legibus & Ordinatione Judicij Cameralis, Administratione Justitiæ, de impositione collectarum, moderatione indictarum pensitationum, de monetis, de redintegratione matriculæ imperialis, & avulsis ab Imperio

rio

rio provinciis recuperandis. Vide Instr. Pac. *art.* 8. §. *gaudeant.* 2. *&* §. *habeantur autem.* 3. Wehner *in obser. pract. voce* Reichs-Tag. Paurmeister *de Jurisdict. Imper. Rom. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 20. Lymnæum *lib.* 9. *Jur. publ. cap.* 1. *n.* 158. *& seq.* Mauritium *de Receſs. Imp. th.* 21.

Quær. IV. *Cum variæ extent Receſſuum editiones, eæq; inter ſe diſſimiles, mutilæ, ac mendoſæ, ut præter alios obſervavit Mauritius de Receſs. Imp. th.* 36. *& ſeq. quid juris, ſi lectio alicujus in dubium vocetur:*

Reſp. Tum recurrendum eſſe ad exempla authentica, quorum duo ſolent confici. Unum infertur Archivo Imperij in die Reichs Cantzley / quod extat Moguntiæ ſub cuſtodia Electoris Moguntini tanquam Archi-Cancellarij Imperij: Alterum reponitur in Archivo Aulæ Imperatoris in die Reichs Hoff-Cantzley Beſoldus *in Theſauro pract. ſub voce* Reichs-Abſchied. Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Stat. Imp. cap.* 15. *n.* 27. Bechmann *ad Aur. Bull. Ex.* 8. *n.* 5.

§. III.

De Ordinatione Cameræ Imperialis.

Quær. I. *Quidnam sit Ordinatio Cameræ Imperialis.*

Resp. Est constitutio Imperij de Personis, Jurisdictione, & processu Cameræ peculiariter promulgata. Blumius *in proces. Cameral. tit. 2. n. 1.*

Quær. II. *Quænam sit Ordinationis hujus origo, ac quis progressus?*

Resp. Cœpit hæc Ordinatio unà cum Augusto hoc Tribunali sub gloriosissimo Imperatore Maximiliano I. Anno 1495. posteà aliquoties aucta, & tandem ex anterioribus perfectiùs collecta, atque in tres partes divisa fuit Anno 1555. Blumius *d. tit. 2. n. 4.* Vitriarius *in Instit. Jur. pub. lib. 4. cap. 6. n. 50. & 51.* ibique Pfeffinger *in annotat.* Ordinatione hâc sequenti tempore pro occasione & circumstantiis causarum multis in locis per Recessus imperii, deputationum, visitationumque, item per memorialia, consulta Cameræ, ac

ac communia decreta mutatâ, declaratâ & augmentatâ, cùm necessarium, & utile visum fuerit, ut hæc cuncta in unum componerentur, conceptum renovatæ Ordinationis Cameralis â Dominis Cameralibus in Comitiis Imperij de Anno 1613. Statibus Imperij ad confirmandum oblatum fuit, ac noviter à Blumio revisum, & ex recentioribus Recessibus Imperij, Memorialibus visitationum, ac Cameræ Consultis insigniter auctum, præsentiq; rerum Statui accomodatum, elementissimo Electoris Moguntini Consensu & privilegio typis exscriptũ fuit, quod licet vim sanctionis pragmaticæ nondum consecutum sit, tamen utilissimè interim confertur, usque dum prodeat alia nova, ab Imperatore & Statibus Imperij confirmata Ordinatio, cujus spem denuò fecit R. J. *de Anno* 1654. §. dãs *Anno* 1613. Begrieffenes *&c.* 134. Gerhard *in discurs. de Supremis Imper. Rom. Judicijs in præliminar. part.* 2. §. 6. *&* 7. Schweder *in Introduct. in Jus publ. part. special. sect.* 1. *cap.* 13. §. 14. Vitriarius *d. lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 51.

§. IV.

§. IV.

De Ordinatione Consilii Aulici Viennensis.

Quær. I. *Quid sit Ordinatio Consilij Aulici Viennensis?*

Resp. Ordinatio Consilii Aulici Viennensis die Käyserl. Hoffraths-Ordnung / est pragmatica sanctio, quâ Judicium Imperiale Aulicum instruitur, ac firmatur. D. D. Gletle in *dissert. præambul. ad Jurisprudent. fundament.* §. 3. *n.* 8.

Quær. II. *Quot Ordinationes Augusti hujus Dicasterij prodierint.*

Resp. Harum tres communiter Doctores numerant. Prima publicata fuit Authore Ferdinando I. An. 1559. Conring *de Republ. Germ. Dissertat. 6. th.* 100, Kulpis *ad Monzambano part.* 2. *cap.* 5. §. 21. Mauritius *de S. C. M. Iudicio Aulico th.* 19, Altera & in pleniori forma confecta est Authoritate Matthiæ, eaq; Statibus 1614. mense Augusto communicata, & anno statim sequenti 1615. mense Februario in conventu Norimbergensi auff den Correspondenz-

denz-Tag zu Nürnberg revisa, correcta, nec tamen usu recepta esse legitur apud Lymnæum *lib. 9. Jur. publ. cap. 4. n. 34.* Kulpisium *ad Monzamb cap. 5. §. 21.* Mauritium *d. th. 19.* Tertia denique Authore FERDINANDO III. evulgata fuit in Comitijs Ratisbonensibus an. 1654. Hanc ultimam tamen licèt Status recipere detrectârint, weilen sie Ihnen nit ordentlich communicirt / noch sie in ihren monitis darüber vernommen worden / desiderantes, daß solche ordentlich dictirt / und nechst bevorstehenden Reichs-Tag davon weiters gehandelt werde. Vfenbach *de Excels. Consil. Aul. cap. 2.* Author der Grundvest deß H. R. Reichs *part. 3. cap. 5. pag. 242. & 243.* Mauritius *de S. C. M. Iudicio Aulico d. th. 19.* Vitriarius *in Inst. Iuris publ. lib. 4. tit. 7. n. 30.* non obstante tamen hac Ordinũ protestatione, Senatus Aulicus hujus Ordinationis normâ & legibus utitur, ac ad ejus observantiam Leopoldus *in Capit. art. 41.* & Josephus *art. 40.* juramento se obstrinxerunt, donec quid aliud in Diætis Imperii statueretur. Vfenbach *de Excels. Consil. Aul. cap. 2. circa fin.* Gerhard *de Supre-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866231498/phys_0033
DFG

prem. Imp. Rom. Iudic. in prælim. part. 2. §. 9. & 10. Vitriarius *d. lib.* 4. *tit.* 7. *n.* 32. Mauritius *de Iud. Aul. d. th.* 19. trinas has Ordinationes exhibet Vfenbach *in tract. de Consil. Aul. mantissæ loco.*

§. V.

De Pace Prophana.

Quær. I. *Quid sit pax prophana, cur & quando cœperit?*

Resp. Adeò quondam infesta & turbulenta fuêre tempora, ut lites Ordinum magis ferro manuque, quàm jure ac judicio dirimptæ fuerint, isque plus juris habuisse visus sit, qui vicerat. Besoldus *in Thesaur. pract.* & Speidel *in speculo voc.* Faust-Recht. Rachel *in Otio Noviomag. cap.* 9. *pag.* 51. Cæsarinus Furstenerius *de Iur. Supremat. Princip. Germ. cap.* 21. Quia verò res hæc miserè dilaniabat Imperij faciem omnia miscendo cædibus, bellis intestinis, deprædationibus, invasionibus, & similibus internecinis malis, felicissimæ recordationis Imperatores Sc. Maximilianus I. anno 1495.

Wor-

Wormatiæ, & anno 1500. Augustæ Vindelicorum; Carolus V. anno 1521. Wormatiæ, anno 1522. Norinbergæ, an. 1548. & 1551. Augustæ; Ferdinandus I. an. 1555. Augustæ, anno 1557. Ratisbonæ, & anno 1559. Augustæ; Maximilianus II. an. 1566. Augustæ, anno 1570. Spiræ, & 1576. Ratisbonæ; & denique Rudolphus II. an. 1594. Ratisbonæ cum concordi Statuum Imperij suffragio saluberrimam hanc & planè necessariam de Pace publica constitutionem, quâ plenissimè procuratur securitas, & tranquillitas Imperij, prohibitâ omni vi injustâ, & privatâ persecutione juris sui; promulgârunt, amplîârunt, renovârunt, emendârunt, declarârunt, & confirmârunt. Besoldus *in Thesaur. pract. sub voce* Land-Fried. Blumius *in process. Cameral. tit. 29. n. 2. & mult. seq.* Schvveder *in Introduct. in Jus publ. part. general. cap. 3. n.* 10. Teneturque Neo-Electus Imperator jugem ejus observantiam juratò promittere, ut constat ex *Capit. Ferdinandi II. art. 2. Ferdinandi III. art. 2. Leopoldi art. 2. Iosephi art. 2.*

Quær.

Quær. II. *Quænam sint potissima Pacis prophanæ contenta?*

R *Esp.* Hæc exulet omnis ex Imperio diffidatio. Nullus Statuum alterum bello involvat, aut fœdus adversus eum percutiat, aut Regalibus, Jurisdictione, alijsve Bonis ac Juribus armatâ manu exuat. Nullus alterius subditos adversus Magistratum concitet. Permittat quivis alienis subditis per territorium suum migrantibus securum, ac à quavis vi & gravamine liberum commeatum. Ordines Imperij vagabundos milites è territorijs suis ex- & disturbent. Nemo alterius subditos ob delictum profugos, aut seditiosos hospitio recipiat, aut eorum possessiones in tutelâ assumat, aut per se, aut alios consilio opeve Pacifragis inserviat. In pacis publicæ violatores banno Imperiali perculsos requisitus absque morâ judicatum exequatur &c. vide Blumium *dict. tit* 29. *n.* 9. *& mult. seq.* Schvveder *dict. cap.* 3. *n.* 12.

§. VI.

§. VI.

De Pace Religiosa.

Quær. I. *Quid sit Pax religiosa, & quando cœperit?*

Resp. Postquam Sæculo decimo sexto novitas & dissidium Religionis in Imperio cœperat altiùs caput tollere, ac virus suum, viresque latissimè spargere, ita ut jam sanior pars Germaniæ in gravissimo exitij discrimine versaretur, tandem post alia media invanùm tentata, Pax religiosa inita fuit primò Passavij Anno 1552. postmodum in Comitiis Augustanis Anno 1555. ac Instrũ. Pacis Westphalicæ art. 5. & 7. aucta & per varios Recessus ac Capitulationes Imperatorum stabilita. Pax hæc definiri potest, quod sit publica quædam transactio de Religione protestantium non minùs toleranda, quàm Pontificia liberè exercenda, & de se invicem harum Religionum intuitu non turbandis.

Quær. II. *Quid in hac Pace potissimùm actum sit?*

Resp. Ibi præcipuè conventum fuit, ne partes se invicem obtentu Religionis adoriantur, lædant, aut ad eandem ejurandam vi adigant. Si quæ bona Ecclesiastica, quæ ad Statum aliquem immediatum non pertinue-

runt, in sæcularium Ordinum possessionem transierunt, modò Clerici tempore Transactionis Passavienſis, aut abhinc ista non possederint, possessoribus quietè relinquantur, neque propter hæc Camera Imperialis in detentores Jurisdictionem exerceat. Jurisdictio Ecclesiastica in Augustanæ Confessioni addictos suspensa sit, ipsisque circa sacra sua competat propria disponendi facultas. Nemo alterius subditos, ad suam Religionē pelliciat, eorumvè defensionem sub Religionis prætextu suscipiat. Subditis tamen, qui Religionem à Principe suo alienam amplectuntur, sit concessa facultas, bonis suis alienatis, aliò transferendi domicilium. Si Religionis diversitas mediis licitis sit componi nescia, Pax ista in perpetuum servetur, &c. adde Blumium *in proces. Cam. tit.* 28. *n.* 12. *& seq.* Severinum de Monzambano *de Statu Imper. Germ. cap.* 5. §. 10.

§. VII.

De Nemesi Carolina.

Quær. I. *Quid sit Nemesis Carolina?*

Resp. Nemesis Carolina, sive Ordinatio criminalis Germ. die peynliche Halß-Gerichts-Ordnung, est constitutio Authoritate Caroli V. unà cum Statibus Imperii publicata, quâ modus in causis criminalibus determi-

minatur, ac plerisque criminibus pœnæ suæ præfiguntur. D. D. Gletle *in Jurisprud. fundament. dissert. præamb. §. 3. n. 9.*

Quær. II. *Quando Nemesis hæc Carolina in lucem venerit?*

Resp. Condita ac promulgata fuit Anno 1530. in Comitiis Augustanis, & Anno 1532. in Comitiis Ratisbonensibus repetita. Rachel *in Otio Noviomag. cap. 9. pag. 49.*

§. VIII.

De Capitulatione Cæsarea.

Quær. I. *Quidnam sit Capitulatio Cæsarea?*

Resp. Capitulatio Cæsarea Germ. die Käyserl. Capitulation, Käyserl. Articuls-Brieff/ Käyserl. Wahl-Articul, est conventio, quâ Imperator per Electorum Suffragia designatus ante coronationis solennia certas sibi propositas conditiones, normam Imperii administrandi continentes, acceptat, ac de iis servandis juratò cavet, publicæ salutis conservandæ causâ. Ita Conring *dissert. de Capit. Cæsar. th.* 20. Schvveder *in Introduct. in Jus. publ part. general. cap. 2. n. 13.*

Quær. II. *Quis conficiat Capitulationem Cæsaream?*

CAusa Architectonica Capitulationis Cæsareæ hactenus soli Electores extiterunt, excepto Rege Bohemiæ, qui quanquam Cæsaris eligendi jus habeat, à jure tamen capitulandi hucusque exclusus fuit. Conring *de Cap. Cæsar th.* 22. Bœcler *in Notit. S. R. J. lib.* 6. *cap.* 8. Du May *L' Estat de L' Empire part.* 2. *dialog.* 11. *pag.* 168. Mauritius *in Notis ad proœm. Capitul. Leopoldi verbo.* als nach zeithero Ableben Hi Archi-Principes inconsultis reliquis Ordinibus quietè semper Imperatoribus Capitulationes præscripserunt tulque ad tempora Rudolphi II. à cujus obitu aliquot Imperii Ordines facultatem hanc Collegii Electoralis impugnare cœperunt. Conring *de Capit. Cæsar. th.* 24. Hippolitus à lapide *de Rat. Stat. Imp. Germ part.* 1. *cap.* 15. *sect.* 1. Hermannus Hermes *in Fasc. Jur. publ. cap.* 9. *n.* 12. Cæsarinus Furstenerius *de Jure supremat. Princip. Germ. cap.* 38. Quæ querelæ renovatæ fuêre sub Ferdinando II. Furstenerius *dict. cap.* 38. Rationes motæ primùm & postmodum recrudescentis querelæ dat Hippolitus à lapide *dict. sect.* 1. Author der Grund-Vest deß H. R. Reichs *part.* 3. *cap.* 3. instante Pace Vestphalicâ Imperii Ordines acriter hanc rem urserunt, adeo ut etiam Instrumento Pacis Cæsareo-Suecicæ *art.* 8. § 3. insertum fuerit, ut in proximè habendis Comitiis de certa

ta constantique Capitulatione ex communi consensu Statuum ageretur. Secutis Anno 1653. Comitiis Ratisbonensibus res magnâ animorum contentione ventilata fuit. Confer Authorem der Grundvest *part. 3. cap. 3.* & monita tunc ratione Collegii Principum Collegio Electorum exhibita, ut eorum ratio haberetur in proxima electione Regis Romanorum Ferdinandi IV., quod & pro parte factum. Conring *de Capit. Cæsar. th. 27.* Author der Grundvest *part. 3. cap. 3.* Du May *L'Estat de L'Empire part. 3. dialog 11. pag. 168.* In Recessu Imperii de anno 1654. §. Wann aber 192. spes nova facta Statibus, daß auff den prorogirten Reichs-Tag die Wahl-Capitulation nach Innhalt deß Instrumenti Pacis in denen dreyen Reichs-Räthen alsobald vor die Hand genommen / berathschlaget / und beörthert werden solle / postea, cum anno 1658. Francofurti ad Mœnum Capitulatio Leopoldina sub incude erat, Ordines nova monita Electoribus exhibuêre, Capitulationi futuræ inserenda, sed Electores tum causati, Capitulationem perpetuam nonnisi in Comitiis, quæ ibi non essent, perfici posse, monita illa neglexerunt, quo facto contradictio, quam protestationem vocant, Statuum nomine secuta est, quâ negant se Capitulationem Leopoldinam in controversis capi-

tibus pro Lege Imperii agnituros. Extat protestatio apud Mulderen in *Capitulatione Harmonica pag.* 207. & monita apud Eundem *pag.* 185 & seq. Cum ergo cernerent Ordines se hactenus Capitulationis perpetuæ spe quasi perpetuâ lactatos, præsentibus Comitiis majori nisu negotium hoc reassumptum est, & jam specimen quoque perpetuæ Capitulationis, cujus tenorem exhibet Fritsch *ad Lymnæum lib.* 1. *cap.* 12. à Collegio Electorali erat adornatum, cœterorumque Ordinum Judicio exhibitum, cumq; res ferè ad exitum perducta videbatur, epilogus Capitulationis ab Electoribus confectæ exordium fuit novarum litium; nam quia in eo Electores jus adcapitulandi sibi vendicabant, cœteri Imperii Status verò in id consentire nolebant ob rationes à Pfeffingero *in Notis ad Vitriar. lib.* 1. *tit* 7. §. 2. allatas, ad hunc Scopulum tractatio tamdiu hæsit, donec imminens Turcici, Gallicique belli tempestas negotium hoc interruperit, ac deliberationes Comitiales ad salutem Patriæ diverterit. Conring *de Capit. Cæsar. th.* 27. 28. & 29. Furstenerius *dict. cap.* 38. *de Jur. suprem. princip. Germ.* Brunnemann *in Jurisprud. pub. dissert.* 2. *th.* 9. & interim rursus Anno 1690. 24. Januarii Augustæ Vindelicorum soli Electores, exclusis Statibus reliquis, Capitulationem Josepho Roma-

manorum Regi præscripserunt. Sed iterum non absque gravi reliquorum Statuum protestatione, quâ denuò negant, Capitulationem hanc in controversis articulis à se pro Lege Imperii habitum iri. Protestationẽ exhibet Mulderen *in Capit. Harm. pag. mihi* 209. quid futuris temporibus hac in re probabiliter eventurum sit, nec libet, nec licet hic curiosiùs inquirere, videat, qui volet, Severinum de Monzambano *de Statu Imper. Germ. cap.* 5. §. 2.

Quær. III. *Quando primò, & cur Imperatori Capitulatio præscribi cœperit?*

RESP. Probabiliùs Carolus V. primus Imperatorum fuit, quem expressis hisce & prolixis articulis adstringere voluerunt Electores, altiùs enim nos non posse ascendere, ubi Capitulationem probè à jurejurando regio distinxerimus, teste Boëclero *in Notit. S. R. J. lib.* 12. *cap.* 3. Kulpisio *ad Monzamban. part.* 2. *cap.* 5. §. 1. Oldenburger *in Lymn. enucl. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 3. Bechmann *ad Aur. Bull. Exercit.* 3. *n.* 40. Jam egregii Viri agnovère. Ratio autem, cur Archiprincipes Carolo V tot tamq; prolixos articulos, velut potentiæ aggeres præscribere voluerint, fuit, ne scilicet amplissimæ potentiæ, Juvenilis ætatis, alto-

rumque Spirituum Princeps ductum symboli sui; PLUS ULTRA, secutus, nimis efferretur extra temperati regiminis ripas, & ad Imperii Hispanici decempedam metiretur Germanorum Imperium, sicq; nôsset, alio sibi modo libertatis amatricem Germaniam, ac alias ditiones, gubernandam. Et licet hic timor fortassis non æq; urgeret in subsequentibus Imperatoribus, cœptum tamen semel propositum retinere visum fuit, ne ampliora sibi indulta crederent successores antecessoribus. Monzambano *de Stat. Imp. Germ. cap.* 5. §. 1. Kulpis *ad eundem d. cap.* 5. §. 1.

Quær. IV. *An Capitulatio tam arctè stringat Imperatorem, ut nequidem in casu necessitatis inconsultis Imperii Ordinibus causam aliquam, cæteroquin cum eorundem consensu pertractandam, expedire queat?*

RESP. *I.* Si necessitas est extrema, & omnis moræ impatiens, magniq́ue momenti negotium, Imperator, non consultis Ordinibus, id expedire potest, cum omnis promissio etiam jurata habeat conditionem imbibitam; si potero, ad impossibile enim nemo obligatur Per *l.* 185. *ff de R. J. cap.* 6. *de R. I. in* 6. *cap.* 10. *de jurjurand* Laymann. *in Theolog. moral. tom* 2 *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 9. *n.* 4. D. D. Konig *lib.* 2. *decretal. tit. de jurjurand. part.* 1. §.

1. §. 9. *n.* 37. & licet majora Regalia fere omnia Statibus communicata sint, sicut tamen in extrema necessitate famis famelico redit primæva rerum communio, ita pariter in suprema necessitate salutis publicæ videtur quasi reddi Imperatori potestas absoluta. Et in hoc assertо debent convenire omnes.

Resp. 2. Si necessitas non sit extrema, gravis tamen & tantum in mora periculum, ut consensus omnium Statuum haberi nequeat, consensus Electorum sufficere videtur, tum quia hi propinquiora Imperii membra dicuntur in *Aur. Bull. cap.* 2. § 8. & passim in Capitulationibus vocantur die fürderiste Glieder deß H. R. Reichs; tum *arg. Cap.* Ferdinand. III. *art.* 7. Ferdinandi IV. *art.* 7. Leopoldi *art.* 10. Josephi *art.* 10. ibi: da aber publica salus & utilitas eine mehrere Beschleunigung erforderte/ da sollen/ und wollen wir dann der sieben Churfürsten sämbtliche Einwilligung ꝛc. erlangen; Tum denique, quia in ejusmodi necessitate potiùs expedit rapere consilium, quàm è longinquo capere incerto adventu, certo malo, ne scilicet, quod in salutem Imperii inventum est: ut est obligatio Imperatoris adhibendi consensum omnium Ordinum, convertatur in ejus perniciem ac ruinam, & huc fortè trahi poterit dictum Jacobi Regis Angliæ: *sicut*

Deus plerumque solitâ naturæ lege regit Mundum, prodigia verò nonnisi parcè, nec sine præsagio promittit; ita Reges tranquillis rebus secundum Statuta patriæ administrare debent Rempublicam, & rarò demum, atque urgente malo fortiùs uti Imperio.

§. IX.

De Pace Westphalica.

Quær. I. *Quid sit Pax VVestphalica.*

Resp. Pacificatio Osnabrugo-Monasteriensis (der Münster und Osnabrückische Frieden-Schluß) est solennis & perpetuò valitura Conventio, inter Imperatorem ac Status Imperij inter se, & Regem Galliæ, Regnumque Sueciæ, eorumque Confœderatos de habendâ pace, deponendis armis, & tollendis gravaminibus, ac controversijs circa Religionem, bona Ecclesiastica, administrationem Justitiæ, aliáque negotia Imperij subortis, sopiendis an. 1648. unanimi consensu inita. Ita post Fritschium Schvveder *in Introduct. in Jus publ. part. general. cap. 3 n. 25.*

Quær. II. *Quidnam contineatur in hac Pace VVestphalica?*

Resp. Instrumentum Cæsareo-Suecicum sive Osnabrugense constat 17. articulis, quorum contenta respiciunt

1. Ge-

1. Generalem pacem inter Imperatorem & Imperium, Regem Galliæ, Regem Hiſpaniæ & Regnum Sueciæ.
2. Amneſtiam generalem.
3. Reſtitutionem in genere.
4. Reſtitutionem ſpecialem.
5. Religionis ſecuritatem, pacem & negotia inter Catholicos & Proteſtantes.
6. Helvetiorum immunitatem & libertatem.
7. Reformatorum receptionẽ in communionem religioſæ Pacis.
8. Confirmationem Jurium & Privilegiorum Ordinum Imperij.
9. Abolitionem teloniorum recèns impoſitorum.
10. Satisfactionem Suecicam pro impenſis bellicis.
11. Satisfactionem Brandeburgicam pro conceſſa Suecis Pomerania, &c.
12. Reſtitutionem & ſatisfactionem Megapolitanam pro ceſſa Suecis Wiſmaria, &c.

13. Com-

13. Compensationem, satisfactionem & restitutionem Domûs Brunsuicensis & Luneburgensis.
14. Satisfactionem Christiani Wilhelmi Marchionis Brãdeburgici pro cessione summæ 12000. Imperialium quot annis ex Archi-Episcopatu Magdeburgico solvendorum.
15. Satisfactionem Hasso-Casselanam.
16. Executionem pacificationis hujus.
17. Ejusdem ratihabitionem, validitatem, pœnalemque munitionem.

Instrumentum Cæsareo-Gallicum, sive Monasterienſe 12. articulis absolvitur, complectiturque sequentia.

1. Publicam Amnestiam, & ne quis alterius hostes præsentes sive futuros, ullo prætextu, directè vel indirectè juvet.
2. Controversiam Lotharingicam amicè componendam.
3. Restitutionem Palatinam faciendam.
4. Restitutionem Würtenbergicam.

5. Re-

5. Restitutionem Badensem,
6. Satisfactionem Gallicam.
7. Restitutionem Austriacam.
8. Controversiam Sabaudo-Mantuanam componendam.

Anno 1679. accessit Pax Noviomagensis Cæsareo-Gallica, & Cæsareo-Suecica, de qua vide Ottonem ad Instrument. Pac. per tot. Anno 1684. Armistitium Vicennale inter Cæsarem & Imperium, ac Galliarum Regem, de quo vide Fritschij notas additionibus suis Limnæanis subnexas. ac novissimè Anno 1697. Pax Risvvicensis, quæ itidem à Fritschio notis illustrata.

Et hæc paucula de libris Juris publici Romano-Germanici delibâsse sufficiat, progrediendum est ad libros Juris Civilis privati, de quibus sit

SEC-

SECTIO II.

De Libris Juris civilis privati.

Quær. I. *Quinam hìc per libros Juris Civilis privati intelligantur?*

R *Esp.* Institutiones, Digesta, Codex, Novellæ.

Quær. II. *Quid sint hi libri, à & ex quibus compositi sint?*

R *Esp. Institutiones* sunt prima totius legitimæ scientiæ Elementa § 4 *Inst. in proæm.* compositæ fuerunt jussu & authoritate Justiniani per Tribonianum, Theophilum, & Dorotheum, §. 3. *Instit in proæm.* desumptæ sunt ex variis antiquorum JCtorum Institutionibus, & præcipuè ex Commentariis Caij §. 6 *Inst. eod.* Institutiones has Justinianus ipse legit, & recognovit, ac plenissimum Constitutionis robur ijsdem accommodavit *d.* §. 6. *in proæm. Digesta* inde sic dicta, quod responsa Veterum dispersa ac confusa in justum Ordinem digesta contineant *l* 2. § 1. *C. de Vet. Jur. enucl.* vocantur alio nomine *Pandectæ* à πᾶν & ἔχω vel à πανδέχομαι vel à πάντῶ & δέχεσθαι quod omnia complectantur, quæ ex Veterum JCtorum libris Justinianus colligi ac pro jure servari voluit,

De-

Describi possunt, quod sint volumen ex variis antiquorum JCtorum libris & commentariis authoritate Justiniani concinnatum. *Codex* est volumen ex variis Imperatorum Constitutionibus collectum. *Novellæ* sunt variæ Constitutiones post libros mox recensitos ultimò à Justiniano promulgatæ.

Quær. III. *Quo ordine hi libri sint compositi?*

Resp. Cum Imperatoriam Majestatem non solùm armis muniendam, sed & legibus suffulciendam adverteret Justinianus, altero statim sui regiminis anno, scilicet anno æræ Christianæ 528. idibus Februarii ipso Justiniano secundùm & quidem solo Consule, universas Codicum Gregoriani, Hermogeniani, & Theodosiani Constitutiones, quasque postea tum Theodosius, tum insequentes principes, & ille ipse Novellas constituissent, prætermissis, si quæ in præsens minùs conducere viderentur, brevi sermone conscriptas unum in Codicem per decem viros illustres in omni juris & experientiæ genere versatissimos conjungi mandavit, *l. un. C. de novo Codice faciendo. l. un. C de Justin. Cod. confirm.* quem anno sequenti, qui erat, Decio solo Consule, annus post Christum natum 529. 7. Idibus Aprilis con-

firm

firmavit *l. un. C. de Iustin. Cod confirm. in fin.* eundemque Theodosij Principis imitatione, de suo nomine Justinianeum nominari voluit. *l. un. C. de nov. Cod. fac. circa finem.* sacratissimis Imperatorum Constitutionibus antea confusis in luculentam consonantiam erectis, Imperator ex immensis veterum Jurisprudentûm responsis, & voluminibus, quæ tum temporis ad duo penè millia librorum, & trecenties decem millia versuum excreverant *l. 2. §. 1. C. de Vet. Jur. enucl.* Anno regiminis sui 4. (post Christum natum 530.) 14. Calendas Jan. Lampadio & Oreste Cons. pandectas componi mandavit *l. 1. per tot. C. de vet. jur. enucl.* easq; compositas Anno regiminis sui septimo Sc. Anno Christi 533. 17. Calendas Januarii, ipsomet Justiniano tertiùm & iterum solo Consule, promulgavit. *Constit. tanta §. ult. de Confirm. Digestor.* nondum publicatis Digestis ad jussum Imperatoris Institutiones Juris tanquam prima legum incunabula, & totius legitimæ scientiæ fundamenta ex antiquorum JCtorũ Institutionibus, & præcipuè ex Commentariis Caij compositæ, ac eodem Anno 533. 11. calendas Decembris, ipso Justiniano tertiùm & solo iterum consule, promulgatæ fuerunt, *proœm. Instit. §. 6. & ult. in fin.* adeo ut Pandectæ compositione sint quidem priores Institutionibus

nibus

nibus, posteriores autem publicatione. Confirmationem tamen quod attinet, pares existunt, quia leges Institutionum & Digestorum unà 3. Calendas Januarii d. anno 533. vim & vigorem juris ab Imperatoria authoritate acceperunt. *dict. Constit. tanta* §. 23. *de Confirm. Digestor.* Post Institutiones & Pandectas cum constaret, Codicem Justinianeum operâ tumultuariâ fuisse consarcinatum, ab Imperatore sub limam revocatus, ac superfluis & contrariis resectis, insertisque novis decisionib⁹, denuò octavo Imperii anno, post Christum natum 534. 16. Calendas Decembris Ipso 4. & Theodoro Paulino Coss. confirmatus, repetitæq; prælectionis Codex nominatus est *l. unic. C. de emendat. Cod. Justinian. l. un.* §. 3. *C. de Justin. Cod. Confirm.* qui tamen nonnisi 4. Calendas Januarii Juris authoritatem accepit *d. l. un.* §. 4. *C. de emend. Cod. Justin.* denique quia in rebus humanis ita comparatum est, ut non possint omnes casus in legibus latis comprehendi. *l.* 10. & 12. *ff. de LL.* Novellæ Constitutiones, non quidem simul & semel, sed pro re nata emanârunt. Arthurus Duck *de usu & authoritat. Jur. Civ. lib.* 1. *cap.* 4. §. 5. *multisq; seq.* Simon Van Lewen *in Censur. forens. lib* 1. *cap.* 1. *n.* 29. *& seq.* Strickius *in præcognit. Jur. Univers. cap.* 2. *ferè per totum* Lauterbach *in prolegom.*

ad commentar. Theoretico-pract. ff. §. 3. 4. 5. & 6. Clariss. D. D. Woller *in quæstionibus selectis Oeniponti editis quæst. 3. n. 14. & seq.*

Quær. IV. *Sempernè Ius Iustinianeum in vigore suo permanserit?*

Resp. Negativè nam vix è vivis excesserat Justinianus. & mox Gothis, Vandalis, & Longobardis Italiam aliasq; Occidentalis Imperii provincias inundantibus, Juris Romani authoritas ita diminuta fuit, ut exiguus ejusdem usus remanserit, frequentior tamen Romæ & in aliis Exarchatûs locis, quàm in Regno Longobardico. Nunquam tamen, etiam invalescente rudiorum sæculorum barbarie, penitus suffocatum fuit, ut more solito solidè demonstrat Hermannus Conringius *de Orig. Jur. Germ. cap. 20. per totum.* In Oriente sensim obsoleviſſe videtur, recedente paulatim linguæ latinæ usu, subsecutisq, principibus (æmulatione, an invidiâ, nescio) Jus Justinianeum per posteriores constitutiones abolentibus, aut immutantibus. Arthur. Duck *d. lib. 1. cap. 5. §. 2. & seq.* Struvius *in syntagm. Jur. Civil Exercit. 1. th. 70.* D. D. VVoller *dict. quæst. select. q. 3. n. 23. & seq.* tandem post longævam, & in sex propemodum sæcula protractam ferè omnimodam legum oblivionem, ea fuit Juris

ris Justinianei felicitas, ut circa annum 1127. regnante Lothario Saxone cum Jure revivíscente omnes prope scientiæ reliquæ repullulaverint. Arthur. Duck *dict. lib. 1. cap. 5. §. 13.* inciderat fortuitò quæstio, cujus expediendæ occasione Irnerius magno fervore in Jus Romanum incumbebat, in quo studio ita feliciter profecit, ut post in Academia Bononiensi publico Professoris munere summo cum applausu defunctus sit, inde evenit, ut postea in Academias alias & Dicasteria sensim sine sensu Jus Justinianeũ inductum sit Lehemann *in Chronico Spirensi lib. 5. cap. 46.* Arthur. Duck *d. lib. 1. cap. 5. §. 14.* Schulzen *in prolegom. ad Synopſ. Inſtit. Imperial.* atque sic administrante potissimùm Irnerio Jurisprudentia Romana, postquam diu ferè tota sepulta delituerat, denuò in lucem sese vindicans, ad tantum, ut modò conspicitur, dignitatis fastigium eluctata est.

Quær. V. *Vtrùm Ius Civile Romanum jubente, an verò tantùm connivente & permittente Lothario resuscitatum sit.*

R*Esp.* Quamvis cum Lehemanno ac Arthuro Duck *locis mox allegatis* Simone Van Lewen *in Censura for. lib. 1. cap. 1. n. 34.* Perez *in princ. ad ff.* complures alii existiment,

id jussu Lotharii contigisse, non veremur tamen, hanc sententiam planè improbabilem asserere ex ratione, quia à nemine paulò vetustioris temporis hâc super re verisimile quoddam testimonium editum, nec unquam authenticum instrumentum desuper productum fuit, quod tamen in re tanti momenti, vel maximè necessarium esset, ut fusissimè deduxit exactissimus Conring *de Orig. Jur. Germ. cap.* 21. sequiturque Mauritius *in posit. de lib. Jur. commun. eorumq; usu posit.* 21. Strickius *in usu moderno ff. discurs. prælim. th.* 19.

Quær. VI. *Cum Pandectarum editiones Doctores passim tres esse affirment, scilicet vulgarem, Noricam, seu Holoandricam, & Florentinam, quamvis plures recenseat Mauritius in position. de Libris Jur. commun. eorumq; usu posit. 7. quid juris, si editiones, ut sæpiuscule contingit, à se invicem discordent.*

R*Esp.* Præterendam esse editionem Florentinam, sive ut alii vocant, Pisanam, ita cum communi JCtorum schola Perez *n princ. ad ff.* Arthur. Duck *de usu & author. Jur. civil. lib.* 1. *cap.* 4. §. 10. Mauritius *de Lib. Jur. commun. eorumq; usu posit.* 9. *& seq.* Lauterbach *in prolegom. ad commentar. Pandectar.* §. 4. *n.* 17. Strickius *in præcognit. Jur. univers. cap.*

cap. 2. §. 17. vocatur ideo Florentina, quia desumpta est ex libro Pandectarum Florentiæ religiosè asservato. Erant scilicet Pandectæ longo tempore, & quidem magis, quàm cœtera Jura Justinianea deperditæ, donec sub Lothario Saxone Imperatore, dum ipse circa annum 1127. unà cum Innocentio II. Pontifice Maximo, assistentibus insuper Pisanis liberæ tum reipublicæ jure gaudentibus, contra Rogerium Regem Siciliæ & Neapolis bellum gerebat, in Amalefitana Apuliæ urbe repertæ sint, in hujus urbis expugnatione, quia strenuè spartam suam obiverant Pisani Libros Pandectarum ibidem inventos in præmium præclarè peracti laboris & generosè exantlati periculi acceperunt, eosque Pisis sanctè asservârunt, usque ad annum 1406. quo Gujus Coponius Exercitûs Florentini Præfectus, civitate Pisarum captâ, Pandectas in magnam triumphi sui partem Florentiam transtulit, ubi eâdem religione & curâ etiamnum custodiuntur. Arthur. Duck *dict. lib.* 1. *cap.* 5. §. 13. Perez *in princ. ad ff.* qui liber si non Architypus est mandato Justiniani exaratus, ut nonnulli existimant apud Arthur. Duck *dict. lib.* 1. *cap.* 4. §. 10. certè ex eo, vel sub Justiniano Ipso, vel brevi postea descriptus est juxta communiorem Doctorum opinionem: meritò igi-

tur ad illum, ut ex quo omnes nunc existen, tes Digestorum editiones desumptæ sunt in occurrentibus diversis lectionibus recur. rendum est, indeque lis decidenda. Perez *in princ. ad ff.* Arthur. Duck *dict. lib. 1. cap. 4. §. 10.* Mauritius *dict. posit. 9.* Strickius *dict. cap. 2. §. 17.* Lauterbach *dict. §. 4. n. 17.*

Quær. VII. *Quâ viâ Ius Romanum ex Italia in Germaniam devenerit, ac quâ ratione Germanos obligare cæperit?*

Resp. Postquam Irnerio, Bulgaro, Placentino, Godefredo, Arone, aliisque Jura Civilia Bononiæ professis Jurisprudentiæ Romanæ debita fama longè lateque diffusa fuit, fortè Germani quoque, rerum Italicarum explorandarum jam tum Curiosi, illustris Juris reliquias percepturi, Bononiam accessêre, easque perceptas ad Lares patrios retulêre. Id quod ex speculo Saxonico, Suevico, Jure Magdeburgensi, seu Weichbildico, Jure Lubecensi, Aurea Bulla &c. pluribus iisque nec contemnendis argumentis demonstrare conatur Strickius *in usu moderno ff. discurs. prælimin.* §. 10. 17. 18. 20. 21. & 22. donec circa finem 14. & exordium 15. sæculi in scholas Germanicas ad Italicarum exemplum conditas sensim receptum, ac postmo-

modum ex scholis in fora Imperii Germanici, tacito saltem Imperatoris consensu traductum sit. Conring *de Orig Jur. Germ. cap* 32. Monzambano *de Statu Imp. Germ. cap.* 5. §. 13. Strickius *dict. discurs. prælimin.* §. 22. *& seq.* à tempore exspirantis sæculi 15 hucusque sæpius expressus Imperatoris, Statuumq; consensus, ut in Dicasteriis Germanicis ex legibus Romanis Jus diceretur, accessit. Vide *Ordinat. Camer. de anno* 1500. §. die *Successionis* 19. *Ordinat. Notar. de anno* 1512. §. demselben nach 1. *Nemesin Carolinam art.* 117. *& seq* Conring *de Orig. Jur. Germ. cap.* 33. Monzambano *dict. cap.* 5. §. 13. Strickium *dict. discurs. prælim.* §. 24. quod tamen ita intellectum velim, nisi lex recentior, particularia locorum singulorum Statuta, aut rationabilis consuetudo stent in contrarium per *Ordinat. Judicij Aulici tit.* 1. §. und weilen 15. Ibi: so dann zu förderist unsere Römische Käyserl. Wahl-Capitulation, Reichs-Abschiede/ Religion- und Prophan-Frieden / und den jüngsten Münster und Osnabrückischen Frieden-Schluß/ wie auch jedes Stands / Lands / Orths / und Gerichts / sonderlich die gebührlich allegirte / und probirte Privilegia, gute Ordnungen / und Gewohnheiten / und in Mangel derselben / die Käyserl. Rechten /

und rechtmäßige Observationes, und Gebräuch in acht nehmen / und nach denselben jhre Decreta, Bescheid / und Urtheil richten. Gemina habentur *in Ordinat. Cam. part. 1. tit. 57.* Conring. *dict. cap. 33.* Monzambano *dict. §. 5 §. 13.* Strickius *dict. discurs. prælimin. §. 28* Mauritius *de lib. Jur. commun. eorumq; usu posit. 22.*

Quær. VIII. *An Jus Iustinianeum etiam alibi, quàm in Germania in usu sit?*

Resp. Affirmativè, cum enim Jus Justinianeũ gravissimis Justi rationibus per omnia solidatum, ad normam Juris naturalis compositũ, cum eo conjunctum, & ad illud revocatum sit, hinc jus tam æquum, tam rationabile, & undequaque absolutum, etiam ab aliis Europæ gentibus passim receptum fuit, in illis præcipuè casibus, ubi Jura patria deficiunt. Simon Van Lewen *in Censura forensi lib. 1. cap. 1. n. 12. & 34.* in specie de terris S. Pontificis temporali jurisdictioni subjectis constat ex *cap. 1. de Nov. Oper. Nunt.* de Lusitania testis est Arthurus Duck *de usu & author. Jur. Civ. lib. 2. cap. 7. §. 11.* de Hispania idem Duck *d. lib. 2. cap. 6. §. 22.* de Gallia idem Duck *d. lib. 2. cap. 5. §. 32.* de Scotia idem Duck *d. lib. 2. cap. 10. §. 15.* de Belgio Simon Van Lewen *d. lib. 1. cap. 1. n. 12. & 34.* quin & ipsos Turcas in

in decidendis controversijs uti Codice Justinianeo, apud Simonem Van Lewen *d. lib. 1. cap. 1. n. 12.* Testis est Leunclavius rerum Turcicarum non minùs expertus, quàm fidelissimus Scriptor. Adeò ut meritò Romana Themis sibi gratulari, gloriariq; possit, quod eò virtute legum suarum penetraverit, quò Bellona Quiritum armorum violentiâ non valuit perrumpere.

Quær. IX. *Num & Authenticæ in Codice hinc inde dispersæ, uti nomine, ita & omine sint authenticæ?*

Resp. Authenticæ Fridericianæ, quæ Codici insertæ sunt, uti Auth. *Item Nulla C. de Episcop & Cleric.* Auth. *Statuimus C. de Episcopal. Audient.* Auth. *Habita C. ne filius pro patre.* Auth. *Sacramenta puberum C. si adversus venditionem.* Auth. *navigia C. de furtis.* Auth. *Cassa de SS. Ecclesis,* absque dubio legalem obtinent authoritatem, cùm non tantùm ab Imperatoribus Fridericis I. & II. latæ, sed & eorundem Jussu in Codicem relatæ sint, ut patet ex Auth. *Habita C. ne filius pro patre:* Strickius *in præcognit. Jur. univers. cap. 6. §. 2. & 5.* Cæteras verò, quas Irnerius, sive, ut aliis placet, Wernerus ex Novellis Justinianeis collegit, ac in Codice hinc inde aptis materijs

rijs subjunxit, tum demum Juris authoritate dignamur, si cum fontibus, ex quibus haustæ sunt, conveniant; inde deviantes, cujusmodi sunt Auth. *Quas actiones C. de SS. Ecclesijs.* Auth. *quod sine C. de testament.* Auth. *Sed Judex C. de Episc. & Cleric.* Auth. *Hodie C. de Judic.* Auth. *Ex causa C. de liber. præterit.* Auth. *Excipitur C. de bonis, quæ lib.* Auth. *Bona damnator. C. de bon. proscript.* Auth. *Hoc ita. C. de duob. reis.* Auth. *Similiter C. ad Leg. falcid.* Impunè aspernamur, cum Irnerius tanquam Doctor privatus illis authoritatem juris conciliare non potuerit. Lauterbach *in prolegom. ad Comment ff.* §. 5. *n.* 10 Mauritius *de lib. Jur. commun. eorumq; usu posit.* 15. Theophilus Majer *in proœm. ad Inst.* §. 6. Strickius *in præcognit. Jur. univers. cap* 6. §. 5.

Quær. X. *An Libri Iuris Iustiniani sibi invicem derogent.?*

CErtum est Novellas derogare Institutis, Pandectis, & Codici, modò de correctione ex verbis expressis vel necessaria illatione constet, tum quia Novellæ reliquis libris sunt posteriores, tum quia ijsdem etiam sæpiùs directè contrariantur; vulgati autem Juris est, quod lex posterior deroget priori *l. ult. ff. de Constit. princip.* quin & nonnunquam Novellæ compositione priores per poste-

steriores corriguntur. Sic Novella 9. abrogatur per Novellam 111. *cap. un.* Et per Novellam 131. *cap.* 6. Item Novella 118. *cap.* 2. Corrigitur per Novellam 127. *cap.* 1. Struvius *in Syntagm. Jur. civil. Exercit.* 1. *th.* 69. Lauterbach *n prolegom. ad commentar. ff.* §. 6. *n.* 4.

Dixi compositione priores. Sunt enim Novellæ quædam tempore compositionis quidem priores, ordine verò posteriores. Sic Novella 23. antecedit compositione Novellam 20. Item Novella 50. Novellam 41. patet ex Subscriptione Consulum. *gravissima difficultas est, num Codex Digestis, & Institutionibus deroget?*

Resp. Sunt, qui velint, Codicem omninò non derogare Digestis, & Institutionibus, quam sententiam tuetur Struvius *in Syntag. Jur. Civil. Exercit.* 1. *th.* 69.

Alij teste Mauritio *de Libr. Jur. Commun. posit.* 14. Saltem 5. Constitutiones, scilicet *l.* 2. *C. de Offic. præfect. prætor. Africæ. l. fin. C. de jurejur and. propter calumn. l. fin. C. de testam. l. fin. C. de caduc. toll. l. fin. C. de legit. hæred.* utpote post Digestorum editionem, Justiniano 4. & Paulino Conss. publicatas excipiunt.

Alij cum Strauchio per 50. novas decisiones Juri Digestorum & Institutionum de-

rogari opinantur, per alias leges non item. Cognoscuntur autem hæ decisiones partim ex eo, si scilicet sunt Justiniani & diriguntur ad Joannem vel Julianum præfectum Prætorio; partim si publicatæ fuerunt Consulibus Lampadio & Oreste; vel post eorum consulatum, vel Justiniano tertiùm, vel eodem quartùm Consule cum Theodoro Paulino; partim ex eo, si continent controversiam inter veteres JCtos agitatam ab Imperatore Justiniano verò decisam, ita communiter Doctores.

Alij denique, quibus & Nos adstipulamur, contendunt, quod, ubi Codex cum Digestis & Institutis ita colliditur, ut omnis amicabilis compositio ac conciliatio desperata videatur, uti non in uno juris loco videtur, nullâ habitâ ratione, sitne constitutio una ex illis quinque, quas retulimus, Constitutionibus, an ex quinquaginta decisionibus una, tam in cathedra quàm in foro, præcipua authoritas Codicis legibus tribuenda sit. Ita Zoesius *in proœm. ad Commentar. ff. n.* 8. Wisenbach *ad l.* 2. *C. de rescind. vendit. & ff. tit. de his qui not. infam. in fin. & passim.* Carpzov. *in Jurisprud. forens. part.* 2. *Constit.* 7. *Defin.* 6. Lauterbach *in proleg. ad comment. ff.* §. 4. *n.* 11. *&* §. 8. *n.* 4. Mauritius *de Libr. Jur. commun. posit.* 14 Berger *in resolut. leg.*

ob-

obstent. in compend. Schuzio-Lauterbach tit. de adoptat. quæst. 3. Pachenstecher *in Sicilimen. ad compend. Schuzio-Lauterbach manipul. 1. n. 3. alijq; plures.*

Prob. unico sed efficaci argumento: indubitati juris est, quod lex posterior contraria priori priorem abroget per *l. ult. ff. de Constit princ.* Constit. *Cordi nobis est. §. 4. de emendat. Cod.* Sed Codex ex supra adductis integro ferè anno Digestis posterior est, inq; eo innumeræ leges Pandectarum legibus contrariantes occurrunt perlegenti, sic (ut nonnullas tantùm afferamus) Jure Digestorum matrimonium solvitur deportatione *l, 56. ff. solut. matrim.* quod correctum per *l. 1. C. de repud. & l. 24. C. de donat. inter virum & uxor.* Item si mutus aut surdus, ut liceret sibi testamentũ facere, à Principe impetraverit, valet testamentum *l. 7. ff. qui testam. fac. poss.* quod emendatũ Jure Codicis *per l. 9 C. de testament.* Itẽ liberi omnia tam adventitia quàm perfectitia bona in patris hæreditatẽ conferre debebant *l. 1. princ. ff. de collat.* secus hodie propter *l fin. C. de Col.* Liberi ut sint Legitimi, & conceptionis & partûs tempus inspicitur. *l. 11. ff. de Stat. hom.* Jure verò Codicis nonnisi partûs *l. 11. C. de Natur. libr. in l. 1. §. 1. ff. ex quib. caus. major.* annus utilis ad actionem rescissoriam movendam concessus

in

in *l. fin. C. de temp. in integ. restit.* in totum quadriennium continuum mutatus est. Per *l.* 48. *ff. de re judic.* Sententiæ tantùm latinè proferri possunt, per *l.* 12. *C. de sentent. & interlocut.* & latinè & Græcè. Jure Pandectarum pœna homicidij in vilioribus est ultimum supplicium in honestioribus deportatio *l.* 3. *§. fin. l.* 16. *ff. ad Leg. Cornel. de sicar* Jure Codicis indifferenter mors *l.* 3. *C. de Episc. Aud. &c. &c.* Ergò.

Quær. XI. *Cuinam Iuri stabitur, si aliud in libris Canonicis, aliud in Civilibus Statutum deprehenditur?*

Resp. 1. In rebus Spiritualibus, Conscientiam concernentibus, aut peccati materiam involventibus, universim ad Jus Canonicum recurrere oportet. *Cap.* 2. *de Judic. arg. art.* 13. *§. quod si. Instrum. Pac.* Gail *lib.* 1. *obs.* 141. *n.* 5. Reinkging *de Reg. Sæcul. & Eccles. lib.* 2. *cl.* 2. *cap* 7. *concluf.* 1. *n.* 11. Arthur Duck *de Vsu & Auth. Jur. Civil. lib.* 1. *cap.* 7. *§.* 12. D. D. Woller *in Quæstionibus selectis Oeniponti editis quæst.* 1. *n.* 15. Ex ratione, quia alioquin Legislator Civilis circa prædicta statuendo, limites jurisdictionis suæ egrederetur, adeoque invanùm disponeret. *L. ult. ff. de Jurisdict.*

Resp. 2. Quando Jus Canonicum & Civile

se in materia prophana inter se repugnant, quodvis in suo foro servandum est. Reinkging *dict. lib. 2. class. 2. cap. 7. concluf. 5. n. 16.* Arthur. Duck *dict. lib. 1. cap 7 n. 11.* Lauterbach *in Prolegom. ad Comment ff. §. 9. n. 15.* D. D. VVoller *dict. quæst. 1. n. 16.* Patet inde, quia Legum Civilium ferendarum potestas in ordine suo suprema est. Si proinde Legislator sæcularis in materia sibi subjecta absque peccati periculo quidquam statuit, validè & licitè id statuit, S. Pontificis censurâ nullum sibi desuper locum vendicante.

Resp. 3. Si casus Jure Civili omninò non, vel ambiguè & obscurè positus est, Jure Canonico verò el arè expeditus, ejus dijudicatio in utroque foro ex Jure Canonico petenda erit, & vice versâ, *sicut enim leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum Canonum Statuta Principum Constitutionibus adjuvantur. Cap. 1. de Nov. Op. Nunt.* Gail *lib. 2. obs. 121. n. 5.* Reinkging *dict. lib. 2. class. 2. cap. 7. concluf. 2. & 3. n. 13. & 14.* Arthur. Duck *dict. lib. 1, cap. 7. §. 11.* D. D. VVoller *d. l. n. 15.*

Quær,

Quær. XII. *An Controversiæ Iuris publici ex Jure Iustinianeo definiri queant, sive an Ius Iustinianeum etiam publicis negotiis expediendis applicari possit?*

Antequam respondeam

PRæmitto, non esse hunc sensum quæstionis propositæ, utrùm controversiæ circa Rempublicam Romano-Germanicam, ejusque rationem Statûs immediatè versantes ex Jure publico Justinianeo decidendæ, sieq; moderna Imperii facies ex statu antiqno Imperii Romani delineanda sit, cum enim forma antiqua Imperii sic temporum vicissitudine, sic ratione Statûs exigente plurimâ ex parte interversa sit, lanam de asino vellere vellet, qui Reipublicæ Romanæ, & hodiernæ Germanicæ Statum eâdem Juris Justinianei decempedâ metiri vellet. Vide Conring *in dissert. special. de Iur. publ. Iustin. in Germania authorit.* Sed genuinus quæstionis nostræ Status est, *utrùm ad controversias inter Imperii Ordines circa territoria, superioritatem territorialem, Iurisdictionem exortas dijudicandas Iura Iustinianea privata adhiberi queant?*

Resp. Affirmativè. Quamvis enim Principes Imperii Respectu suorum subditorum publicam personam sustineant; respectu tamen Imperatoris, & totius Imperii, unde

unde regalis dignitas, quam possident, dependet, pro privatis habendi sint, ut in simili civitates respectu Romæ olim censebantur loco privatorum *l. 6. ff. de V. S.* Paurmeister *de Jurisdiction. Imper. Roman. lib. 1. cap. 29. n. 13.* Quoniam igitur Principes (idem dixeris de Civitatibus Imperialibus Nobilibus Imperii immediatis) in ordine ad totum Imperium considerati pro privatis habentur, necessariò sequitur, jura etiam privatorum eâdem ratione eis accommodanda esse. Si proinde Principis cujusdam Imperii territorium ab altero iniquè detinetur, Princeps ad illud consequendum, sicut privatus ad rem suam privatam recipiendam utili rei vindicatione experietur, quia in eo, tanquam feudo Imperii, utile dominium obtinet. Si cui Principum in alieno territorio forte jus sequelæ, aperturæ, vel jus colligendi, conducendi, Imperium merum, jus venandi, aliavè jura competunt, quod in Imperio nostro non infrequens est, isque in horum Jurium exercitio turbatur vel impeditur, tum sicut privatus in servitutibus ita Princeps in Juribus hisce vindicandis actione confessoriâ adversus turbantes vel impedientes utetur. Si plures Principes regionem divisioni obnoxiam pro indiviso possident, ac unus alterve ulteriùs in commu-

nione stare non vult, actio familiæ herciscundæ, vel communi dividundo ad manus est, vi quarum actionum socii reliqui etiam reluctantes ad divisionem cogi possunt. *L. 8. pr. ff. Commun. divid.* Si circa limites duarum provinciarum confinium lites ortæ fuerint, Judex in ejusmodi finalibus controversijs ex præscripto legum privatarum procedet. Custodiet nimirum antiquos limites, quos vel natura, vel industria humana posuit, ubi evidentes sunt, vel si obfuscati, indagabit antiqua monumenta *l. 11. in fin. ff. fin. regund.* Communem circumcolentium existimationem *arg. l. 1. ff. de flum.* ac id genus alia varia adminicula, de quibus vide Gail. *2. obs. 62. n. 11.* Sicq; turbatos fines restituet, aut si nulla veterum limitum vestigia apparent, nec probari possunt, Ipse ex consilio agrimensorum novos fines constituet. *l. 8. §. fin. ff. fin. regund. l. 3. C. eod.* verbo, idem ejus officium est, quod Judicis in privatorum finibus regundis, ceu videre est, apud Mynsingerum, qui *cent. 6. obs. 25. 26. & 27.* explicat, quid Camera Imperialis in finali controversia inter Episcopum Herbipolensem, & Abbatem Fuldensẽ constituerit. Si possessorium Judicium circa superioritatem territorialem instituitur, tum quemadmodum rerum privatarum possessio per actus possesso-

sorios probatur; ut si quis ostendat se arâsse, sementem jecisse, fructus percepisse, locâsse fundum, recepisse pensionem, probavit possessionem fundi. Mascardus *de probation. conclus.* 1184. *& aliquot seq.* Sic & superioritatis territorialis quasi possessio non aliunde ostenditur, quàm ex exercitio actuum particularium ad eam pertinentium, cujusmodi sunt homagium recipere, tributa indicere, leges & edicta promulgare, privilegia impertire, Magistratus constituere, Jus dicere &c. &c. Adde omninò Ludolphum Hugonem *de Statu Region. Germanic.* ubi argumentum hoc *in cap.* 6. *per totum* fusissimè prosequitur.

At videor jam satis obambulâsse Jurisprudentiæ littus, ipsam, hoc est altum ejus pelagus ingredi oportet. Igitur

Littore deserto navis jactetur in altum,
Tu verò alma Themis gratis Rege carbasa ventis,

LIBER I.

DISSERTATIO I.

De

JUSTITIA & JURE.

SECTIO I.

De Jure sive Jurisprudentia.

§. I.

De Definitione Jurisprudentiæ.

DEfinitur Jurisprudentia, quod sit scientia practica versans circa actiones humanas justas. Ita D. D. Balthasar Braun *in Jurisprud. in genere & specie part. 1. cap. 1 § 5. n. 6.* D. D. Gletle *in Jurisprud. fundament. lib. 1. tit. 1. cap. 3. §. 5 n. 1* D. D. Franz *in Prodrom. Justin. lib. 1. tit. 1 part. 1 §. 3. n. ult.* cum qua definitione tamen reapte coincidunt illa JCti Celsi *in l. 1. pr. ff. de Iustit. & Iur. est ars boni & æqui.* & illa JCti Ulpiani *in l. 10. §. 2. ff. eod. est divina*

vinarum atque humanarum rerum notitia, justi, & injusti scientia.

Dixi 1. *Scientia* Ita mecum D. D. Braun *in Iurisprud. in gen. & spec. part.* 1. *cap.* 1. § 3. *n.* 10. D. D. Gletle *in Iurisprud. fundament. lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. §. 10. *n.* 24. D. D. Sommeting *in Introduct. in Ius univers. lib.* 1. *tit.* 1. *part.* 2. §. 3. *n.* 19. D. D. Franz *dict. lib.* 1. *tit.* 1. *part.* 1. §. 2. *n.* 6.

Probatur Assertio 1. De Jurisprudentia naturali: Scientia est, quæ conclusiones suas certò & evidenter demonstrat. Atqui hoc præstat Jurisprudentia naturalis. Meritò proinde scientiæ elogio decoranda venit. Minor probatur: Conclusiones Jurisprudentiæ naturalis sunt v. g. hæ: *Deus est colendus: Parentes sunt honorandi.* &c, Item *nulli bona sua absque prægnanti causa auffe-renda sunt: Injuriæ nemini irrogandæ &c.* Similiter: *Fructus ex re aliena percepti sunt restituendi: lucra injustè extorta reddenda &c.* Atqui has & sexcentas alias conclusiones Jurisprudentia naturalis certò & evidenter demonstrat; & quidem primi generis per immotum principium, quia honestum est faciendum: Secundi generis per principium itidem infallibile, quia alter non est lædend⁹: Tertii generis per principium æq; certum ac irrefragabile, quia suum cuiq; tribuendum.

Probatur 2. De Jurisprudentia positiva in genere. Nam & hæc demonstrativè cognoscit, actionem humanam v. g. esse justam, quia est conformis legibus: Injustam, quia iisdem est difformis. Esse illicitam, quia facta est contra legem prohibentem: invalidam, quia est elicita contrà legem irritantem. Esse & validam & licitam, quia nec contra legem irritantem, nec prohibentem emanavit, &c. Et hæc omnia demonstrat ultimatè ex jure naturali, quatenus sunt vel secundùm hoc jus, vel præter illud, vel saltem eidem non contraria.

Prob. 3. in specie de Jurisprudentia Romana per textum expressum *in* §. 3. *&* §. 4. *Proœm Inst. l* 10. § 2. *ff. de J. & J. l.* 2. §. 35. *ff. de Orig. Jur.* Ubi Jurisprudentia hæc appellatur scientia legum, scientia legitima, justi & injusti scientia, juris civilis scientia.

Dixi 2. *Practica*, ita rursus mecum sentiunt Struvius *in Syntagm. Jur. Civil. Exercit.* 1. *th* 9. Bechmann *Exercit.* 1. *ad ff. in princ.* Eckolt *ad Tit de J. & J.* §. 1. D. D. Braun *d. part* 1. *cap.* 2. § 1.

Prob. Scientia simpliciter practica est, quæ ex fine suo intrinseco tendit ad efficiendum objectum suum cognitum; at talis est Jurisprudentia, ipsa enim facit objectum suum, puta actiones humanas justas, dum eas diri-

dirigit per leges suas, tanquam per regulas, ut fiant conformes præscripto Juris, sicque factas conservat, perperam factas ad debitam cum Jure conformitatem reducit. Ergo.

Dixi 3. *Versans circa actiones humanas justas.* Et hæc vicem differentiæ subeunt, patebuntque ex sequentibus.

Suaviùs, præcipuè ad palatum eorum, qui ex litibus tanquam ex quatuor elementis victitant, Jurisprudentiam descripsit Baldus noster, dum alicubi scripsit, quod sit *Ars deferens. sal & piper in culinam.*

§. II.

De Divisione Jurisprudentiæ.

Dividitur 1. Jurisprudentia in naturalem & positivam. Naturalis est, quæ Juri naturali: positiva, quæ Juri positivo actiones humanas conformare intendit. Abit positiva ulteriùs in tot species, quot sunt universim Jura positiva, ita ut alia sit divina, alia humana. Humana rursus Canonica, Gentium & Civilis. Civilis denuò vel Romana, vel Romano-Germanica, vel Gallica, vel Hispanica &c. In qua verò industria

stria nostra deinceps versatura sit, frons opusculi hujus jam explicavit.

Dividitur 2. Jurisprudentia (divisione scilicet ab extrinseco desumptâ, ex fine enim intrinseco scientia nostra simpliciter practica est) in theoricam & practicam. Theorica est, quæ sistit in solâ legum cognitione, non transferendo eas ad facta particularia hominum; practica, quæ leges rectè cognitas ad singularia hominum negotia pro re natâ applicat. Hinc

Infer 1. Ad Theoriam Juris pertinere v. g. Jus ex arte interpretari, in id commentari, de eo disputare, ejus historiam, occasiones, causas &c. habere perspecta; ad praxin contrà cognoscere & dirimere lites, quod est Judicum; Jus & consilium suggerere Judici, quod est Assessorum: patrocinari Clientibus, quod est Advocatorum: Consulentibus de Jure respondere, quod est JCtorum. Ita Mauritius in Introduct. ad praxin forens. th. 3. D. D. Balthasar Braun *in Jurisprud. in gen. & spec. part. 2. cap. un. §. 3. n. 4.* D. D. Gletle *in Jurisprud. fundament. tit. 1. cap. 4. §. 6. n. 1.*

Infer 2. Differre Theoriam à praxi, velut differt cognitio Juris ab usu illius. Illa scilicet Jus in thesi considerat, abstrahendo à factis hominum particularibus; Hæc descen-

scendit ad hypotheses, seu casus singulares, ac individuos, iisque Jus applicat. Illa tantùm circa Jus; Hæc circa Jus & factum simul versatur. Illam præcepta occupant; Hanc exempla. Illa memoriâ & ingenio potissimùm perficitur; Hæc præcipuè Judicio, quamvis utrobiq; judicio locum esse negari nequeat. Mauritius *dict. th.* 3. D. D. Braun *dict.* §. 3. *n.* 5. D. D. Gletle *dict.* §. 6. *n.* 1.

Infer 3. Licet esse possit sine usu cognitio Juris, verissimum tamen esse illud Pinelli alicubi scribentis, theoriam sine praxi digestam, solidamque Jutis cognitionem præstare non posse. Adstipulatur Baldus *in l.* 38. *ff de minor.* ubi inquit: *Practica est scientia legum digestiva.* Et paulò ante: *Leges in scholis deglutiuntur, in palatiis verò digeruntur.* Et deinceps: *Tunc Leges sapiunt, quando practicantur.* Praxis autem sine theoria penitùs nulla esse potest. Cum enim Praxis nil sit, nisi applicatio Juris ad factum, ac conjunctio quæstionis facti cum Jure, quomodo applicabit? quomodo conjunget, qui eorum, quæ conjungere debet, nil rectè intelligit? Mauritius *dict. Introduct. ad prax. for. th.* 5. D. D. Braun *dict.* §. 3. *n.* 6. D. D. Gletle *dict.* §. 6. *n.* 2. & 3.

Infer 4. Theoriam & Praxin simul junctam absolvere Jurisperitum. Ita Ulpianus

statim in ipso Pandectarum limine, inquiens, *JCtos non boni solùm & æqui notitiam profiteri, sed & æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito discernere. l.* 1. §. 1. *ff. de J. & J.* Frequentissimè in ore est Cæsaris illud: *Usus est omnium rerum optimus Magister.* Et Ciceronis dictum est, *nec Medicos, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quicquam magnâ laude dignum sine usu & exercitatione consequi posse.* Scilicet *natura Potentem facit, ars facilem, usus perfectum Artificem.* Ita rursus Mauritius *dict. th.* 3. D. D. Braun. *dict.* §. 3, *n.* 6.

§. III.

De Objecto Jurisprudentiæ.

Objectum Jurisprudentiæ duplex est, materiale & formale. Materiale iterum vel proximum, vel remotum.

Objectum materiale proximum Jurisprudentiæ sunt actiones & negotia humana. Struvius *in Syntagm. Jur. Civ. Exercit.* 1. *th.* 41. Lauterbach *in comment. ad ff. tit. de J. & J. th.* 19. D. D. Braun *in Iurisprud. in gen. & spec part.* 1. *cap.* 1. §. 4 *n.* 5. *&* 6. D. D. Gletle *in Iurisprud. fundament. tit.* 1, *cap.* 2, §. 3. *n.* 2.

Prob.

Prob. Illud est objectum materiale proximum Jurisprudentiæ, quod illa proximè dirigit per suas leges, ac in quod ipsa introducit suum objectum formale: atque Jurisprudentia per leges suas proximè dirigit actiones humanas, leges enim nil sunt, nisi regulæ actionum humanarum, ac in eas inducit objectum suum formale, nempe justitiam, ut quæ intrinsecus & proximè intentus Jurisprudentiæ Finis est. Ergo.

Objectum materiale, remotum Jurisprudentiæ sunt res divinæ & humanæ. Ita D. D. Braun *dict. cap.* 1. §. 4. *n.* 4. D. D. Gletle *dict.* §. 3. *n.* 1 D. D. Franz *in prodrom. Justin. lib.* 1. *tit.* 1. *part.* 1. §. 3. *n.* 12.

Prob. Illud est objectum materiale remotum Jurisprudentiæ, circa quod versatur ejus objectum materiale proximum. Atqui circa res divinas & humanas versatur objectum materiale proximum Jurisprudentiæ, nempe actiones divinæ & humanæ. Ergo.

Objectum formale Jurisprudentiæ est Justitia actualis imperata, sive conformitas actionum humanarum cum præscripto legum D. ab Andler *in Medul. Instit. tit. de J. & J. n.* 9. Struvius *dict. Exercit.* 1 *th.* 41. D. D. Braun *dict. cap.* 1. §. 5. *n.* 2. D. D. Gletle *dict. tit.* 1. *cap.* 2. §. 3. *n.* 3. D. D. Franz, *dict. lib.* 1, *tit.* 1, *part.* 1, § 3. *n.* 13.

Prob.

Prob. Illud est objectum formale Jurisprudentiæ, quod illa unicè intendit introducere in objectum suum materiale proximum. Sed Jurisprudentia unicè intendit in actiones humanas introducere Justitiam, cum hæc illius proximus & intrinsecus Finis sit ex mox dicendis, Ergo.

§. IV.

De Fine Jurisprudentiæ.

Finis Jurisprudentiæ duplex est, proximus & remotus.

Finis Jurisprudentiæ proximus, intrinsecus & per se intentus est Justitia, sive conformitas actionum humanarum cum præscripto legum. D. D. Braun *dict. cap.* 1. §. 6. *n.* 1. *&* 2. D. D. Gletle *dict. cap.* 2. §. 2. *n.* 1. D. D. Franz *dict. lib.* 1. *tit.* 1. *part.* 1. §. 3. *n.* 15.

Prob. 1. Jurisprudentia ad eundem finem tendit, ad quem tendunt leges, quibus utitur tanquam principiis domesticis, quia quem finem respiciunt media, eundem quoque respicit scientia, quæ iisdem utitur. Sed finis proximus legum est Justitia sive conformitas actionum humanarum cum præscripto legum, ideo enim feruntur leges, ut actiones humanæ iisdem conformentur. Ergo.

Prob.

Prob. 2. Finis intrinsecus disciplinæ practicæ is censetur, ad quem habitus per regulas suas intrinsecè ordinatur, ac quo obtento acquiescit. Sed Jurisprudentia per regulas suas intrinsecè ordinatur ad Justitiam, cum Jurisprudentiæ regulæ non sint, nisi præcepta quædam Justitiæ, eâque obtentâ quiescit. Ergo.

Quær. *An tantùm Justitia particularis sit Finis intrinsecus Jurisprudentiæ, an verò etiam universalis sive legalis?*

R. *Esp.* Esse etiam universalem, sive legalem. ita Lauterbach *in Commentar. ff. tit. de J. & J. th.* 13. D. D. Petschacher *tract. de LL. quæst.* 4. *art.* 8. §. 1. D. D. Gletle *in Iurisprud. fundament. tit.* 1. *cap.* 2. §. 2. *n.* 2.

Prob. Finis Jurisprudentiæ civilis est idem, ac legum civilium; sed finis legum civilium est etiam Justitia universalis, quia non tantùm de Justitia particulari, sed & de aliis virtutibus in Legislatione Romanâ frequentissimè statutum deprehendes, ut de vera religione in Deum *t. t. C. de Hæretic. & Apostat.* de Dei Festorumque cultu *t. t. ff. & C. de Feriis*, de urbanitate & moderatione animi *l.* 19. *ff. de Offic. præsid.* de reverentia erga Paren-

rentes *l. 6. ff. de in jus vocand.* De candore mentis *t. t. ff. & C. de dol. mal.* De Innocentia morum *t. t. ff. ad SCtum Macedonianum.* De Verecundia *l. 1. §. 5. ff. de Postul.* De Castitate *l. 5. ff. ubi Pupill. educ. deb.* De gratitudine *l. 2. C. de Libert. & eor. Libert.* De continentia *l. 31. C. ad Leg. Iul. de adult.* De honestate morum *l. 1. l. 2. §. ult. ff. de his qui not. in fam.* De Sobrietate *l. ult. ff. de aliment. legat.* De Veracitate *l. 2. ff. de Test.* De Fortitudine *t. t. ff. de Re militar.* De perseverantia & Diligentia *l. 6. §. fin ff. de Negot. gest.* De Beneficentia *l. 7 ff. de Serv. exportand.* De gravitate *l. 2. §. 31 ff. de Orig. Iur.* &c. &c.

Confirm. Finis Jurisprudentiæ civilis ultimatus est vera felicitas civitatis politicæ per mox probanda, hæc autē obtineri non potest per solam observantiam Justitiæ particularis, sed insuper pleræq; virtutes morales in communitate floreant, necesse est. Si enim cives diversā religione imbuti inter se discordant, internis motibus concussa reipublicæ navis fluctuabit. Si in venerem illicitam populus exæstuat, frangetur corporum animorumque vigor, ac propagatio humani generis contabescet. Si prodigè sua dilapidant subditi, egestate laborabit Respublica. Si fortitudo exulat, furori hostium cedet imbellis patria &c. Ergo.

Finis

Finis remotus Jurisprudentiæ est beatitudo civium & Reipublicæ temporalis, atq; politica felicitas. D. D. Braun *dict.* §. 6. *n.* 3. D. D. Gletle *dict.* §. 2, *n.* 5.

Prob. Finis remotus alicujus disciplinæ is censetur, quæ ad Finem proximum per se consequitur, sed ad Justitiam tanquam Finem proximum Jurisprudentiæ consequitur salus & beatitudo civium totiusq; reipublicæ temporalis atque politica. Quia si omnes vivunt conformiter legibus, non potest non Pax & Felicitas Reipublicæ consurgere. ut hâc pulchrâ gradatione explicat Numericus Stoicus: *Dei opus Rex est, Lex Regis, Legis Justitia, Justitiæ Felicitas.*

§. V.

De Differentia specifica Jurisprudentiæ ab aliis scientiis affinitate eidem conjunctis.

Differentia specifica Jurisprudentiæ ab aliis scientiis ipsi affinibus consistit in eo, quod Jurisprudentia versetur circa actiones humanas naturales (scilicet quatenus hæ supernaturalibus opponuntur) Juri civili conformandas in ordine ad Civium, totiusque Reipublicæ Felicitatem. Hinc

Infer 1. Jurisprudentiam differre ab Ethica

ca in eo, quod hæc versetur circa actiones humanas rectæ rationi conformandas, in ordine ad beatitudinem naturalem & privatam, quæ in honestate vitæ consistit, procurandam.

Infer 2. A Theologia Morali in eo, quod hæc versetur circa actiones non naturales tantùm, sed & supernaturales legibus Christianis conformandas, in ordine ad beatitudinem supernaturalem, quæ in fruitione & possessione Dei consistit, obtinendam.

Infer 3. A Jurisprudentia Canonica in eo, quod hæc versetur circa actiones hominum Juri Canonico conformandas, in ordine ad felicitatem Reipublicæ Ecclesiasticæ indirectè & felicitatem supernaturalem directè consequendam.

Infer 4. Jurisprudentiam publicam & privatam inter se discriminari in eo, quod publica versetur circa actiones humanas publicas Juri publico Romano-Germanico conformandas immediatè ad felicitatem totius communitatis: privata verò circa actiones humanas privatas Juri Civili privato conformandas, immediatè in ordine ad felicitatem privatorum promovendam. Adde D. D. Braun *in Jurisprud in gen. & spec part.* 1. *cap.* 1. §. 6. *n.* 3. D. D. Gletle *in Jurisprud. fundament. tit.* 1. *cap.* 2. §. 4. *per tot.*

§. VI.

§. VI.

De Speciebus Jurisprudentiæ Spuriæ.

Species Jurisprudentiæ Spuriæ sunt potissimùm Jurisprudentia formularia, historica, empirica, exlex, & rabularia.

Formularia est, quæ de Jure non anxia, circa solennes rerum agendarum formulas ac processuum Cæremonias solummodò occupata est. Praxis hæc quamvis non omninò contemnenda veniat, de verè tamen praxeos ratione non participat, sed velut mera famula eidem duntaxat ancillatur. *Hinc meritò* (ut utar verbis subtilissimi D. D. Gletle *dict. tit. 1. cap. 4. §. 6. n. 11.*) *illos rideas, qui, ut praxin Juris addiscant, neglecto legum studio, Procuratores, Actuarios, Scribas, aut nescio, quos alios supparis farinæ socios accedunt, ac, ubi multas rerum agendarum formulas didicerint, in praxi Juris splendidissimè sese profeciſſe autumant, in nulla re minùs, quàm in hac, versati, & aptiores, qui ferulam in gloriâ manu regant, ac in formandis characteribus elementariam juventutem imbuant, quàm qui causas forenses pertractent.*

Historica est, cum quis leges hactenus tantùm perspectas habet, ut nôrit, quid iisdem cautum sit, absque hoc, quod sciat earum origines, unde deducendæ sint, occa-

siones, cur emanârint; ac causas, quibus innitantur; quomodo conclusiones particulares ad principia universalia reducendæ sint, decisiones ex genuinis rationibus eliciendæ, leges ad singularia hominum negotia debitè applicandæ pro obtinenda eorum justitiâ. Quæ res cum ultra nudæ historices notitiam non sapiat, nobili Jurisprudentiæ encomio mactari nequit, siquidem, ut rectè Celsus ait *in l. 17 ff. de LL scire leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem.* Id est, genuinum legum sensum, earumq; rectum usum in applicatione ad actiones humanas.

Empirica est, cum quis non certò & evidenter per causas. ut scientiæ natura desiderat, Jurisprudentiam addidicit, sed ex variis rebus judicatis quandam sibi notitiam acquisivit, quid in hoc illovè casu obtineat, absque eo, quod vim juris, applicationisque causas intelligat, Agyrtarum adinstar, qui quidem aliquot medicamentorum vires experientiâ dedicêre, causas verò operandi ignorant, idq; cum magno justitiæ vulnere; ac Judicum superiorum molestia, ut qui ob frequentes à primis instantiis ad se devolutas querelas, nullitates, ac rescissiones non rarò inquietantur. Neque video, quomodo res hæc in illis potissimùm locis, ubi JC-

to-

torum copia habetur, uti hodie passim habetur, facilè excusari possit.

Exlex eorum est, qui neglectâ legum civilium authoritate toto nisu in id intenti sunt, ut potiùs ex naturali hominum judicio, quàm ex legum civilium placitis causæ forenses decidantur, sed hi oppidò falsi sunt, qui solùm hominis judicium ad justa ab injustis secernenda, ac proinde ad contravertentium lites dirimendas sufficere existimant. Cum enim crisis ista privata, teste experientiâ, passionibus, erroribus, ac falsitatibus obnoxia sit, non possunt ei tutò committi fata litigantium, sed publicum, ac à prædictis vitiis remotum judicium, quale legum est, detur, oportet, ut ad illud velut ad Lydium lapidem causæ forenses examinentur, ac examinatæ determinentur.

Rabularia denique eorum est, qui etsi sufficienti Jurium notitiâ instructi sint, eâ tamen studio perversè abutuntur, fingendo, torquendo, rapiendo leges ad sensum sibi commodum & lucrosum, ideoque leges luculentissimas sinistræ interpretationis caligine involvunt, causas sordidissimas æquitatis fuco inaurant, ac ipsum Jus in tutelam iniquitatis adarmant, non absque summa castissimæ Jurisprudentiæ prostitutione, & his rectè adaptaveris passim, quamvis sæpiùs

immeritò, vibrata in Juristas dicteria, quod scilicet sint venale genus, pecuniarum accipitres, togati vultures, in fallendo vulpes, in accipiendo harpyæ, in devorandis civium bonis Minotauri, Mangones justitiæ, Jurgistæ non Juristæ, legum dolores, non Doctores &c. Digniſſimi, qui è totâ Republica literaria pœnali decreto proſcripti quàm longiſſimè banniantur. Adde omninò D. D. Braun *dict. part. 2. cap. un. §. 2. n. 7.* D. D. Gletle *dict. cap. 4. §. 6. n. 4. & ſeq. & part. 1. ſelect. quæſt. 26.* Ubi vivacioribus coloribus perſonatas has JCtorum larvas depictas deprehendes.

SECTIO II.

DE JUSTITIA.

§. I.

De Definitione & Divisione Justitiæ.

Juſtitia propriè & rigoroſè accepta definitur ab Ulpiano *in l. 10 ff de Juſtit. & Jur. quod ſit conſtans & perpetua voluntas Jus ſuum cuique tribuendi.* Et hanc definitionem eſſe receptam ab omnibus Theologis, Juriſtis & Philoſophis moralibus teſtatur Haunold *de J. & J. tom. 1. tract. 2. cap. 1. contr. 2. §. 1. n. 15.*

Ità

Dicitur 1. *Voluntas*, non per prædicationem identicam, siquidem Justitia non est ipsa potentia volitiva, sed per prædicationem causalem, quia Justitia est habitus faciens voluntatem firmam ac stabilem in proposito juste operandi Lessius *dt J. & J. lib* 2. *cap.* 1. *dubit.* 1. *n.* 2. Laymann *in Theol. Moral. lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 3. *in pr.* Haunold *d. tom.* 1 *tr.* 2. *cap.* 1. *contr.* 2. §. 1. *n* 15. D. D. Schrenck *in tract. Theol. de J. & J. disp.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. *n.* 2.

Dicitur 2. *Constans*. Id est firma & superativa difficultatum pugnantium adversus actus Justitiæ: id enim est de ratione cujusque virtutis, ut sit firmum & habituale propositum circa materiam sibi propriam perseveranter agendi. Jlsung *in Theolog. pract. univers. tract.* 4. *Disput.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1 *n.* 1. D. D. Schrenck *d. quæst.* 1. *art* 1. *n.* 2. Reiffenstuel *in Theolog. moral. tract.* 7. *distinct.* 2. *quæst.* 1. *n* 3.

Dicitur 3. *perpetua*, quia Justitia debet velle perpetuam indemnitatem juris alieni, vel quia debet continere propositum universale, habituale scilicet, nullo unquam tempore, nec in ulla re deserendi rectitudinem sibi propriam Lessius *de J. & J. lib.* 2. *cap.* 1. *dubit.* 1. *n.* 2. Jlsung *dict. tr.* 4. *Disp.* 2. *quæst.* 1. *art.* 1. *n.* 1. D. D. Schrenck *dict. quæst.* 1. *art.* 1. *n.* 2.

D.D. Babenstuber *in Tract. de Iust. & Iur. part. 3. cap. 1 art. 1. n. 1.*

Dicitur 4. Jus suum. Et hoc est objectum Iustitiæ, à quo illa specificatur, & formaliter distinguitur ab omni alia virtute. Intelligitur autem hìc per jus, non jus activum, id enim Iustitia non tribuit, sed necessariò supponit in altero, cui debet fieri tributio Iuris, sed jus passivum, seu debitum rigorosum, quod ut intelligatur exactiùs, præmittere placuit definitionem juris rigorosi activi, quam sic concipio, Ius rigorosum activum est potestas liberè alios obligandi ad actionem aliquam ponendam vel omittendam vel non impediendam principaliter in nostrum commodum. Ita ferè Haunold *d. tom. 3. tract. 2. cap. 1. contr. 2. §. 6. n. 43.* Jlsung *dict. tract. 4. disp. 2. quæst. 1. art. 1. n. 2.* D. D. Gletle *in Iurisprud. fund. tit. 1. cap. 5. §. 2. n. 3.* Duo itaque requiruntur ad jus activum. 1. Ut principaliter respiciat commodum nostrum. Hinc potestas ferendarum legum non sapit naturam juris activi, quia non legislatoris sed communitatis utilitatem principaliter respicit. Contra potestas, quâ te ex promisso, empto, mutuo &c. Obstrictum teneo ad solvendos mille, principaliter respicit meam utilitatem, quia absque omni tuo commodo, ex motivo purissimi mei

mei placiti teneris mihi solvere summam v. g. promissam. 2. Requiritur, ut pendeat ex libera voluntate nostra, ita ut suâpte naturâ à nobis cedi, dimittique possit. Hinc jus, quo Pater filium obstrictum tenet ad opera pietatis, non est activum, quia non pendet ex arbitrio & voluntate patris, cùm efficere pater nequeat, ne obligatione pietatis filius distringatur. Contrà in pupillos, prodigos, ac personas id genus alias cadit verum jus activum, quod licet de facto cedere non possint, sufficit tamen, quod jura, quæ obtinent circa res suas, suâpte naturâ cessionem admittant, ac tutore saltem authore, in cujus voluntatem, sic ordinante jure, voluntas memoratarum personarum est transfusa, cedi dimittique possit. Hoc præmisso, facile constat, quod jus passivum, debitum rigorosum, sive terminus juris activi sit actio vel omissio, vel non impeditio actionis præstanda ab eo, qui alteri ex præciso ejus beneplacito obligatur. Haunold *d. Contr.* 2. §. 2. *n.* 43. D.D. Franz *in Prodrom. Iustin. lib.* I. *tit.* I. *part.* 2. §. 3. *n.* 6.

Dicitur 5. *cuiq;*, intellige, habenti Jus activum rigorosum, & qui perfectè alius est ab eo, qui debet. Hinc inter patrem & filium, Dominum & servum, maritum & uxorem, quà tales non intercedit Justitia strictè

dicta ob defectum sufficientis alteritatis, sed pietas; obedientia &c. Confer tamen Modinam *de J. & J. tom. 1. tract. 1. disp. 7.* Laymann *in Theolog. moral. lib. 3. tr. 1. cap. 3. n. 2. 3. & 4.* Lessium *de J. & J. d. l. 2. cap. 1. dub. 1. n. 6.* Haunold *d. tom. 1. tract. 2. cap. 1. contr. 4. per tot.*

Dicitur 6. tribuendi. Fit autem hæc tributio agendo, omittendo, vel non impediendo id, ad quod agendum, omittendum, vel non impediendum quis alteri obligatus est in merum commodum & beneplacitum obligantis. D. D. Franz *d. §. 3. n. 8.* ex hactenus dictis.

Infer 1. Sensum legitimum expositæ definitionis hunc esse, quod Justitia scilicet propriè & rigorosè accepta sit virtus moralis inclinans voluntatem ad ponendam, vel omittendam, vel non impediendam actionem, ad quam ponendam vel omittendam, vel non impediendam alter habet jus activum rigorosum.

Infer 2. Differentias Justitiæ strictè talis ab omni alia virtute. Sic quia virtus moralis est. Differt 1. A virtutibus intellectualibus, quod illa in voluntate; hæ verò in intellectu subjectentur. 2. A virtutibus voluntatis, quod harum aliquæ non sint ad alterum, ut temperantia, fortitudo, patientia, &c. Justitia

stitia verò essentialiter tendat ad alterum. 3. Rursus à virtutibus voluntatis aliis ad alterum tendentibus, quod aliquæ ex illis ordinentur quidem ad alterum non tamen respiciant Jus in eo; uti gratitudo; aliæ etiam in altero respiciant Jus, sed non rigorosum, uti est religio in Deum; pietas in parentes & patriam; obedientia ergo superiores &c. Justitia verò respiciat Jus & quidem rigorosum in obligante. Adde omninò Lessium *dict. cap. 1. dubit. 1. n. 3. 4. 5. & 6.*

Dividitur Justitia communiter in quatuor partes scilicet in commutativam, distributivam, legalem, & vindicativam, non quidem divisione generis in species, sed tantùm analogi in analogata, cum sola Justitia commutativa sit propriè dicta Justitia, ex mox dicendis.

§. II.

De Justitia Commutativa.

JUstitia commutativa sic dicta, quia ejus frequentius officium est regere, ac corrigere commutationes hominum, definitur, quod sit Justitia inclinans privatum vel quasi ad tribuendum debitum privato, vel quasi.

Dicitur 1. *Justitia*, & quidem pro primissimè. Ita Laymann *d. lib. 3. tract. 1. cap. 4. n. 1.*

Haunold *d. tr. 2. cap. 1. contr. 1. n. 5.* Illsung *d. tr. 4. disp. 2. quæst. 1. art. 2. n. 3.* Ex ratione, quia habet omnes conditiones requisitas ad conceptum Justitiæ rigorosæ, ut est 1. Quod respiciat perfectam alteritatem, cum sit inter privatas personas, civem & civem, inter quos nulla est identitas vel subordinatio. Quodsi aliquando exercetur inter communitatem & partem, vel inter ipsas communitates, tum hæ habentur pro privatis. 2. Quod respiciat debitum strictè dictum fundatum in Jure rigoroso alterius reali vel personali. 3. Quod intendat ponere perfectam æqualitatem rei cum re, dati cum accepto, debiti cum credito. Ergo.

Infer hanc solam Justitiam, si violata fuerit, obligare ad restitutionem, quæ obligatio ita efficax est, ut stando in jure naturæ ex ea quis conveniri, ac ad solvendum compelli possit. Ita omnes tum Theologi, tum JCti.

Dicitur 2. *Inclinans privatum vel quasi.* Ubi per privatum intelligitur persona particularis accepta sine ordine ad communitatem aliquam; per quasi privatum verò Respublica vel communitas, quæ exercendo actum Justitiæ commutativæ habetur instar privati.

Dici-

Dicitur 3. *Ad tribuendum debitum*, Intelligе rigorosum & strictè dictum.

Dicitur 4. *Privato vel quasi*, quæ particulæ jam satis colliguntur ex jam dictis.

§. III.

De Justitia Distributiva.

JUstitia distributiva sic appellata ab officio vel actu, quem frequentiùs exercet, qui est distributio bonorum communitatis, quà talis, inter partes, quà tales, definitur, quod sit Justitia inclinans communitatem, sive eum, qui præest communitati ad distribuenda munera & præmia inter digniora Reipublicæ membra.

Dicitur 1. *Justitia*

Quær. *An sit propriè dicta Justitia?*

Resp. Negativè. Ita Laymann *dict. cap.* 4. *n.* 1. Illung *dict. art.* 2. *n.* 3. Rosmer *in eleganti libello de* J. & J. *cap.* 1. *n.* 3. Haunold *dict. tr.* 2. *cap.* 1. *contr.* 1. *n.* 5.

Probatur de ratione Justitiæ strictè dictæ est, ut intercedat inter duo supposita perfectè & adæquatè distincta, ac insuper in uno supponat Jus rigorosum, & æquale debitum in altero. Ast hæc non sunt in Justitia distributi-

butiva; non prius; quia pars communitatis habens Jus ad munia & præmia communitatis tantùm inadæquatè à communitate, scilicet tanquam pars à toto distincta est; non posterius; quia jus, quod habent cives ad bona communia non est rigorosum, cùm non principaliter eorum, sed totius communitatis emolumentum respiciat, nec ab iis, salvo manente nexu inter partes & totum cedi, dimittique possit. Hinc

Infer Justitiam distributivam secundum se non obligare ad restitutionem, si violata fuerit: Si proinde civis minùs dignus in collatione officii prælatus sit digniori, dignior neglectus non potest restitutionem petere, neque à communitate, neque à persona sibi prælata. Lessius *d cap* 1. *dubit* 4 *in fin. & cap* 32. *dubit*. 3. *n*. 15. Haunold *d. cap*. 1. *contr*. 6. *n*. 92. Rosmer *d cap*. 1. *n*. 3. Ex ratione, quia per violationem Justitiæ distributivæ non violatur Jus strictum alterius, nec quisquam privatur re suâ, quia bonum commune non est verè bonum singulorum, & qui illud accipit, non accipit, quod verè, sed quod tantùm quodam modo suum est.

Dicitur 2. *Inclinans communitatem.* Residet namque Justitia distributiva propriè & formaliter in communitate, vel capite civitatis repræsentante ipsam communitatem, cum

cùm ejus sit distribuere bona, cujus ea sunt, sed bona ista conferenda ex Justitia distributiva sunt bona communitatis. Haunold *d. contr. 6. n. 102.*

Dicitur 3. Ad distribuenda munera & præmia. Honores enim, Officia, Magistratus, Spolia hostium, aliaque bona communia civitatis Justitiæ distributivæ Objectum sunt.

Dicitur 4. Inter digniora Reipublicæ membra. Fundatur itaq; Justitia hæc in dignitate & merito, vi cujus membrum communitatis sibi aliquo modo habet obstrictam communitatem, ad tribuendum bonum commune suæ dignitati vel merito proportionato. Et hæc Justitia vel maximè rerum publicarum moderatoribus commendata sit, oportet, si suas sibi commissas ditiones fortunatas esse desiderant. Nam si viderit populus, esse parata virtuti præmia vacantesq, Reipublicæ dignitates patere bene merentibus, ad Reipublicæ usum, se plures aptabunt, ingenia excolent, togatam aut sagatam militiam studiosiùs persequentur cum summo boni publici incremento; si verò observaverint subditi, vix unquam ex merito inter probos, laboriososque viros dispensari officia, languebunt studia, torpebunt ingenia, ipsa virtus prostrata jacebit, evidentissimo

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866231498/phys_0097
DFG

simo Reipublicæ ruituræ argumentō. Et quamvis virtus sibi ipsi sit præmium, & semper pulcherrima merces, tamen sive socordiâ, sive ambitione humani Ingenii factum est, ut virtus ex præmiis æstimetur, unde Juvenalis

- - - *quis enim virtutem amplectitur ipsam,*
Præmia si tollas?

Quær. I. *Cum subinde contingat, ut indignus præferatur digno, officium viro, non vir officio quæratur, & persona ponderetur, non personæ merita, quomodo peccet Princeps, si neglectis dignis, quos meritò stola publici muneris induere & exornare deberet, indignos promovet?*

Resp. Peccare 1. Contra fidelitatem, quâ obstringitur princeps ad Rempublicam prudenter gubernandam, quod vel maximè impedit indignorū Ministrorum Electio, ut à quorum inidonea administratione plurimū mali in rempublicam derivatur, 2. Contra Justitiam legalem, quæ Reipublicæ gubernatorem tanquam primarium ejusdem membrum præ cæteris obligat, ut eo, quo potest, modo utilitati publicæ consulat, quæ tamen ab eo per promotionem indignorum non tantùm non promovetur, sed potiùs gravissi-

vissimè læditur. 3. Contra Justitiam distributivam, dum officia tanquam bona communia non confert bene merentibus. 4. Denique etiam contra Justitiam commutativam, quia agit contra pactum quoddam implicitum cum republica initum, vi cujus Princeps de idoneis reipublicæ ministris ad congruam ejusdem administrationem consulere tenetur, quod dum facere desinit, plurimorum in rempublicam redundantium incommodorum causa esse incipit, ac proinde reipublicæ, ejusvè membris omnia & singula, quæ ex prava malè electi officialis administratione perpessi sunt, damna reparare obligatus est. Ita cum communi DD. sententia Lessius *de J. & J. lib. 2. cap. 32. dubit. 3. n. 13.* Lugo *de J. & J. disp. 34. sect. 2. n 9. & sect. 4. n. 40.* Grotius *de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 17. §. 3.* Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. cap. 41. n. 4.* Et in Hyparchologia *cap. 6. §. 2. n. 5.*

Quær. II. *Unde desumenda sit majoritas dignitatis?*

R*Esp.* Hanc non esse æstimandam ex majoritate probitatis, doctrinæ, fidelitatis, aut immatura quadam in aliquem propensione &c. sed ex eo, quando quis prudenter judi-

judicatur, quod in officio nunc vacante bono comuni utilior Cœteris sit futurus. Cum igitur hominum ingenia sint varia, ita ut hic ad civilia, ille ad bellica negotia sit naturâ aptior, rectè accinente Propertio.

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur ulla jugo.

Sollicitè à rerumpublicarum Gubernatoribus inquirendum, & indagandum est, an viduati officii procus ejusmodi dotatus sit qualitatibus, ut eo dignus, eidemque condignè administrando sufficiens esse credatur. Quod dum non observavit Ludovicus XI. Galliarum Rex, utendo sartore pro feciali, tonsore pro Legato, Medico pro Cancellario, quasi idem esset sarcire vestes & sancire fœdera: tondere barbas, & condere principum amicitias: curare morbos & procurare salutem publicam, passim & Jure meritissimo in historiis vapulat.

Quær. *An in collatione officiorum indigenæ extraneis præferendi sint?*

R *Esp.* Cœteris paribus indigenas esse præferendos extraneis. Ita Carpzov *de Leg. Reg. Germ. cap.* 10 *sect.* 2. Mylerab Ehrenbach *in Hyparcholog. d. cap.* 6. §. 4. *& seq.* Lembken *de Jur. indigenat. n.* 45. Boxhorn *in Instit. polit.*

lit. cap. 8. §. 4. ibique cum Boxhornio Hornius *in annot.* D. D. Balthasar Braun *in bellissimo tractatu de Magistratibus cap.* 5. §. 2. *th.* 14. & ferè communiter omnes, queis

De meliore luto finxit præcordia Titan.

Prob. 1. Jure Divino per *Deuteron. cap.* 17. *v.* 15. ubi Deus populo Judaico dedit præceptum, ut Regem constituerent, non de numero peregrinorum, sed ex fratribus: *Eum*, inquit, *constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus*, nec in Rege tantùm, sed in omni potestate Israëlitica hoc obtinuit. Sic *Exod. cap.* 18. *v.* 21. Moysi consuluit Iethro socer ejus: *provide autem*, inquit, *de omni populo, id est Judaico, viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex iis tribunos & centuriones* &c. Adde *Deuteron. cap.* 18. *v.* 15. & 18.

Prob. 2. Jure Canonico, ubi statuerunt summi Pontifices, quod esset honestati contrarium, & à SS. Patrum Institutionibus alienum, beneficiis & officiis præficere peregrinos *cap.* 4. *de Cleric. peregr. Can.* 8. *dist.* 71.

Prob. 3. Jure civili per *l.* 17. §. 4. *ff. ad Municip.* ubi Originarii dicuntur præferendi extraneis, *l. ult. C. de offic. Prætor.* ubi Prætor,

qui in urbe Larem habet, eligendus præ extraneo. *l.* 4. *ff quod cujusq; univers.* ubi Syndicus regulariter exipso universitatis corpore assumi debet. *& l.* 11. *C. de Episc. & Cler.* ubi Episcopi & Clerici non ex alia possessione vel vico, sed ex ea, ubi est Ecclesia, ordinandi sunt.

Prob. 4. Rationibus sequentibus: 1. Indigenæ ægrè concoquunt, si vident in patria sua plus credi exteris, quàm sibi, existimãtes non in exiguum gentis propriæ contemptum cedere, si princeps exterum quærat officialem, quasi ita novercam haberet patriam, ut neminem producat tam excellenti virtute præditum, qui dignus sit, ut ad patriæ gubernacula promoveatur. Unde livor, questus, & averso animorum, & quæ inde enasci solent iræ, injuriæ in superiores, tumultus &c. 2. Originarii majori studio, & sinceriori fide exinnata in patriam charitate negotia publica acturi præsumuntur, quàm quilibet extranei. 3. Magistratus provinciales faciliùs subditorum animos devincire, & amorem, authoritatemque sibi, ac principi suo meliùs conciliare possunt, quàm peregrini, magis enim coalescunt animi eodem Cœlo nati ac educati, similitudine quasi sui; disjunguntur verò, quos regna & educatio disjungit. 4. Peregrini plerumque ignari sunt mo-

morum, atque ingeniorum eorum, quibus imperare debent, quæ tamen sunt primæ & necessariæ artes Imperij ista nôsse. Quod Poëta de Principe:

Principis est virtus maxima nôsse suos.

Id ego rectissimè de omni Rectore & Magistratu dixero. 5. Demus etiam, quod exteri habeant sufficientem populi notitiam, vix tamen habent debitum affectum, & fidem erga patriam alienam; vel si etiam fidi sunt, metuendum tamen est, ne majoribus aut donis, aut promissis corrumpantur, qui aliena curat, plerumque segnior, aut improbior est, Plautinum illud sibi subinde occinens: *Mihi isthic nec seritur, nec metitur.* 6. Originarii multa & magna civitatis onera sufferre coguntur, æquissimum proinde videtur, ut & præ exteris publicis honoribus, & favoribus condecorentur *arg. l.* 10 *ff de Reg. Jur.*

Prob. 5. Observantiâ variarum Rerumpublicarum, vi cujus nonnisi ejusdem Nationis ad officia publica evehuntur. Ejusmodi mos viget in Anglia, Hispania, Gallia; Portugallia, Helvetia, Hollandia, Brabantia, Republica Veneta, teste Myler ab Ehrenbach in *Hyparcholog d. cap.* 6. § 10. *& seq.* Lembken *de Jur. Indigenat. th.* 53 *& seq.* In Imperio nostro Ipse summus Reipublicæ

Moderator ex Originariis Imperii Civibus eligi debet per tradenda inferius. in Aula Cæsaris Germani extraneis præponi debent. *Capit. Leopold art.* 40. *cum seq & Capit. Joseph. art.* 39. *cum seq.* pariter in Camera Imperiali nonnisi Germanus præ- & assidere potest. *Ordinat Cam. de anno* 1555. *part.* 1. *tit.* 1. *&* 3. Adde D. D. Braun *dict. cap* 5. §. 2. *n.* 14. ibique allegatos.

Dixi in assertione præsenti, cæteris paribus Indigenas exteris præferri debere. Si enim alienigenæ ingenii dotibus longè antecellant, meritò hi illis anteferendos existimaverim, cum utique præstet habere Magistratum dignum, licet exterum, quàm domesticum sed inidoneum, damit nicht warhafftige Lands-Kinder anstatt verständiger Männer in Dienst genommen werden / und das Jus Indigenatûs werde ein Jus Indignatûs, ut loquitur D. à Seckendorff *in addit.* seines Teutschen Fürsten-Staats *ad lib.* 2, *cap.* 1. § 7 *&* 8 *&* § 32. *n.* 3.

Quin nec illud putem culpari posse, si fortassis unus alterve extraneus subinde admisceatur Indigenis, præsertim si exter ille valde dexter sit, ac fide, ingenio, prudentiâ &c. singulariter polleat, tum enim, ut Ludo-

dovicus Vivès ait, *virtus & fidelitas peregrinos faciunt naturales.*

§. IV.

De Justitia Legali.

Justitia legalis inde sic denominata, quod omnium virtutum actiones legibus conformare intendat, definitur, quod sit virtus seu Justitia inclinans partes quà tales ad tribuendum debitum communitati propter conjunctionem sui tanquam partium cum Republica tanquam corpore politico.

Dicitur 1. *Virtus.*

Quær. *An Justitia legalis sit virtus generalis, sive complexio omnium virtutum aliarum, an verò specialis virtus distincta ab omni alia virtute?*

Resp. Affirmo posterius Ita Lessius *de J. & J. lib.* 1. *cap.* 1. *dubit.* 3. *n.* 11. Laymann *in Theolog. moral. lib* 3. *tr.* 1. *cap* 2. *n.* 1 Jlsung *in Theolog pract. tr.* 4. *disp* 2. *quæst.* 1. *art.* 4 *n.* 19. Rosmer *de J. & J. cap.* 1 *n.* 4. D. D. Schrenck *de J. & J. disp.* 1. *quæst* 2. *art.* 1. *n.* 2. D. D. Babenstuber *de J. & J. part.* 1. *cap.* 1. *art.* 1. §. 2. *n.* 7.

Prob. Virtus specialis est, quæ habet objectum formale proprium, distinctum ab ob-

jectis omnium aliarum virtutum; sed ejusmodi est Justitia legalis, hæc enim ex motivo boni publici, omnium aliarum virtutum actiones reflexè dirigit in reipublicæ utilitatem, quod non præstat ulla alia virtus, ut patebit examinanti singulas. Ergo.

Dicitur 2. seu Justitia.

Quær. *Sitne Justitia legalis propriè dicta Justitia?*

Resp. Negativè. Ita Jisung *dict. tr. 4. Disp. 2. quæst. 1. art. 4. n. 20.* Rosmer *d. cap. 1. n. 4.* D. D. Gletle *in Jurisprud. fund. tit. 1. cap. 5. §. 5. n. 3.* D. D. Franz *in Prodr. Justin. lib. 1. tit. 1. part. 2. §. 4. n. 13.*

Constat ex duabus potissimùm rationibus. 1. Quia Justitia propriè talis exigit duo subjecta perfectè distincta, quorum unum vicem debitoris, creditoris alterum subire debet; at hic pars debitrix, & communiter creditrix non sunt subjecta perfectè distincta, cum pars quà talis inadæquatè & secundum quid sit ipsa communitas. 2. Quia Justitia hæc non respicit Jus rigorosum, cum id absque violatione nexûs politici inter membra & totum à communitate remitti non possit, quod tamen vel maximè de conceptu juris rigorosi est. Ergo. Hinc

Infer

Infer, Justitiam legalem, cùm ex dictis non sit propriè dicta Justitia, si violatur, regulariter non obligare ad restitutionem. Lessius *dict. lib. 2. cap. 1. dubit. 3. n. 11.* D. D. Gletle *d. cap. 5. §. 5. n. 20.* D. D. Franz *d. lib. 1. tit. 1. part. 2. §. 4. n. 14.*

Dicitur 3. Inclinans partes quà tales. Sunt autē partes cōmunitatis duplicis generis, aliæ principales, aliæ minùs principales. Pars principalis est supremus in republica, unus vel plures, pro diversa forma regiminis. Et hæc pars in communitate tanquam in corpore politico vicem capitis sustinet. Partes minùs principales sunt subditi, qui se habent per modum cœterorum membrorum. In utrisque his partibus residet Justitia legalis, & quidem in superiore architectonicè & principaliter, quatenus is vel maximè tenetur curare bonum commune, imperando, ordinando, jubendo ea, quæ faciunt ad optatam reipublicæ felicitatem: In subditis verò est tantùm secundariò & ministerialiter, quatenus hi tenentur ea facere & exequi, quæ ipsis in ordine ad bonum publicum promovendum imperata sunt. Haunold *d. cap. 1. contr. 1. n. 4.* Ilsung *d. disp. 2. quæst. 1. art. 4. n. 20.* Rosmer *d. cap. 1. n. 4.* D. D. Schrenck *d. quæst. 2. art. 1. n. 13. 14. & 15.*

Dicitur 4. ad tribuendum debitum. Pro quo

rectiùs intelligendo advertendum est; in communitate politica duplex Jus consideratione dignum occurrere: Primum est, quod obtinet respublica (vel qui ei præest,) tanquam persona ficta, in bona quædam publica, quibus tanquam suis adinstar privatorum utitur in felicitatem propriam. Et Jus hoc, cùm sit perfectum & strictè dictum, ejusque terminus sit debitum, rigorosum non à legali, sed commutativa Justitia attingitur, adeoque qui illud læderet, teneretur ad restitutionem. Alterum Jus est dominium altum & eminens, quod obtinet Respublica in personas ac bona subditorum; vi cujus non tantùm bona, sed & ipsam civium vitam morali periculo exponere potest, ubi id urgens necessitas aut evidens utilitas publica efflagitarit. Et hoc demum hoc jus est, quod consurgit ex connexione quadam civili partium cum suo toto, fundatq; debitum legale, ad quod tribuendum inclinat Justitia legalis. Si proinde Reipublicæ membra ex motivo boni publici actiones suas proximè dirigunt ad communem Reipublicæ utilitatem, Justitiam legalem exercere dicuntur, aut, quod idem est, tribuere debitum communitati quà tali.

Dicitur §. communitati quà tali. Ubi notandum communitati posse quid deberi, vel

ut

ut est communitas, seu totum quoddam politicum, cujus ille, qui operatur, membrum est, vel sub alia quadam ratione. Ad prioris generis debita præstanda inclinat Justitia legalis, reliqua debita aliarum virtutum v.g. obedientiæ, pietatis in patriam, Justitiæ commutativæ &c. objecta sunt.

§. V.

De Justitia Vindicativa.

Justitia vindicativa sic nuncupata, quia ejus officium est vindicare delicta, definitur, quod sit Justitia inclinans superiorem in communitate ad condignam delinquentibus pœnam infligendam.

Dicitur 1. *Justitia.*

Quær. *An propriè?*

R. *Esp. Neg.* Ilsung *d. Disp. 2. quæst. 1 art. 5. in fin.* Rosmer *dict. cap. 1. n. 4.* D. D. Gletle *in Jurisprud. fund. tit. 1. cap. 5. §. 7. n. 5. 6. & 7.*

Prob. De ratione Justitiæ propriè dictæ est, quod respiciat Jus rigorosum ex una parte, & debitum strictè tale ex altera; sed Justitia vindicativa prout est virtus specialis, respicit solummodò delinquentem, commensurando ejus culpæ pœnam condignam, ad quam ipse delinquens utique non habet jus,

sed potiùs aversionem ab ea, & necessitatem illius sustinendæ. Ergo.

Dicitur 2. *Inclinans superiorem.* Superioribus igitur, non etiam cuilibet privato vindictam sumendi potestas concessa est. Constat ex Apostolo *ad Rom. cap.* 12. *v.* 17. *Nulli malum pro malo reddentes* Et *v.* 19. *non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ. Scriptum est enim, mihi vindicta; ego retribuam.* De legitimo superiore ita habetur *in sequenti cap.* 13. *v.* 4. *Dei minister est vindex in iram ei, qui malum agit.* Accedit ratio naturalis, si enim cuivis privato concessa foret libera vindictam sumendi potestas, plurima & gravissima mala & perturbationes in republica ex ejusmodi licentia orirentur, plurima verò bona, si potestas vindicativa soli legitimo superiori reservetur. Et hoc regulariter verum est, casus exceptos, quibus etiam privata vindicta licita est, vide apud Struvium *de vindicta privata cap.* 2. *aphoris.* 4. *cap.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. quem omninò vide

Dicitur 3. *Ad pœnam delinquentibus infligendam.* Sunt namque scelerati afficiendi suppliciis, ut, sicut boni virtutis amore à flagitiis committendis abstinent, sic mali formidine pœnæ ab ilsdem deterreantur, juxta illud Horatij:

Ode-

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Vel condignè puniti emendentur, vel si nulla spes emendationis effulgeat, è medio tollantur.

- - - - - namque immedicabile vulnus
Ense recidendum est ne pars sincera trahatur.

Ac ne aliàs totus grex inficiatur juxta illud Juvenalis:

Morbida facta pecus totum corrumpit ovile,
Ne maculet socias, est separanda grege.

Dicitur 4. Ad condignam delinquentibus pœnam infligendam. Est autem condigna delictorum pœna, quæ vel legibus expressè determinata est, vel prudentis Judicis arbitrio relicta, qui, circumstantiis omnibus ritè pensatis, æstimabit, quænam pœna delicto sit ex- & adæquata.

Quær. I. *Possitnè princeps circa pœnas delictis proportionatas dispensare?*

Resp. 1. In criminibus directè in Deum tendentibus, ut est blasphemia, magia, pactum cum diabolo &c. nullatenus locum habet dispensatio; ea enim Numinis Divini apud Principes debet esse veneratio, ut nihil quicquam de honore ejus decedere patiantur. Ita cum communi Christianæ politiæ

scho-

schola Damhouder *in prax. crimin. cap.* 145. *n.* 6. Lymnæus *lib.* 4. *Jur. publ. cap.* 8. *n.* 280. Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. cap.* 50. *n.* 15. Vitriarius *in Instit. Jur. publ. lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 114. Adde *Reformat.* guter Policey zu Augspurg *de anno* 1530. *tit.* von Gotts-lästerung.

Resp. 2. Nec in delictis aliis Jure Naturali, aut Divino prohibitis, ut est homicidium, adulterium &c. facile dispensatio concedenda est, cum ejusmodi facinoribus ab ipso Deo certa pœna dictata fuerit. Vide *Deuteron cap.* 22. *v.* 22. *Exod. cap.* 21. *v.* 12. nisi gravis causa id suaserit, tum enim Princeps pœnam temperare, ac capitalem ordinariam in aliam corporis afflictivam, vel pecuniariam mutare potest. Myler ab Ehrenbach *d. cap.* 50. *n.* 16. Vitriarius *d. tit.* 17. *n.* 115. Schweder *in Introduct. ad Jus publ part. special. sect.* 2. *cap.* 14. *n.* 6.

Resp. 3. In delictis contra Jus civile aut Statuta Reipublicæ perpetratis Princeps pœnam pro lubitu in totum vel pro parte (justâ tamen causâ intercedente) remittere potest. *l.* 4. *ff. de pœn.* Carpzov. *in prax. criminal. quæst.* 150. *per tot.* Myler *d. cap.* 50. *n.* 19. Vitriarius *d. tit.* 17. *n.* 117. Schweder *d. cap.* 13. *n.* 6.

Quær.

Quær. II. *Quid si pars læsa contradicat?*

Resp. Si pars læsa agit ad vindictam publicam, suâ contradictione gratiam Principis impedire non potest. *arg. l. 6. §. 1. ff de serv. export.* Si verò agit ad vindictam privatam, scilicet quanti interest, ei nocitum non fuisse, Princeps ita gratiam indulgere debet, ne læsus à Justitia, nec reus à misericordia penitus excludatur. Julius Clarus *recept. sentent. lib 5. §. fin. quæst. 59 n. 3.* Lymnæus *d. cap. 8 n. 284. & 285.* Myler *d. cap 50. n. 20.* Vitriarius *d. n. 117.*

Id tamen Principibus plerumque suadent politici, ne sint nimis faciles in concedenda delictorum gratia, facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. *Can 33. caus. 23 quæst. 4 cap 13. de vita & honest. Cleric.* Unde Italorum adagium est. *un vitio non punito soul crescere in infinito.* Adstipulatur Poëta canendo.

Impune crimen crimina germinat,
Serpitq; labes, cui teneræ nimis
Manus medentur. Fons futuri est
Præteriti sceleris medela
Neglecta. Factum flagitium novæ
Est causa noxæ. Supplicium manus
Ne lenta tardet. Qui nocentem
Non perimit, nocet innocenti.

Finis.

Finiimus de fine, venimus ad media, scilicet jura, quibus finis hic obtinetur. Sit itaque.

DISSERTATIO II.

De

DE JURE NATURALI, GENTIUM & CIVILI.

JUs sumptum pro lege in genere nobis definitur, quod sit regula stabilis actionum humanarum à Superiore profecta, ac sufficienter promulgata. Dividitur divisione immediatâ in naturale & positivum. De naturali, quod quædam quasi matrix est, in qua omnium ferè aliorum jurium semina delitescunt, in Sectione prima; De Positivo in Sectionibus posterioribus disseremus.

SECTIO I.

DE JURE NATURALI.

§. I.

De Homonymia Juris Naturalis.

Variæ

Variæ Juris naturalis Acceptiones circumferuntur.

1. SUmitur Jus naturale pro instinctu naturæ, vi cujus ad certas actiones hominibus, brutisque communes inclinamur. Ita accipitur *in princ. Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civil. l. 1. §. 3. ff. de Just. & Jur.* ubi maris & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, educatio &c. ad Jus naturæ referuntur.

2. Sumitur pro Statu, quem spectatâ naturâ res obtinet, absque hoc tamen, quod natura determinet debere ita obtinere, aut vetet contrarium ab hominibus introduci. Quo sensu primæva rerum communio, libertas hominum, potestas venandi, & jura id genus alia ad Jus naturæ revocantur. Solet Jus hoc aliis etiam vocitari negativum, permissivum, conditionatum.

3. Sumitur pro eo, quod est naturæ rationali valde conveniens, vel disconveniens, absque hoc tamen, quod præcipiatur, vel prohibeatur. Quo sensu tutela Juris naturalis dicitur *in §. 6. in Instit. de Attil. tut.* Item Successio liberorū in bona parentum ab intestato decedentium *l. 7. §. 1. ff. si tabul test. null extab.* Sed hæ tres Juris naturalis acceptiones satis impropriæ sunt.

4. Sumitur Jus naturæ propriè & rigo-

rosè

rosè pro eo, quod præcipit intrinsecè bona, & prohibet intrinsecè mala. Et in hoc sensu in

§. II.

De Definitione Juris Naturalis.

Definitur Jus naturæ, quod sit congenitum rectæ rationis dictamen, jubens ea, quæ sunt essentialiter honesta, & prohibens ea, quæ sunt essentialiter turpia. Ita reapse par nobile Fratrum Hugo Grotius *de Jur. Bell. & Pac lib. 1. cap. 1. §. 10. n. 1.* & Guilielmus Grotius *de princip. Jur. natur. cap. 1. §. 10.* Zentgrav *de Jur. natur. cap. 5. §. 20.*

Dicitur 1. Congenitum. Est enim *hæc lex* (Ita Philo Judæus apud Hugonem Grotium *d. §. 10. in annotat.*) *non ab hoc vel illo mortali mortalis, non in chartis aut columnis exanimis exanima sed corrumpi nescia, quippe ab immortali naturâ insculpta in immortali intellectu. Lex hæc* (Ita S. Ambrosius apud Guilielmum Grotium *d. cap. 1. §. 13.*) *non scribitur, sed innascitur, non præcipitur lectione, sed profluo naturæ fonte in singulis exprimitur.*

Dicitur 2. Rectæ rationis dictamen. neque enim à corrupto rationis Judicio etiam integrarum gentium Jus naturæ æstimandum est,

est. Alioquin & Aegyptiorum præter cœtera porrum & cæpe pro numinibus colentium idololatria, & Mexicanorum, Peruanorum, aliorumque Jndorum teneram prolem immolantium crudelitas, & Japonensium suadentibus Bonzijs fœtum vel abigentium, vel recèns editum suffocantium immanitas, & frequentati luxuriantium Persarum incestus, & Lacedæmoniorum furta callidè perpetrata pro egregiis artis militaris progymnasmatis habentium rapacitas, dicenda forent Juris naturalis, id quod vel cogitâsse dedecet.

Dicitur 3. *JVBENS ea, quæ sunt essentialiter honesta, & PROHIBENS ea, quæ sunt essentialiter turpia.* Est nimirum lex naturalis non tantùm indicativa boni, vel mali, ut nonnulli voluêre, sed insuper præceptiva boni, & prohibitiva mali. *Hanc video* (inquit Tullius 2. *de legibus*) *Sapientissimorum fuisse sententiam, legem* (naturalem intelligit) *neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi, prohibendiq; sapientiâ.*

Dicitur 4. *Jubens ea, quæ sunt essentialiter HONESTA, & prohibens ea, quæ sunt essentialiter TVRPIA.* Quæ autem sint talia opportunius mox §. 6. explicabimus,

Circa Jus naturale nota regulas has scitu dignissimas.

REgula 1. Quando alter alteri, quorum vel uterque, vel saltem alteruter non recognoscit superiorem, litem moveat, tum ea, deficiente Jure gentium, ex Jure naturæ utrumque obligante dirimenda est. Non igitur alter alteri vel suum vel alienum jus arbitrarium civile obtrudere potest, ut secundum id ejusmodi litem explicari patiatur, quamvis hoc sæpe iniquè factum, non rarò etiam injustè tentatum fuerit. Hippolitus à lapide *in præfat. ad dissert. de Rat. Stat. in Imp. Rom. Germ.* Rachel *in Otio Noviomag. cap. 6. pag. 26.* D. D. Balthas. Braun *in Jurisprud. in gen. & spec. part. 2. cap. un. §. 1. n. 7.*

Regula 2. Quando Jus positivum aliquâ parte deficit, ita ut casus incidens nullâ probabili ratione, vel interpretatione inde queat resolvi, recurrendum est ad æquitatem naturalem, & inde supplendus defectus Juris positivi *l. 2. §. 5 ff. de aq. & aq. pluv. arcend.* ibi: *hæc æquitas suggerit, & si jure deficiamur.* & *l. 13. §. 7. ff. de excusat. tut.* ibi: *sufficit fidem firmare ex ipsa naturali Justitia.* Reincking *de Regim. sæcul. & Eccles. lib. 2. class. 2. cap. 4. n. 1.* D. D. Braun *d. l. n. 8.* D. D. Gletle *in Jurisprud. fund. tit. 1. cap. 4. §. 1. n. 3.*

Re-

Regula 3. Quando Jus positivum est obscurum, contra Jus vel æquitas naturalis indubitata, standum est Juri naturæ certo, ex ratione; quia semper Jus dubium interpretandum est ex claro & certo. *Arg. cap. 1. de Nov. Oper. Nunt.* D. D. Braun *l. c. n. 9.* D. D. Gietle *l. c. n. 4. & 5.*

§. III.

De Divisione Juris Naturalis.

Dividitur Jus naturale 1. in affirmativum sive præceptivum, & negativum sive prohibitivum. Jus naturæ affirmativum est, quod præcipit intrinsecè honesta, uti est *Deum colere, parentes honorare, suum cuique tribuere.* Jus naturæ negativum est, quod prohibet intrinsecè turpia, *ut alterum non lædere in bonis fortunæ, corporis, animi.* Differt Jus naturæ affirmativum à negativo in eo, quod illud obliget quidem semper, sed non pro semper; hoc verò obliget semper & pro semper.

Dividitur Jus naturale 2. in generale & speciale. Generale est, quod omnes obligat homines, in quacunque societate vivant; Speciale verò, quod illos tantùm obligat, qui speciali quâdam societate, ut conjugali, pa-

ternâ, herili, & ex his conflatâ civili continentur.

De Jure Naturali generali impræsentiarum nobis tantummodò sermo est.

§. IV.

De Causa efficiente Juris Naturalis.

CAusa efficiens Juris naturalis est Ipse Deus, qui Legem naturæ micantissimis radiis, velut scalpro signatorio, animabus nostris, tanquam immortalibus laminis, incidit, ac lumen vultûs sui super nos signavit. *Psalm. 4. v. 7.* Esse autem non alium, quàm Deum Ipsum Authorem Juris naturæ, patet tum *ex §. pen. Instit. de J. N. G. & C.* ubi ita Imperator: *Sed naturalia quidem Jura, quæ apud omnes gentes peræq; observantur, Divinâ quâdem Providentiâ constituta*; tum ex eo, quod omnis lex debeat proficisci à Superiore ad inferiores: nemo enim seipsum legaliter obligare potest *per l. 51 ff. de recept. qui arbitr.* Ergo & lex naturalis à quodam hominibus Superiore procedat, oportet; ergo à Deo, à quo enim alias? quod ipsum & Authores gentiles viderunt. Sic enim Chrysippus *lib. 3. de Diis* scripsit: *Non potest inveniri principiũ aliud, & origo Justitiæ, quàm à Jove & communi natura*

tura

tur â inde enim initium duci debet, ubi de bonis malisque differendum est. Et Cicero *de Republ. 3. unusq; erit, communis quasi Magister & Imperator omnium. Deus ille, Legis hujus Inventor, Disceptator, Lator.*

§. V.

De Subiecto Juris Naturalis.

SUbjectum Juris naturalis est is, qui obligatur Jure naturæ. Obligatur autem omnis & solus homo.

Dixi 1. Omnis homo. Cum enim lex hæc nil sit, nisi congenitum rectæ rationis dictamen, ratio autem sit in omni homine, eoipsò, quia homo est, lex quoque naturalis cuivis hominum insit, necesse est. Unde advertis, hujus Juris Majestati etiam exleges alioquin Pontificum Tiaras, ac imperiosa Cæsarum, Regumque Sceptra & Diademata substerni. Detestanda proinde erat sententia Persarum Judicum ad Cambysen: *Nullam invenimus legem, quæ sinat fratri nubere sororem, sed aliam, quâ Regi Persarum liceat facere, quidquid libet.* Impiâ & famoso scorto, quàm Augustâ dignior vox Juliæ ad privignum Antoninum Caracallam: *si libet, licet, an nescis Imperatoris esse, leges dare, non accipere.*

Dixi 2. Solus homo. ubi

Quær. *Sintnè bruta verè capacia Juris naturalis?*

R*Eſp.* Negativè. ita Hugo Grotius *de J. B. & P. lib. 1. cap. 1. §. 11.* Guilielmus Grotius *de princ. Jur. Nat. cap. 2. §. 12.* Pufendorff *de Jur. Nat. & Gent lib. 2. cap. 3. §. 2. & 3.* Zentgrav *de Jur. Nat. art. 1. §. 4. & ſeq.* Hornius *de ſubject. Jur. Nat. per totum.* Mauritius *de libris Juris publ. Germ. cap. 4. ſect. 1. th. 8. & ſeq.* Et accuratiores communiter.

Probatur: ut natura aliqua capax ſit Juris Naturalis, rationis quoque, libertatis, obligationis, & pœnæ capax ſit, oportet. Rationis: ut Statum objecti, ac vim regulæ directricis intelligat. Libertatis: quid enim imperabitur, aut vetabitur naturæ, ſi ipſa per ſe ad actionem quandam neceſſariò jam determinata eſt? obligationis: hæc ſiquidem formalis, & intrinſecus omnis Juris effectus eſt. Pœnæ denique: quia ſi transgrediens nequit puniri, lex finem ſuum obtinere non poteſt. Atqui nil horum in bruta cadere, manifeſtum eſt, ergo nec Jus naturæ in ea cadere poteſt. Id quod jam dudum vidit Heſiodus, dum cecinit:

Humano generi nam lex datur ab Jove ſummo
Quippe feræ, piſces, avium genus altivolantûm.

Mutua

Mutua se vertunt in pabula, juris egentes.
Justitia at nobis, quæ res est optima cessit.

Dices 1. à SS. Patribus & Scriptoribus aliis variæ brutis attribuuntur virtutes. Sic commendantur à providentia œconomica formicæ, à politia apes, à fide conjugali columbæ, á pietate ciconiæ, à fidelitate canes, à magnanimitate leones, à prudentia elephantes, à virtutibus aliis bruta alia. Quin Guilielmus Arvenus apud Zentgrav *de Jur. Nat. art.* 1. §. 4. docet, belluas, & penè omnia genera animalium Justitiam exercere, & jura sua defendere. Ergo adhuc bruta sunt capacia Juris naturalis, cùm virtutes, quæ brutis inesse dicuntur, sint objectum Juris naturalis affirmativi. *Resp.* Hæc & similia non esse veras virtutes, sed illarum velut umbras; vel (ut inquit Arist. 9. *de histor. animal.* 7.) *vitæ humanæ imitamenta*, vel (ut Cicero 2. *de finibus*) *virtutum quædam simulacra*. accommodè Grotius: *quodsi quando brutis animantibus Justitia tribuitur, id fit impropriè, ex quadam in ipsis umbra rationis, atq; vestigio.* Ita ille *lib.* 1. *de J. B. & P. cap.* 1. §. 11 *n.* 2.

Dices 2. Bruta sunt capacia pœnæ, ergo & legis saltem naturalis, pœna enim supponit culpam, culpa verò legem. Ergo. ant. prob. Sic. *Levit.* 20. *v.* 15. *& seq.* jubetur occidi pecus, quo vir aut mulier abusi sunt ad

infandam libidinem, *Exod.* 21. *v.* 28. jubet Deus lapidibus obrui bovem, qui cornu percussit hominem, ut inde perierit. Apud Plinium *lib.* 8. *cap.* 16. legitur, visos fuisse in Africa crucifixos leones. Guido Papę *in decis. Gratianopol quæst.* 238. testatur, se in Burgundia, cùm Catalaunũ Campaniæ ad Regem contenderet, vidisse porcum suspensum ob devoratum puerum. In Concilio Wormatiensi jubentur interfici apes, quæ homines occiderant. Constat quoque, anseres olim Romæ ob servatum Capitolium, quod clangore suo prodidissent hostem, præmio fuisse affectos, econtrà suspensos canes, quod non latrassent. *Resp.* Id in his, & similibus eventibus non ideo factum fuisse, fierivè, quasi bruta essent propriè malefica; sed vel in detestationem criminis, & ne occursu suo hominibus refricent indignam facti memoriam *can.* 4. *caus.* 15. *quæst.* 1. vel ut peccandi tollatur occasio, vel in pœnam negligentis custodiæ; vel denique ne ultrà valeant nocere. Hornius *de Subjecto Jur. nat cap. pen. & ult.* Mauritius *de princip. Jur. publ. cap.* 4. *sect.* 1. *th.* 12. D. D. Balthasar Braun *de Imperio mero & mixto cap.* 1. §. 6. *n.* 17.

§. VI.

§. VI.

De Obiecto Juris Naturalis.

OBjectum Juris Naturalis affirmativi sunt intrinsecè honesta; negativi intrinsecè turpia. Sed

Quær. I. *Unde cognosci queat, quod hoc vel illud objectum sit intrinsecè honestum, vel intrinsecè turpe?*

R. *Esp.* Illud est intrinsecè honestum, quod non tantùm expedit esse licitum, sed & præceptum in ordine ad felicem Statum humanæ Societatis, illud econtra est intrinsecè turpe, quod expedit esse prohibitum in ordine ad felicem Statum humanæ societatis. Ita cum Haunoldo D. D. Gletle *in Jurisp. fund. tit. 2. cap. 2. §. 3. n. 7.* Bonitas harum regularum facilè patet. Cùm enim lex naturæ pro fine suo habeat felicem Statum humanæ Reipublicæ, id lege hac debet esse præceptum, cujus præceptio plus boni affert, quàm mali; id verò prohibitum, cujus licentia plus mali, quàm boni afferret in ordine ad felicem Statum humanæ Reipublicæ. Verùm ulteriùs

Quær. II. *Unde scire detur, quod hoc vel illud expediat esse præceptum vel prohibitum in ordine ad felicem Statum Reipublicæ humanæ?*

Resp. Id expedit esse præceptum, aut prohibitum, in cujus obligationem, aut prohibitionem homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab Authore naturæ fuissent consulti, ut circa actionis præceptionem, vel prohibitionem, vel licentiam ferrent suffragium. Ita cum Pallavicino rursus ferè D. D. Gletle *loco mox citato n.* 10. Regularum allatarum bonitas inde elucescit, quia cum lex vi essentiæ suæ respiciat salutem publicam, ante omnem casum particularem id singuli consulerent, quod crederent expedire humanæ societatis tranquilitati promovendæ: ergo quod in statu tali singuli consulerent Authori naturæ, id meritò censemus defacto eidem arrisisse, cùm sciamus, quod vultum suum super nos signaverit.

§. VII.

De Forma Juris Naturalis.

Forma Juris Naturalis alia est intrinseca, & alia extrinseca.

Forma intrinseca Juris Naturalis stat in differentia specifica, per quam differt à Jure posi-

positivo. Differt autem in eo, quod Jus Naturæ procedat à Deo velut Authore naturæ, obliget omnes omninò homines, in omni loco, & omni tempore existentes, ad intrinsecè bonum amplectendum, & intrinsecè malum evitandum, in ordine ad felicem Statum humanæ societatis: confer Rachel *de Jur. Nat.* §. 58. D.D. Gletle *d. cap.* 2. §. 4. *n.* 1. D.D. Franz *in Prodr. Justin. lib.* 1. *tit.* 2. *part.* 1. §. 7. *n.* 11.

Forma extrinseca Juris naturalis stat in promulgatione legis naturalis. Promulgatur autem lex hæc adveniente usu rationis. Quando autem pueri ratione uti incipiant, non potest certò definiri, sed ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo, quod communiter in quaque regione accidit, desumendum est. Grotius *de J. B. & Pac. lib.* 2. *cap.* 11. §. 5. *n.* 2. Zentgrav *de Jur. Nat. art.* 6. § 3. Gibalin *in scient. Jur. Can. lib.* 8. *cap.* 2. *quæst.* 3. *n.* 7. *circa finem.*

§. VIII.

De Effectu Juris Naturalis.

Effectus Juris naturalis est obligatio ad scientiam, & observantiam.

Dixi 1, *ad scientiam.*

Quæ

Quær. *Possitnè dari invincibilis Juris Naturalis ignorantia?*

Resp. 1. Principia universaliſſima practica, ut *declina à malo, & fac bonum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Non poſſunt ab ullo hominum inculpabiliter ignorari. Sunt enim ea, quæ principiis hiſce continentur,

Haud ambagibus implicata, ſed quæ regulis æqui & boni
Suffulta, rudibus pariter ac doctis patent.

Reſp. 2. Principia particularia, quæ per ſe nota, vel ex per ſe notis facillimè colliguntur, cujusmodi ſunt ferè ſingula Præcepta Decalogi, licet fortaſſis ad breve tempus abſque culpa neſciri queant, vix tamen eſt, ut totius vitæ decurſu inculpabiliter ignorentur, quia & facillimâ diligentiâ cognoſci poſſunt; Et natura ipſa & conſcientia ita pulſat animum in actibus eorum, ut non permittat longo tempore inculpabiliter ignorari.

Reſp. 3. Præcepta, quæ nonniſi diſcurſu difficiliori ex principiis generalibus eruuntur, ut pluralitatem uxorum, diſſolubilitatem matrimonij &c. eſſe prohibita Jure Naturæ, etiam per multum tempus invincibiliter ignorari poſſunt, cùm de Ipſorum veritate etiam inter Doctiores non rarò ſoleat controverti. Ita Suarez *lib. 2. de LL. cap. 8. n. 7.*

n. 7. Gibalin *in scient. Jur. Can. lib.* 3. *cap.* 3. *quæst.* 1. *conſect.* 4. R. P. Thyrſus Conzalez *tract. de uſu opin. probab. diſſert.* 11. *cap.* 5.

Dixi 2. *ad obſervantiam.*

Quær. *An Jus Naturæ obliget in conſcientia?*

Reſp. Affirmativè. Prob. Authoritate Verbi Divini, Ita enim loquitur gentium Doctor ad *Roman.* 2. *v.* 12. *quicunque ſine lege* (ſupple Moſaicâ) *peccârunt* (intelligе in legem naturalem) *ſine lege peribunt.* Et rurſus *v.* 14. & 15. *cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Nimirum prout aut ſecundum obligationem conſcientiæ egerint, aut contra eam peccaverint.

§. IX.

De Contrariis Juris Naturalis.

Contraria Legi naturali eſt mutabilitas.

Quær. *An & quo ſenſu Jus naturale ſit mutabile?*

Quæ-

Quæstio hæc ut resolvatur exactiùs

PRæmitto 1. Mutationem Legis esse duplicem, aliam propriam, impropriam aliam. Mutatio propria est, quando manentibus iisdem circumstantiis lex cessat obligare, quem priùs obligaverat. Mutatio impropria est, quando circumstantia fundans præceptionem vel prohibitionem immutatur, fortè quod materia legis exuat conditionem, sub qua terminabat præceptionem vel prohibitionem legis.

Præmitto 2. Esse quasdam leges naturales, quarum materia à Dominio etiam Dei independens est, ut *non blasphemabis, falsa numina non adorabis.* Quasdam, quarum materia saltem à Dominio Dei dependet, ut *non occides, non mœchaberis.* Quasdam quarum materia etiam ab arbitrio hominum dependet, ut *damnum injustè illatum resarcire, rem furto ablatam restituere oportet.* His prænotatis

Resp. 1. Jus Naturale non potest immutari propriè.

Prob. 1. Per §. *pen. Inst. de J. N. G. & C.* ibi: *sed naturalia quidem Jura, quæ apud omnes gentes peræq; observantur, Divinâ quâdam providentiâ constituta, semper firma, atq; immutabilia permanent.* Quod & confirmat Philosophus 5. *Ethic.* 7. dicens: *id, quod constat naturâ,*

turâ, immobile atque immutabile Jus est, & ubique eandem vim habet: quemadmodum ignis hìc & apud Persas urit. Consonat Cicero. *de Republ.* 3. inquiens: *huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec verò aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus,* & paulò post: *nec erit alia lex Romæ, alia Athenis: alia nunc, alia post hac: sed & omnes gentes & omni tempore una lex, & sempiterna, & immortalis continebit.*

Prob. 2. Mutari legem propriè nil est aliud, quàm manentibus iisdem circumstantiis legis cessare obligationem; atqui hoc circa legem naturalem fieri nequit, siquidem per immensam Dei potentiam ne quidem contingere potest, ut quod essentialiter bonum est, desinat esse bonum, aut quod essentialiter malum est, desinat esse malum, sicuti per eandem Dei potentiam immensam fieri non potest, ut bis duo non sint quatuor, cùm Deus rerum essentias immutare nequeat.

Resp. 2. Quando Jus naturæ respicit materiam independentem à dominio Dei, nequidem impropriè mutari potest.

Prob. Jus Naturæ impropriè mutari nil est aliud; quàm materiam, quæ antea terminabat legem naturalem, extrahere ex terminis præceptionis, vel prohibitionis Juris Natura-

turalis; Sed hoc Deus facere nequit, eo ipso, quod materia hæc sit independens à supremo Dei Dominio, ergo Jus Naturæ respiciens materiam independentem à Dominio Dei ne quidem impropriè mutari potest.

Resp. 3. Quando Jus Naturale respicit materiam Dominio Dei subjectam, potest à Deo mutari mutatione impropriâ.

Prob. Quando materia terminans legem naturalem subjecta est Dominio Dei, potest à Deo ita immutari, ut quæ certis affecta circumstantiis substabat legi naturali, iisdem denudata non substet, sed hæc est mutatio impropria. Ergo Et hoc modo Deus ceu Dominus vitæ & necis, ac universæ creaturæ immutavit 5. Præceptum Decalogi, dum *Genes.* 22. *v.* 2. Abrahamo in vitam Filij Isaac: 6. dum *Oseæ* 1. *v.* 2. Oseæ in corpus meretricis: 7. dum *Exod.* 11. Hebræis in bona Ægyptiorum concessit potestatem.

Resp. 4. Quando Jus Naturale respicit materiam dependentem ab arbitrio hominum, etiam per homines impropriè mutari potest.

Prob. Quando materia Juris Naturalis pendet ab arbitrio hominum, non terminat præceptionem vel prohibitionem Juris Naturalis in omnibus planè circumstantiis, alias non penderet ab arbitrio hominum, ergo

tum

tum possunt homines inducere circumstantias, in quibus materia hæc legem naturalem non terminet. *Confirm.* Esto lex naturalis imperet, ut damnum injustè illatum resarciatur, non tamen jubet pro ea circumstantia, si creditor juri suo cedat. Item esto lex naturæ imperet, ut res aliena ablata restituatur Domino, non tamen imperat pro illa circumstantia, quâ res volente Domino fuit ablata, quia tum cessant circumstantiæ, sub quibus materiæ hæ legem naturalem terminabant. Confer Suarez *de LL. lib 2. cap.* 13. Molinam *de J. & J. tom.* 1. *tr.* 1. *disp* 4. Gibalin. *lib.* 3. *scient. Jur. Can. cap.* 3. *quæst.* 3 *per tot.*

SECTIO II.

DE JURE GENTIUM.

ABsoluto Jure naturali progredimur ad positivum, quod definitur esse Jus liberâ Authoris sui voluntate constitutum.

Dividitur in Divinum & Humanum. Divinum Theologorum Exedris explicandum relinquimus. Humanum subdividitur in Canonicum, Gentium, & Civile. Canonico pariter ad suum forum remisso, Jus gentium & civile pertractare aggredimur.

§. I.

Deturne Jus Gentium.

DAri debere Jus Gentium à Jure Naturali & Civili distinctum, vi cujus gentes quà gentes, & membra universalis hujus Reipublicæ in actibus suis publicis dirigantur, præter communem Scriptorum quà veterum, quà recentiorum uno velut ore hoc asserentium sententiam, & concordem gentium saltem moratiorum passim in historijs ad Jus hoc provocantium persuasionem, publica gentium utilitas & necessitas omninò efflagitare videtur. Tametsi enim Genus Humanum in varias Gentes & Regna sit dispersum, semper tamen retinet unitatem non tantùm specificam & naturalem, sed & quasi politicam & moralem; cui fundamentum substernit Præceptum illud naturale mutui amoris & misericordiæ. Unde licèt quælibet Civitas ac Respublica in se sit communitas perfecta, quævis tamen velut membrum relationem quandam dicit ad hoc Universum, cùm nulla ità sibi sufficiat, quin egeat mutuo quodam juvamine, societate, ac communicatione; subinde ad melius esse, quandóque etiam ob moralem necessitatem & indigentiam. Hinc Jure quodam Universali erat opus, quo Gentes in

hoc

hoc genere Societatis & Communitatis rectè ad sese invicem ordinarentur. Et licèt hoc magna ex parte fiat per Jus Naturale, non tamen fit sufficienter, & quoad omnia, cùm sit generalius, neque satis ad particularia dilabatur. Opus proinde fuit Jus quoddam aliud magis speciale & immediatum, quo gentes omnes vel pleræque inter se regentur, & hoc Jus NOS Jus GENTIUM proprio nomine indigitamus. Confer Suarez *de LL. lib. 2. cap. 19. n. 9.* Gibalin *in Scient. Jur. Can. lib. 4. cap. 7 quæst 1. n. 17.* Franzkium *ad ff tit. de I. & I. n. 136. & seq.*

§. II.

De Homonymia Juris Gentium.

JUs gentium (Lucano etiam Jus mundi, Suetonio Jus feciale, Tacito Fas gentium dicitur) diversimodè sumitur.

I. Accipitur pro Jure Naturali, ut *in l. 1. §. ult. l. 2. & seq. ff. de I. & I.* ubi Religio erga DEUM, Observantia parentum, &c. ad Jus Gentium referuntur, quæ tamen, per alibi dicta, indubitanter sunt Juris Naturalis.

II. Accipitur pro Jure Civili ob naturalem æquitatem apud plures Gentes vim obtinente. Videmus enim plures sæpè Respublicas in Legibus suis propter naturalem, quæ plerumq;

rumq; subest, rationem convenire, ex quâ Rerumpublicarum Juriúmque harmonia quodammodo conflatur unum Jus universale unitate similitudinis, quod dicitur Jus Gentium, sed impropriè, cùm re ipsâ sint plura Jura Civilia particularem Rerumpublicarum, pro quibus lata sunt, utilitatem, non autem Gentium quà talium felicitatem respicientia. Suarez *lib. 2. de LL. cap. 19. n. 10.* Gibalin. *d l 4 cap 7. quæst. 1. n 17.*

III. Accipitur strictè pro illo Jure, quod obligat Gentes, quatenus Gentes sunt, spectans proximè bonum ipsarum Gentium, quà talium. Et hæc acceptio hujus loci est, juxta quam in

§. III.

De Definitione Juris Gentium.

DEfinitur ab Imperatore in § 2. *Inst. de I. N. G & C.* esse Jus, quod usu exigente & humanis necessitatibus Gentes sibi constituerunt. Clariùs fortè definieris, si dixeris, quod sit Jus constitutum à Gentibus proximè pro bono Gentium, quà talium.

§. IV.

De Divisione Juris Gentium.

DIviditur Jus Gentium *1.* in præceptivum & pro-

& prohibitivum. Præceptivum est, quo quid præcipitur, ut *Admissio Legatorum, solennis Indictio belli.* Prohibitivum est, quo quid prohibetur, ut *Violatio Legatorum, Venenatio armorum & fontium in bello, &c.*

Dividitur *II.* in Universale & Particulare. Universale appello, quo plures aut fortè pleræque gentes saltem moratiores pro Jure inter se utuntur & consociantur. Particulare, quod in paucarum, aut fortè duarum gentium peculiarem usum & communionem est conditum. Agnovit hoc discrimen etiam subtilis Grotius, postquam enim *lib. 3. de Iure Bel. & Pac. cap. 4. §. 16.* docuisset, nefas esse in bello spicula veneno inficere, & geminare mortis causas, subjicit: *Si secùs quid eveniat, hoc fore contra Ius Gentium, non Universale, sed Gentium Europæarum, & si quæ ad Europæ melioris cultum accedant.*

§. V.

De Causa efficiente Juris Gentium.

CAusa efficiens Juris Gentium est Consensus Gentium quà talium.

Dixi I. *Consensus Gentium.* Hoc tamen non ità capiendum est, quasi Gentes aliquando calatis velut universalissimis Orbis Comitijs communi quodam placito Jus hoc con-

stituissent, hoc enim videtur ferè impossibile, *Cùm Gentes* (ità Albericus Gentilis *lib.* 1. *de Iur. Bell cap.* 1.) *numero innumeræ, Regionibus immensum disjunctæ, moribus prorsus discrepantes, linguis variis manerent incognitæ*; adeóque moraliter fuerit impossibile, eas omnes in universalissima hæc comitia cogere. Sed Jus hoc usu Gentium frequentato, propagato, inveterato, inter eas denique pro Jure & Vinculo societatis admissum fuit. Pulchrè rursus Albericus Gentilis *d. cap.* 1, inquiens: *Sed quod successivè placere omnibus visum est; id totius* (penè) *orbis decretum & consilium fuisse existimetur. Et verò Ius non scriptum, ut hoc est, item ut consuetudo, aliter non inducitur.* adde Franzkium *ad ff. tit. de I. & I. n.* 133. Sed

Quær. *Vnde nobis de Gentium hoc vel illud pro jure inter se habere volentium consensu sufficienter constare potest?*

Resp. Tum ex constanti usu, praxique populorum, in materia sibi ut Gentibus convenienti, uniformiter operantium; tum ex eo, si Nationes sæpe soleant ad morem aliquem inter se receptum velut ad Jus Commune provocare, itémque de ejus læsione tanquam de violato Jure Gentium conqueri: His

His concurrentibus, vix fortassis erit, qui dubitet, quin hoc sit Jus inter gentes.

Dixi II. *Quà talium.* Si enim negotium quoddam intercedit inter unam & alteram Gentem, non velut inter Gentem & Gentem, sed quasi inter privatum & privatum *v. g.* emendo, mutuum accipiendo, &c. ad Jus Gentium propriè dictum id non pertinebit.

§ VI.

De Subjecto Juris Gentium.

SUbjectum Juris Gentium sunt gentes quà tales: Possunt nimirum homines tripliciter considerari. 1. Tanquam homines, sive quatenus sunt Creaturæ rationis compotes. 2. Quatenus sunt Cives hujus vel illius Reipublicæ. 3. Quatenus in varias Nationes dispersi tanquam membra vastissima immanem Universi hujus, ut ità loquar, Rempublicam constituunt. Primo modo spectati subsunt Juri Naturæ, à quo diriguntur in ordine ad ea, quæ pertinent ad felicitatem creaturæ rationalis, quà talis; Secundo modo considerati subsunt Juri Civili, à quo diriguntur in ordine ad tranquillitatem hujus vel illius Reipublicæ; Tertio modo inspecto obnoxij sunt Juri gentium, à quo

diriguntur in ordine ad ea, quæ concernunt salutem gentium, quà talium.

§. VII.

De Objecto Juris Gentium.

OBjectum Juris gentium sunt ea, quæ præcipiuntur aut prohibentur Jure gentium. Præcipiuntur autem ea, quæ promovent: Prohibentur, quæ impediunt convenientem nexum, societatem, ac communicationem gentium, quà talium inter se. Huc refertur

I. *Distinctio dominiorum.* Ubi tamen cum D. D. Balthasaro Braun *Tract. de Dominio. cap.* 4. §. 2. *n.* 7. probè notandum, distinctionem dominiorum referri posse & ad Jus Naturæ, & Gentium, & Civile. Ad *Jus Naturæ*, quatenus hoc suppositâ frequentiâ, fragilitate, & malitiâ hominum eam, velut medium omninò necessarium ad pacem inter homines conservandam saltem in genere præcipit. Si enim mansisset rerum communio, turpi inertiâ genus humanum obtorpuisset, dum pauci fuissent, quos amor augendæ utilitatis publicæ ad laborem pellexisset. Mundus insuper perpetuis bellorum contentionumque flammis exarsisset, dum potentiores in concursu ejusdem rei occupandæ

pandæ sæpiùs debiliores impedijssent & oppressissent: Ad *Ius Gentium*, quatenus hoc ad tuendam communem inter Gentes concordiam, vult Nationem quamlibet habere territorium suum finibus discretum à territorio gentis alterius. Ad *Ius Civile* deniq; quatenus hoc ad fovendam tranquillitatem inter suam Rempublicam vult dominia inter partes ejusdem discriminata esse, & quatenus præterea adinvenit varios modos res sibi appropriandi. Gemina ferè habet Zentgrav *de Iur' Gent. art.* 5. §. 19.

II. *Libera inter gentes negotiandi facultas.* Jus enim naturæ ad hunc mutuum commerciorum usum per se non obligat, sed posset hæc vel illa Natio sola secum contenta vivere, nihilque commercii aut societatis habere cum alia quamvis non inimica, velut constat de Sinensibus, qui se intra suos fines muro ingenti, immensoque mari circumseptos diu absque ulla cum extraneis consuetudine continuerunt. Moribus autem gentium introductum est, ut esset libera commerciorum facultas, violareturq; Jus gentium, si absque prægnante causa eorundem exercitium sufflaminaretur, Suarez *lib. 2. de LL. cap. 20. n. 7.* Hugo Grotius *de mari libero cap. 1. & 8.*

III. *Bellum, ut est modus puniendi & vin-*

dicandi injuriam ab alia gente sibi illatam. Nam ex vi solius rationis naturalis non erat necessarium, ut hæc ulciscendi potestas esset in republica offensa: potuissent enim homines alium vindictæ modum excogitare, vel illam potestatem committere alicui Principi tertio cum vi coactiva. Tamen quia modus hic, qui nunc observatur, facilior est, humanæque societati magis consentaneus, usu introductus est, & ita justus, ut non possit illi jure resisti. Confer Suarez *d. lib. 2. cap. 19. n. 8.* Gibalin. *lib. 4. scient. Jur Can. cap. 7 quæst. 2. n. 6.* Clariss. D. D. Ebbert *in bello tractatu de bello cap. 3. §. 1. n. 3.*

IV. *Clarigatio, & quæ ad illam pertinet solennis belli indictio.* Esse autem hanc gentium consuetudinem cum mutua quadam obligatione introductam, & ita Juris cujusdam rationem habere, inde patet, quod gentes ejus neglectum molestè ferant, & pro illata sibi injuria interpretari soleant. Sic admodum ægrè tulisse scribit Leonclavius apud Zentgrav *de Jur. gent. art. 6. §. 5. & art. 8 §. 10.* Muhametem Turcarum Sultanum, quod Inaloglio Turcomannorum Princeps nullo sibi indicto bello regnum suum esset ingressus. Sic quoque teste Zouchæo *in Judicio inter gentes part. 2. sect. 10. quæst. 1.* Ferdinandus 2. literis ad Gustavum Adolphum Regem

gem Sueciæ datis multùm conqueſtus eſt, quod tanto cum exercitu Romanum Imperium invaſiſſet, & bello non indicto tantas turbas excitâſſet.

V. *Servitutes perſonarum*, ut ſcilicet capti in bello efficerentur ſervi §. 2. *Inſt. de Jur. perſon.* Sed de his infra.

VI. *Admiſſio Legatorũ & eorum inviolabilitas.* Nam conſuetudo recipiendi Legatos ſub lege immunitatis & ſecuritatis abſolutè ſpectata non eſt de neceſſitate Juris naturalis, ſed ſtando in hoc jure potuiſſet unaquæque communitas hominum non habere apud ſe Legatos alterius gentis, nec velle illos admittere; imò potuiſſet miſſos ab hoſte injuſto jure belli occidere tanquam partem hoſtilem Reipublicæ nocentis; nunc autem illos admittere eſt de Jure gentium, repudiare aut lædere eſſet ſignum inimicitiæ, & violatio Juris gentium. Pulchrè Pomponius *in l. ult. ff. de legation. Si quis Legatum hoſtium pulsâſſet, contra Jus gentium id commiſſum eſſe exiſtimatur: quia ſancti habentur Legati. Et ideo ſi, cum legati apud nos eſſent gentis alicujus, bellum cum eis indictum ſit, reſponſum eſt, liberos eos manere, id enim Jure gentium convenit eſſe.* Et Quintilianus apud Rachel *de Jur. gent. §. 72. Si civis pulſatus eſt, actio injuriarum*

eſt,

est, si magistratus, majestatis, si Legatus, bello & Jure gentium agitur. Unde Statius

- - - - - - - - - - - *Legati*
Sanctum sunt semper populis per sæcula nomen.

Quær. I. *An Legatos ad hostem transeuntes intercipere liceat?*

CUm Fregosius & Rinco Francisci I. Regis Galliarum Legati occultè per Italiam ad Turcam contendentes capti, & jubente Carolo V. occisi essent, Rex Galliarum de gravi injuria contra Jus gentium perpetrata questus est. *Quæritur igitur, quid hic sentiendum?*

R*ſp.* Si justa suspicio subsit, quod Legati aliquid sint machinaturi contra eos, per quorum territoria transeunt, nulla videtur dubitatio, quin possint intercipi. Quis enim contra se ipsum torquenda tela prævisa, si potest, non antevertat? quodsi constet eos ad alia & separata negotia missos esse, minùs justum est, eos impedire. Hinc Alexander M. captâ Tyro Carthaginensium Legatos inviolatos dimisit, ut refert Curtius, quia aderant ibi ad celebranda anniversaria sacra. Zouchæus *de Judic. inter gent. part.* 2. *sect.* 9. *quæst.* 18.

Quær.

Quær. II. *Si Legatus in officio delinquat, an & à quo possit puniri?*

Resp. Distinguendo, an delinquat contra officium hominis, ut si adulterium, homicidium vel furtum perpetret; an contra officium Legati, ut si populum concitet, in necem principis conspiret. Casu priore Legatus puniri nequit ab eo, in cujus territorio deliquit, Sicut enim Princeps Legati contra officium hominis delinquens non potest puniri ab alio, cum par in parem non habeat imperium, ita nec Legatus Principis, is enim personam sui principis sustinet. Hinc Persarum Legatos injustè à Macedoniis occisos dicit Herodotus *lib. 5. Histor.* quod Persicis assueti moribus liberiùs cum fœminis versati fuerint, & illecebrem manum in sinum injecerint matrimonialem. Posteriore casu Legatus puniri potest ab illo ipso, ad quem missus est. Legatus enim eousque gaudet securitate publicâ, quousque personam sui Principis sustinet, si hâc exutâ hostilem induit, indignus est, cui Jus gentium suffragetur. Certè ipse Princeps si hostilia machinetur Reipublicæ alienæ, frustra improbitati suæ majestatem obtendit: nemo enim in hoste quærit, Princeps sit, nec ne, sed hostilia, qui molitur; experitur hostilia. Si

ergo

ergo tum Principi non parcitur, quomodo minister ejus sibi securitatem pollicebitur? Wurmser *discurs.* 4. *Jur. publ. quæst.* 9. Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Stat. Imp. cap.* 19. *n.* 12. D. D. Gletle *in quæst. select. part.* 2. *quæst.* 6.

VII. *Venenatio armorum & fontium.* Quamvis enim, si Jus naturæ respicias, nihil interfit, an eum, quem occidere licet, gladio an veneno interimas; Jus tamen gentium, si non omnium, certè meliorum, jam olim erat, ne hostis veneno interficeretur, ut hoc modo pericula in bellis, quæ crebiora esse cœperant, diminuerentur. Grotius *de J. B. & P. lib.* 3. *cap.* 4. §. 15. & 16. *Hinc armis bella, non venenis geri debere* apud Valerium Maximum legitur *lib.* 3. *cap.* 8. eumque

\- - - - - *ferrum infamare veneno*

Dixit Silius, qui toxico illitis telis in hostem utitur. Hinc quoque Hispani gravi notantur crimine apud Zouchæum *in Jud. inter gent. part.* 2. *sect.* 10. *quæst.* 5. quod Neapoli à Gallis obsessi mixto veneno fontibus, accedentibus insuper scortis formosissimis urbe emissis, turpem illum morbum antea Neapolitanum, postea Gallicum appellatum obsidentibus affricuerint. Non idem tamen statuendum de aquis sine veneno corrumpendis, ut bibi nequeant, id enim perinde habe-

habetur, quasi avertatur flumen, aut fontium venæ intercipiantur, quod & naturali, & gentium Jure licitum est Grotius *d. cap.* 4. §. 15. *& seq.* Zouchæus *d. sect.* 10. *quæst.* 5.

Quær. *An & Jure gentium prohibitum sit, immisso percussore hostem occidere?*

Resp. Referre an ejusmodi percussores hosti quodam fidei vinculo adstringantur, ut subditus Regi, vasallus Domino, miles ei, cui militat, recepti, ut supplices, aut advenæ, aut transfugæ eis, à quibus recepti sunt: an nullo adstringantur. Si prius: neque ipsi tantùm percussores contra Jus gentium faciunt, sed & qui eorum utuntur operâ. Docent hoc illa Alexandri ad Darium à Curtio *lib.* 4. relata verba: *impia*, inquit, *bella suscipitis, & cùm habeatis arma, licitamini hostium capita.* Et mox: *qui ne belli quidem jura in me servaveritis* Et rursus eodem *lib.* 4. *ad internecionem mihi persequendus est, non ut justus hostis, sed ut percussor veneficus.* Si posterius: omninò licere existimem, cùm non naturæ tantùm, sed & gentium Jure hostem ubivis occidere liceat. Nec refert, quot sint, qui faciant, aut qui patiantur. Hinc videas non tam improbari ab Historicis Quinti Mutij Scævolæ conatum in Porsenam Regem

Regem Hetruscorum, quàm probari Porsena ipse in hoc facto nil nisi virtutem agnovit. Valerius Maximus *lib. 3. cap. 3.* pium ac forte propositum vocat, laudat & Cicero pro Publio Sextio. Zouchæus *d. sect. 10. quæst. 6.*

VIII. *Inducia*, non quidem, quatenus servandæ sunt, hoc enim respectu ad Jus naturæ spectant, sed quatenus debito modo petitæ admittendæ sunt. Franzk. *ad ff. tit. de J. & J. n. 140.* &c. &c.

§. VIII.

De Forma Juris Gentium.

FOrma Juris Gentium est vel intrinseca, vel extrinseca.

Forma intrinseca stat in differentia specifica, quâ distinguitur Jus Gentium à Naturali & Civili. Distinguitur autem in eo, quod Jus Gentium procedat à gentibus vel pluribus, vel paucioribus collectivè sumptis, obliget gentes vel plures vel pauciores disjunctivè acceptas ad facienda ea, quæ gentibus quà talibus sunt consentanea, & vitanda contraria, in ordine ad felicem Gentium quà talium tranquillitatem.

Forma extrinseca stat in promulgatione Juris Gentium. Promulgatur autem Jus gen-

Gentium eo planè modo, quo Jus non scriptum. Constat ex supradictis.

§. IX.

De Effectu Juris Gentium.

EFfectus Juris Gentium est obligatio ad Observationem, quæ si violetur, Prævaricator meretur pœnam aliquam pro gravitate admissi, *v. g.* pœnam belli.

§. X.

De Contrarijs Juris Gentium.

COntraria Juri Gentium est mutabilitas. Cùm enim Jus gentium pendeat à tacito Consensu gentium, potuisséque absolutè non poni, vel aliter poni, per eandem gentium voluntatem contrariam rursus immutari potest. *Nihil enim tam naturale est, quàm unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est, Cap. 1. de Reg. Jur. in 6. & l. 35. ff. de Reg. Jur.*

SECTIO III.
DE JURE CIVILI.

Articulus Primus.
De Jure Civili in genere.

§. I.
De Homonymia Juris Civilis.

JUs Civile sumitur potissimùm quadrupliciter. (1.) Generalissimè, prout complectitur Jus profanum sive commune, sive feudale, sive statutarium ab Ecclesiastico diversum. (2.) Generaliter, pro Jure positivo expressâ vel tacitâ sæcularis Legislatoris voluntate in usum propriæ & determinatæ Reipublicæ lato. (3.) Strictè, pro Jure Civili Romano cum inclusione Juris Prætorij. (4.) Strictissimè, pro Jure Civili Romano cum exclusione Juris honorarij.

Hìc potissimùm in 2. Acceptione sumitur, & in

§. II.
De Definitione Juris Civilis.

DEfinitur: Jus, quod Potestas sæcularis constituit pro bono peculiari Civitatis sive Reipublicæ suæ.

§. III.

§. III.

De Divisione Juris Civilis.

Dividitur Jus Civile in Civile Romanum & Civile aliarum rerumpublicarum v.g. Civile Hispanicum, Gallicum, Anglicum, Suecicum, Danicum &c.

Subdividitur 1. Jus Civile Romanum (sæpius Jus hoc antonomasticè simpliciter Civile salutatur) in purè Romanũ, & Romano-Germanicum. Purè Romanum continetur potissimùm in *Institutis, Pandectis, Codice, Novellis.* Romano-Germanicum potissimùm *in Aurea Bulla, Recessibus Imperii, Pace prophanâ, Religiosâ, Ordinatione Cameræ Imperialis, Ordinatione Consilij Aulici Viennensis, Nemesi Carolina, Capitulatione Cæsarea & Instrumento Pacis VVestphalicæ.* De quibus jam omnibus suprà actum est.

Subdividitur 2. Jus Civile Romanum in publicum & privatum. Publicum est, quod proximè & principaliter respicit Statum & utilitatem Reipublicæ, quò pertinet *Legumlatio, Creatio Magistratuum, Punitio criminum, Aggratiatio, Legitimatio, Restitutio famæ, Bella, Pax, Fœdera &c.* Privatum est, quod primariò respicit utilitatem privatorum, quò pertinet *Patria & dominica Potestas, Tutelæ, Testamenta, Contractus, Actiones &c.*

Subdividitur 2. Jus Civile Romanum in merum & mixtum. Vinnius *ad § 1. Inst. de J. N. G. & C. n.* 2. Eckolt *ad tit. de J. & J. §. 27.* Merum est, quod neque à Naturali, neque à Gentium Jure sumptum est, sed ingenio potestatis civilis excogitatum est, quò pertinent *Scta Macedonianum, Velleianum, Trebellianum, Leges Ælia sentia, Fusia Caninia, Furia, Voconia, Falcidia*, & multæ aliæ, quæ non sunt à natura sumptæ, sed Romæ natæ, & quasi vernaculæ. Mixtum est, quod à Naturali vel Gentium Jure partem aliquam obtinet, quò pertinet *l. 6. ff. de J. & J.* ubi ita Ulpianus: *Jus Civile est, quod neque in totum à Naturali, vel Gentium recedit, nec per omnia ei servit, itaque cùm aliquid addimus, vel detrahimus Juri communi, Jus proprium, id est, Jus civile efficimus.* Et huc spectant quàm plurimæ leges Juris nostri Romani.

Subdividitur 4. Jus Civile Romanum in scriptum, & non scriptum. De illo *art.* 2. de hoc *art.* 3. pluribus agemus.

§. IV.

De Causa efficiente Juris Civilis.

CAusa efficiens Juris Civilis est vel remota vel proxima.

Causa

Causa efficiens remota est Ipse Deus. Ita enim edicit Divina Sapientia *proverb.* 8. *v.* 15. *& seq. per me Reges regnant, & Conditores legum justa decernunt, per me Principes imperant & Potentes decernunt Justitiam.* Divinæ Sapientiæ succlamat Doctor Gentium, dum *cap.* 13. *v.* 1. *ad Roman.* in hæc verba scribit: *non est potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt.*

Causa efficiens proxima est is, qui Jus Civile condere potest. Potest id autem Supremus in communitate politicâ, adeoque Princeps in Statu monarchico, Primates in aristocratico, in democratico populus universus.

In Specie in Imperio Romano-Germanico hodie Leges universales ferre potest.

I. Imperator, vel ejusdem nomine Rex Romanorum, Vicarij, aut Commissarij ejusdem. Vide *R. J. Augustæ de anno* 1525 *Spiræ de anno* 1526. *Eslingæ de anno* 1526. *Ratisbonæ de anno* 1527. *Spiræ de anno* 1542. Sed tamen non aliter, quàm de Suffragio & Consensu Statuum Imperij *Capit. Caroli V. art.* 2. *& 32. Ferdinandi III. art.* 2. *&* 40. *Leopoldi art.* 2. *&* 38. *Josephi art.* 2. *&* 37. *Instrum. Pac. art.* 8. §. *gaudeant.*

Verùm tametsi Leges universales, modernæ Reipublicæ facie inspectâ, communi

Imperatoris Procerumque Imperii Suffragio concipiantur, earundem tamen publicatio adhuc hodie solius plerumque Imperatoris authoritate fieri consuevit. Id quod hæc similisvè omnibus pene Recessibus Imperii præfixa formula testatur: Nachdem wir uns mit denen Ständen / und sie sich wiederumb mit uns verglichen / so setzen demnach / ordnen und wollen wir auß Römischer Käyserlicher Macht / und Vollkommenheit ꝛc. Ita illustris D. ab Andler *in Jurisp. quà publ. quà privat. lib. 1. tit. 3. n. 30.* Strickius *in usu modern ff. tit. de LL §. 3.*

Dixi notanter plerumque id fieri. Nam id non esse perpetuum, satis ostendisse videtur Hippolitus à lapide *in Dissert. de Rat. Stat. part. 1. cap. 6. sect. 2. circa fin. ex Const.* Von gemeinen Pfenning *de anno 1495. in pr. ex Ordinat. & Constit. super vino de anno 1497. in pr. ex Ordinat. Regimenti de anno 1500. in pr. ex Reformat. politiæ de anno 1530. in pr. ex Ordinat. Cam. de anno 1555. in princ.*

II. In Imperio nostro Electores, Principes, reliquique Imperij Status vi superioritatis territorialis Krafft Lands hoher Obrigkeit / Lands Hoheit und Obrigkeit Leges locales seu provinciales *Germ.* Landrecht / Lands-Ordnung / Land-Gesätz liberè statuunt,

tuunt, easque quotidiè exercent, uti constat ex *Ordinat. Cam. Imp. part. 1. tit. 57.* Reinkging *de Reg. sacul. & Eccl. lib. 1. class. 5. cap. 6. n. 9.* Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. cap. 39. n. 2.* Monzambano *de Statu Imp Germ. cap. 5. §. 13.* ibique Kulpis *in comment.*

III. Idipsum Jus Nomotheseos attribuimus immediatæ Imperij Nobilitati Franconicæ, Rhenanæ & Suevicæ der unmittelbaren Fränckischen / Rheinischen / und Schwäbischen Ritterschafft: Esto enim Nobiles hi immediati hodie (nam an olim fuerint, multùm disceptant Juris publici periti) non sint Status Imperij, cùm non habeant votum & Sessionem in Comitijs, quod tamen essentiale Status Imperij signum est per dicenda inferiùs; de cœtero tamen æq; ac Status Imperij Jure territoriali (suo sensu infra explicando) ideoque & potestate nomotheticâ fruuntur. Adeo ut verè cum Monzambano *de Statu Imp. Germ. cap. 2. §. 14.* dicere queas, quod Nobilibus immediatis ad Principum fortunam nihil præter opes deesse videatur.

Quær. I. *An ad validitatem hujusmodi Statuti Consensus & Confirmatio Imperatoris quoque desideretur?*

R*Esp.* Esse hoc dubiis præcavendis utile, non tamen necessarium. Ita cum communi JCtorum schola Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. cap.* 39. *n* 11. Monzambano *d. cap.* 5 §. 13. Kulpis *ad Monzambano* §. *eod. circa fin.* Strickius *in usu modern. ff. tit. de LL.* §. 5.

Quær. II. *An Status Imperij (ea, quæ de Statibus Imperij hìc dicuntur, de Nobilibus immediatis quoque intellecta sunto) condituri Statuta localia, teneantur adhibere Consensum Ordinum provincialium*, der Landt-Stände?

R*Esp.* Statuta hæc provincialia plerumque fieri in Conventibus provincialibus cum Ordinum provincialium Consensu (auf den Landt-Tägen mit Rath/ und Gutachten der Landt-Stände) quod an voluntatis tantùm, an verò necessitatis etiam sit, antiqua cujusque Regionis observantia, & pacta conventa inter Dominum Territorij & Ordines provinciales omnium optimè te edocere poterunt. Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Stat. Imp. cap.* 39. *n.* 9. & 10. Schweder *in introduct. in Jus publ. part. special. sect.* 2. *cap.* 13. *n.* 3. plerumque tamen tantùm voluntatis est, non necessitatis. Cocceius *in Jurisprud. publ. cap.* 23. §. 1. *n.* 4.

Quær.

Quær. III. *An Status Imperij etiam contra Jus commune Statuta condere queant?*

CErtum est 1. quod possint contra Jus commune Justinianeum, Sic enim passim in Romano-Germanico Imperio Statuta *de Successione ab intestato, de solennitatibus testamentorum, & contractuum, de Jure retractûs, unione prolium* &c. Juri communi Justinianeo repugnantia lata, & publicata deprehendimus, teneturque Camera Imperialis in causis inter provinciales controversis secundum ea pronuntiare, modò ritè fuerint insinuata. *Ordinat. Cam. de anno* 1555. *part.* 1. *tit.* 57. ibi: nach redlichen / ehrbaren / und Landischen Ordnungen / Statuten / und Gewohnheiten der Fürstenthumben / Herrschafften / und Gericht / die vor sie bracht werden. Eadem repetita sunt in *novissimo Recessu Imp. de anno* 1654. §. Benebens sollen. 105. Add. Gail. *lib.* 1. *obs.* 36. *n.* 14. *&* 16. *& lib.* 2. *obs.* 124. *n.* 2. Reinkgingk *de Reg. sæcul & Eccles. lib.* 1. *class.* 5. *cap.* 6. *n.* 10. Myler ab Ehrenbach *d. cap.* 39. *n.* 4 *&* 6. Ludolphus Hugo *de Stat. Reg. Germ. cap.* 3. §. 18. Et communiter DD contra Arthurum Duckium *de usu & authorit. Jur. Civil, lib.* 2. *cap.* 2. §. 18.

Certum est 2. quod Status Imperij per sua

Statuta provincialia etiam Receſſibus Imperij derogare poſſint, quando ita conduntur, ut nihil Statutis & particularibus conſuetudinibus præjudicetur, vel etiam diſertè permittatur Ordinibus, diverſum quid á Lege publica Imperij, ſi ita viſum fuerit, in ditionibus ſuis conſtituere; ejusmodi clauſula habetur *in Nemeſi Carolina in pr. ibi.* Doch wollen Wir durch dieſe gnädige Erinnerung Churfürſten / Fürſten / und Ständen an ihren alten / wohlhergebrachten / rechtmäſſigen und billigen Gebräuchen nichts benommen haben. Similis clauſula reperitur *in noviſſimâ Comitiorum Ratisbonenſium Conſtitutione de æris alieni moderatione* §. Setzen demnach 171. ibi: zum zweyten den jenigen ebenmäſſig nachgelebet werden ſolle / was Churfürſten / und Stände in ihren Territorijs nach deren Jhme am beſten bekandten Zuſtand und erlittenen Kriegs-Schaden / wie es in Credit-Sachen / und von ihren Underthanen / und Bürgern zu halten / allbereit verordnet / und nach Anleitung folgenden Regulen weiter verordnen mögten. Sed

Difficultas eſt, ſi Conſtitutiones Imperij Romano-Germanici ſimpliciter ferantur, an & in hoc caſu per Jura & Conſuetudines territoriales ijs derogari poſſit?

Reſp.

R *Esp.* Affirmativè, ita Köhne *in dissert de modern Stat. Elector. S. R. I. pag. mihi* 45. Strickius *in præfat. ad paratit. Brunnemanni, & in usu modern. ff. tit. de LL.* §. 3 constat assertio experientiâ: vix enim in Imperio nostro reperitur provincia, ubi non habeantur Statuta & consuetudines publicis Imperij sanctionibus adversantes. Ergo

Dices: Omnes ferè Imperij Constitutiones solenni hac contestatione concluduntur: Wir Churfürsten / Fürsten ꝛc. gereden / versprechen auch in guten / wahren Treuen / die obgeschriebene Puncta und Articul stät / vest / auffrichtig und unverbrüchlich zu halten / zu vollziehen / und denen nach allen unsern Vermögen nachzukommen / und nachzuleben. Ergo. *Resp.* Has promissiones de Legibus Imperij servandis regulariter tantùm stringere Status, quando inter ipsos negotium intercedit, non autem eo ipso interdictum est, quo minùs quoad subditos suos generales illas Imperij sanctiones limitare, restringere, vel penitus immutare valeant. Strickius *d.* §. 8.

§. V.

De Subjecto Juris Civilis.

SUbjectum Juris Civilis est is, qui obligatur Jure Civili. Obligatur autem, qui est ratio-

rationis capax, verè vel quasi subditus Legislatori, ac moraliter saltem in Territorio Legislatoris existens.

Dicitur 1. *Qui est rationis capax.* Cùm enim lex sit moralis actionum humanarum regula, rationis usu destitutos, utpote penitus inhabiles, ad vim Legis intelligendam, dirigere non potest.

Dicitur 2. *Verè vel quasi subditus Legislatori.* Obligatio Legis siquidem supponit ex parte obligare volentis potestatem in personam obligandam, adeoque nisi quis Legislatori subsit, ab eodem Legum vinculis constringi nequit.

Quær. I. *An Princeps Legislator teneatur legibus positivis?*

CErtum est, Principem non esse solutum legibus fundamentalibus. Sic Augustissimus noster obligatur Aureâ Bullâ, Pace religiosâ, & prophanâ, Recessibus Imperij, Capitulatione &c. Non tamen aliter, quàm per modum contractûs *per declarationem Pacis prophanæ de anno* 1500. *in princ. R. I. de anno* 1559. §. Solches alles 85. & §. Und Wir Churfürsten 86. *R. I. de anno* 1654. §. Uber diß 197. & §. Und Wir die Churfürsten 199. *Capit Leopold. & Joseph in princ. & art.* 2 D. ab Andler *in Jurisprud. quà publ. quà privat. lib.* 1. *tit.* 3.

tit. 3. n. 25. & 26. D.D. Woller *in quæst. select. Salisburg. edit. quæst. 2. n. 13 & 14.* D. D. Sommeting *in Introduct. in Jus univers. lib. 1. tit. 2. part. 3. §. 5. n. 65.*

Difficultas igitur solummodò restat circa Leges positivas non fundamentales.

Præmitto vim aliam esse coactivam, directivam aliam. Coactiva est, quando quis ad Legis observantiam cogi potest, & ejusdem prævaricator pœnæ temporali subjici. Directiva est, quæ obligat in conscientia. Directiva rursus est vel directa, vel indirecta. Illa est, quando quis immediatè ex ipsa Lege obligatur, sic obligatur subditus legibus sui territorij; hæc est, quando quis tantùm occasione Legis obligatur, ita obligatur non subditus, qui juravit se servaturum Leges alienæ provinciæ. His prænotatis

Resp. 1. Princeps non tenetur vi legum coactivâ. Ita omnes.

Prob. Vis coactiva Legis consistit in imperando & cogendo *l. 7. ff. de LL.* quis autem Principem coget, vel ei imperabit? *Quis tantæ est authoritatis*, exclamat Imperator noster in Nov. 23. cap. 2. *ut nolentem Principē possit coarctare?* an superior? non recognoscit nisi Deum & gladium; an inferior? non habet par in parem potestatem *l. 4. ff. de recept. qui arbitr.* quomodo inferior in superiorem? an

ipse

ipse seipsum? sed nemo sibi imperare, seque per modum Legislatoris prohibere potest. *l. 51. ff. de recept. qui arbitr.* Ergo

Resp. 2. Princeps nequidem obligatur Legibus suis positivis vi directivâ directâ.

Prob, ut quis obligetur vi directivâ directâ, requiritur in Auctore legis & potestas & voluntas sic obligandi; atqui in Principe nec est potestas, nec voluntas seipsum obligandi. Non potestas: hæc enim supponit ex parte obligare volentis Jus superius, ergo cum Legislator non sit seipso superior, legaliter seipsum obligare non potest. Non voluntas: Author legis enim, dum legem condit, non id agit, ut se, sed ut suos sibi subjectos obliget,

Resp. 3. Princeps obligatur Legibus suis positivis, modò Leges materiam Principi & subditis communem respiciant, vi directivâ indirectâ.

Prob. Princeps tenetur vi officij suiquibuslibet mediis honestis subditos suos ad rectum virtutis tramitem Legumque observantiam deducere, quem finem autem, quomodo assequi possit faciliùs, quàm si ipse præstet id, quod ab aliis exigit, ac leges à se latas exemplo suo comprobet, non facilè perspicio, pulchrè Claudianus.

In commune jubes si quid, censesque tenendum,

Primus

Primus jussa subi, tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Censorem parere sibi. Componitur Orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos Edicta valent, quàm vita Regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Imò Plato *lib. 4. de LL.* non dubitavit in hæc verba erumpere: *Interitum video paratum illi civitati, in qua non Lex Magistratibus, sed Magistratus Legibus dominantur. Vis igitur* (exclamat Lipsius *in politicis lib. 2. cap 9. n. 5.*) *O Princeps tuam Rempublicam salvam, tuosq. bonos? ipse bonus esto, rectè facere Princeps cives suos faciendo docet.* Et ita sentiunt D. D. Perschacher *tract de LL. quæst. 4. art. 11. §. 1.* D. D. Mezger *disp. de LL. cap. 5. §. 5. n. 2. & 3.* D. D. Engel *in Colleg. Jur. Can. lib. 1. tit. 2. §. 3. n. 27.* D. D. König *lib. 1, Jur. Can. tit. 2. §. 7. n. 10.* D. D. Gletle *in Jurisprud. fundament. tit. 2. cap. 4 §. 5. n. 9.* D. D. Sommeting *d. tit. 2. part. 3. §. 5. n. 63.* magna quondam celeberrimæ Archi-Episcopalis Universatis Salisburgensis columina & lumina.

Quær. II. *An peregrini teneantur particularibus Legibus & Consuetudinibus loci, per quem transeunt, nullam ibi locorum moram facturi.*

Con-

Conveniunt Doctores, peregrinos teneri Statutis loci, per quem transeunt. 1. Si Lex particularis lata sit ad cavendum speciale damnum illius Reipublicæ, quod æq; emergere coteſt per advenas ac per incolas, aut ad procurandum ſpeciale bonum valde neceſſarium, quia cæteroquin non ſufficienter proſpectum foret indemnitati provinciæ. 2. Si Leges contractibus, aliisque actibus certas formas & ſolennitates præſcribunt: hi namque regulantur ſecundum Leges loci, in quo celebrantur *l. 6. ff. de evict. l 1. C. de emancip. lib.* 3. Si ex transgreſſione Statutorum enaſceretur ſcandalum, quod tamen juxta D. D. Ebbert *part. 1. ſelect. controvers. 4 n. 6. & ſeq.* facilè evitari poteſt, vel occultè contraveniendo, vel dicendo adſtantibus, ſe ad illas Leges non obligari.

De cæteris igitur particularibus locorum Conſtitutionibus Quæſtio procedit, utrùm iis obligentur peregrini tranſeuntes?

Reſp. Negativè ita Leſſius *de J. & J. lib. 4. cap. 2. dubit. 7. n. 48. & 49*, Laymann *in Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 12. n. 4.* D. D. Engel *in Colleg. Jur. Can. lib. 1. tit 2 §. 3.* Magnificus D. D, Philippus Braun *in princ. Jur. Can. lib. 1. tit. 2. concl. 3.* D. D. Gletle *in Juris-*

prud. fund. tit. 2. cap. 4 §. 5 n. 23. D. D. Ebbert *dict. contr. 4. n. 15. & seq.*

Prob. Quando quis provinciam ingreditur, animo intra breve temporis spatium discedendi, non subijcitur loci Jurisdictioni & imperio, cùm nec verum nec quasi domicilium ibi acquirat, nec ratione contractûs, aut delicti, aut aliâ de causâ forum ibidem sortiatur, ergo non obligatur particularibus illius loci legibus, eo quod obligatio ex Lege resultans supponat ex parte obligare volentis jus in personam obligandam, quod hic deficit. Sed demus etiam, quod Legislator Jus habeat peregrinos legibus suis provincialibus obligandi, unde verò constat, quod eos de facto obligare velit, certè id nullo Jure expressè prodidit: ergo eos obligare non est censendus, *contra illum enim, qui Legem apertiùs dicere potuit, & non dixit, facienda est interpretatio. cap. 57. de R. J. in 6.*

Dixi 3. Ac moraliter saltem in territorio Legislatoris existens. Est enim territorium Principis quasi Sphæra activitatis Legislatoris, ultra quam nullum jurisdictionis effectum exercere potest, *cùm extra territorium Jus dicendi impunè non pareatur l. ult. ff. de Jurisdict.* facit etiam Textus *in cap. 2. de Constit. in 6.*

§. VI.

De Objecto Juris Civilis.

OBjectum Legis Civilis sunt ea, quæ Lege Civili præcipiuntur, prohibentur, permittuntur, aut puniuntur *Legis enim virtus est imperare, vetare, permittere, & punire l. 7 ff. de LL.*

Præcipi autem possunt possibilia, honesta, & humanæ fragilitati accommodata.

Dixi 1. *Possibilia.* Siquidem primus, intrinsecus, & formalis Legis effectus est obligatio; *Ad impossibile autem nemo obligatur. l* 185. *ff. de R. J. & cap. 6 eodem in 6.*

Dixi 2. *Honesta. Nam quæ facta* (ut verè Christianè & ethicè Papinianus Ethnicus *in l.* 15. *ff. de condit. Instit.*) *lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & generaliter contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est.*

Dixi 3. *Humanæ fragilitati accommodata.* Cæteroquin Lex præberet occasionem moraliter certam frequentissimis transgressionibus, sicque foret potiùs in destructionem, quàm in ædificationem.

Prohiberi possunt non tantùm, quæ intrinsecâ suâ naturâ turpia sunt, sed & indifferentia, si in certis circumstantiis permissio illorum bono publico præjudicare videatur.

Quia

Quin & honesta, si fini per Legislatorem intento adversantur. Unde quamvis per se bonum sit administrare Justitiam, tamen prohibetur administrari die feriato per textum elegantem *in l. ult. C. de feriis.*

Permitti possunt non solùm honesta, sed & ad majus malum evitandum quandoque etiam inhonesta. Sic ad præcavenda majora delicta carnis in quibusdam locis permittuntur lupanaria. Et ideo etiam Jure Divino veteri *Deuteron.* 23. *v.* 19. probabiliter permissum fuit Judæis cum extraneis exercere usuras, ne simile committerent cum suis fratribus.

Puniri denique possunt & debent prævaricatores legum, frustra enim esset ira legum, nisi executionis vires insuper accedant. Pulchrè *R. J. de anno* 1522. *in pr.* ibi: Dieweil die Gesetze gemeiner Rechten/und alle obgedachte/auch andere Satzungen und Ordnungen/darzu erlangte Rechte/nit nutzen oder fruchtbar/wofern die mit statilicher/billiger/und ernstlicher Handhabung und Execution aufgesetzter/und gebührender Straff/und sonsten der Rotturfft nach/gegen denen Ubertrettern/und Verächtern nit vollzogen würden.

§. VII.

De Forma Juris Civilis.

FOrma Legis Civilis alia est intrinseca, alia extrinseca.

Forma intrinseca Juris Civilis stat in differentia specifica, per quam Jus Civile differt ab omni alio Jure non Civili. Differt autem in eo, quod Jus Civile feratur à Supremo in communitate politica, præcipiente ea, quæ consentanea sunt suæ Reipublicæ; & prohibente ea, quæ eidem sunt dissentanea, in ordine ad felicem ejusdem Statum promovendum.

Forma extrinseca Juris Civilis stat in publicâ ejusdem promulgatione. Est enim Lex quædam quasi allocutio ad communitatem, ergo ab eadem debet posse percipi, quomodo autem percipietur, nisi publicè & solenniter promulgetur? nec tamen opus est, ut singulis in particulari intimetur, hoc enim moraliter est ferè impossibile, sed sufficit ita publicè proponi, ut facilè possit penetrare in notitiam communitatis *cap. 1. v. quod nec sufficit. De postulat. prælat.*

Quær. I. *Ubi Lex Civilis sit promulganda?*

Resp. 1. Abstrahendo à singularibus privilegijs & consuetudinibus rerumpublicarum, sufficit Legem Civilem in Regni Metropoli promulgari. Laymann *in Theolog. moral. lib.* 1. *tr.* 4 *cap.* 2 *n.* 1. Haunold *de* J & J. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *contr.* 2. *n.* 13. cum communi Doctorum sententia.

Prob. Tum Legi Civili sua constat efficacia obligatoria, quando ipsi nihil deest ex omnibus sive de Jure naturæ, sive positivo requisitis; sed Legi in Metropoli promulgatæ nihil deest; Ergo. Minor prob. Requisita de Jure naturæ sunt actus Legis, voluntas obligandi in Legislatore, ac publica intimatio; sed hæc omnia adsunt. Neque ex Jure positivo quidquam obstare supponitur, Ergo.

Resp. 2. Legibus Imperij non aliter vis sua constat, nisi in Metropoli cujusque provinciæ promulgatæ fuerint, & à tempore promulgationis factæ bimestre spatium effluxerit. Ita Suarez *de LL. lib.* 3. *cap.* 16. Layman *dict. cap.* 2. *n.* 4. Haunold *d. contr.* 2. *n.* 14. Illung *in Theolog. pract. univers. tract.* 1. *disp.* 2. *art.* 1. *n.* 3.

Prob per *Novell* 66. *cap.* 1. Quæ constitutio licet tantùm de Legibus testamentariis loqui videatur, meritò tamen ad alias etiam Leges extenditur, præterquam enim, quòd

in aliis etiam Legibus eadem subsit ratio, rubrica quoque *allegatæ Novellæ* 66. generalibus planè verbis concepta est. Ergo.

Illud tamen notandum est primò *dict. Novell.* 66. ad Constitutiones Legislatorū inferiorum extendendam non esse, sed iis, nullo certo tempore expresso, scientes obligari statim, ignorantes post tempus arbitrarium, quo rationabiliter potest præsumi de ipsarum notitiâ, & quo tempore elapso subditi non debuissent Constitutionem ignorare juxta *cap.* 1. *de conces. præbend. in* 6. Laymann *d. cap.* 2. *n.* 4. Suarez *de LL. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 7. Illung *d. tr.* 1. *disp.* 2. *art.* 1. *n.* 3. D. D. Engel *d. lib.* 1. *tit.* 2. §. 4. D. D. König *d. lib.* 1. *tit.* 2. §. 9. *n.* 20.

Illud notandum secundò, quod Recessus Imperii non ligent Cameram Imperialem ante, quàm eidem ab Electore Moguntino insinuati sint, quæ insinuatio in ultimo Imperij Recessu ad 5. menses dilata fuit. Blumius *in proces. Cam. tit.* 2. §. 9.

Quæst. II. *An ad efficaciam Legis Civilis etiam requiratur acceptatio populi?*

Resp. Nec ad Civilis, nedum ad Pontificiæ Legis efficaciam requiritur acceptatio populi. Ita Suarez *de LL. lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 4. Laymann *d. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *n.* 1. D. D. Petschacher *tr. de LL. quæst.* 4. *art.* 7. D. D.

Mezger

Mezger *disp de LL. cap.* 4. §. 5. D. D. Ebbert. *part.* 1. *contr select.* 3. *n.* 9. *& seq.*

Prob. Uterque Legislator potest, & vult obligare lege suâ subditos independenter ab acceptatione populi, ergo de facto sic obligat. *Potest.* patet de sæculari ex §. 9 *Inst. de* J. N. G. & C. & *l.* 1. *pr. ff. de Constit. princ.* Ubi populus Lege regiâ omnem potestatem, omneque Imperium in Principem transtulit, ergo & potestatem populum obligandi & urgendi ad acceptandam Legem, sine qua obligandi facultas alioquin esset inefficax. Patet de Ecclesiastico ex eo, quod potestas condendæ Legis Ecclesiasticæ soli Petro ejusq: Successoribus absque limitatione ad consensum populi collata fuerit, uti constat ex *Matth.* 16. *v.* 19. *& Joann. ult. v.* 17. *Vult*, colligitur ex eo, quia 1. uterque Legislator solet per pœnas ad Legum suarum executionem compellere, ut docet communis usus. 2. Verba Legum sunt simpliciter præceptiva, vel prohibitiva, ergo sufficienter exprimunt voluntatem Legislatoris cupientis absolutè & independenter ab acceptatione populi obligare tam ad acceptationem, quàm executionem Legum suarum. 3. *In Novell.* 66. *cap.* 1. post publicationem Legum & lapsum temporis designati præcisè exigitur observantia Legum, nullâ acceptationis mentio-

ne factâ. 4. Denique nostra doctrina magis congruit tum subditorum subjectioni, tum ordinato regimini ac publicæ tranquillitati. Ergo. *Confirmatur.* Si vigor Legum penderet ab acceptatione populi, tum populus Leges à Legislatore promulgatas liberè & licitè etiam absque ulla causa repudiare posset, id quod foret temerarium dicere juxta propositionem ab Alexandro 7. die 24. Septembris Anno 1665 damnatam: *Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem à Principe promulgatam.*

§. VIII.

De Effectu Juris Civilis.

Effectus Juris Civilis est, quod obliget ad scientiam, observantiam, aut pœnam Lege impositam subeundam.

Quær. *An Legislator Civilis (de Ecclesiastico vix erit, qui dubitet) possit obligare in conscientiâ?*

Resp. Affirmativè. Ita Suarez *de LL. lib. 3. cap. 22. n 9.* Laymann *d lib. 1. tract. 4. cap. 14. n. 1.* Illung *d tr. 1. disp. 2. art. 2. §. 4. n. 30.* D. D. Petschacher *tr. de LL. quæst. 4. art. 4. concluſ. 1.* D. D. Gletle *in Jurisprud. fund. tit. 2. cap. 4. §. 8. n. 3. & 4.* D. D. Mezger *disp. de LL. cap. 5. §. 1 n. 4.*

Prob.

Prob.1. Omnis illa potestas debet agnosci in Legislatore Civili, quæ moraliter est necessaria ad congruam & convenientem Gubernationem Reipublicæ, cùm Deus & natura non deficiant in necessariis. Atqui potestas obligandi in conscientia omninò est necessaria ad congruam & convenientem gubernationem Reipublicæ, quia sine hac Legum condendarum potestas foret aut inefficax, aut planè frustranea, cùm pœnas legibus impositas vi aut fraude plerique eluderent. Ergo.

Prob.2. Legitimus Magistratus utitur potestate à Deo traditâ tanquam Minister Dei: ergo non minùs ipsi justa præcipienti obediri debet, quàm si Deus per seipsum præciperet. Ant. prob. per illud *Sapientiæ 6. v. 2 & seq. Audite Reges &c. Quoniam data est à Domino potestas vobis.* Et 1. *Regum 8. v. 7 non te abjecerunt* (ait Dominus ad Samuelem) *sed me.* Idipsum indicat Apostolus ad *Rom. 13. v. 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei Ordinationi resistit. qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* & *v. 4. & 5. Dei enim Minister est; vindex in iram ei, qui malè agit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscien-*

am, id est propter conscientiæ obligationem, uti notavit *P. Cardenas in Crisi Theolog. tract. 3. disp. 22. cap. 3. n. 34.* & denique S. Petrus *Epist. 1, cap. 2. v. 13. subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ* (supple, quæ in authoritate constituta est) *sive Regi &c. quia sic est voluntas Dei.*

§. IX.

De Contrariis Juris Civilis.

CONtraria Juris Civilis sunt abrogatio, derogatio, dispensatio, & cessatio.

Abrogatio est totius Legis cassatio seu sublatio *arg. l. 102. ff. de V. S.* fit autem abrogatio aliquando per consuetudinem contrariam, aliquando per ipsum Legislatorem, vel ejus Superiorem vel Successorem ob mutatas circumstantias temporum, rerum & causarum, Legem positam simpliciter revocando, vel contrariam ponendo.

Quær. 1. *An lex prior universaliter abrogetur per posteriorem?*

RESP. Interesse, sitne lex prior universalis, an particularis. Si universalis, tollitur per posteriorem, si hæc illi directè sit contraria, etiam nullâ priori factâ mentione *cap. 1. de Constit. in 6. l. 28. ff. de LL.* Ratio est, quia Imperator Leges universales scire præsumitur,

tur, consequenter legem priori contrariam ferendo illam abrogare creditur. Si particularis: per legem universalem contrariam non revocatur *d. cap. 1. de Const. in 6.* cum Legislator eam nescire præsumatur, nisi fortassis adjecta esset clausula universalis: *non obstante quocunque statuto aut consuetudine in contrarium.*

Quær. II. *An inferior possit abrogare Legem propriam, si ea à Superiore confirmata sit?*

Dist. cum Laymanno *in Theolog. moral. lib. 1. tr. 4. cap. 21. n. 1.* & D. D. König *in Jur. Can. lib. 1. tit. 2. §. ult. n. 28.* An Statutum à Superiore confirmatum concernat favorem publicum vel aliorum, quàm Statuentium: vel an respiciat principaliter favorem ipsorum Statuentium; in priori casu nego ab inferiore sine licentia Superioris statutum revocari posse: quia ex quo Superior confirmavit tale statutum, videtur id suum fecisse per *l. 1. §. 6. C. de Vet. Jur. enucl.* inferior autem non potest tollere Legem Superioris *Clement. 2 de Elect.* in posteriori casu inferior id abrogare potest, quia est instar Privilegii, quo quilibet potest non uti per *cap. 22. de præbend.* nisi confirmationi adjecta sit clausula, *ut si quid-*

quam

quam contra fiat, non valeat. cap 25. in fin de prabend.

Derogatio est sublatio Legis pro parte *arg. l. 102. ff. de V. S.* nec differt ab abrogatione, nisi quod hæc totam, illa verò partem Legis auferat.

Dispensatio est relaxatio Legis in particulari casu vel persona, manente obligatione ejusdem pro reliqua communitate.

Dispensare potest 1. In Lege sua Legislator quilibet, *ejusdem enim est ligare & solvere cap. 16 de major. & obed.* 2. ejus Successor, *nam par in parem non habet imperium. cap 20. de Elect.* Successor autem non minore, quàm antecessor, sed pari potestate præditus est: ergo ab illo prohiberi non potest, quominùs Legem positam abroget vel in eo dispenset. 3. Legislatoris ejusq; Successoris Superior, cui illi in jurisdictione & potestate Legum ferendarum subordinati sunt. Inferior regulariter in Lege Superioris dispensare non potest. *Can. 4. dist. 21 d. cap. 16. de major. & obed. Clement 2. de Elect.*

Dixi regulariter Casus exceptos vide apud D.D Konig *d. lib. 1. tit 2. §. ult n. 31.*

Cessat denique Legis obligatio cessante universim adæquatâ causâ finali *cap. 60. de appellat.* ubi dicitur: *cessante causa cessat effectus.* Sicut enim Lex ab initio non subsistit, si sine ra-

tione lata sit, ita etiã postea desinit, desinente ratione ejus, quandoquidem tunc ejus observatio inutilis, atq; supervacanea esse incipit. Si lex plures in se partes contineat, quarũ una ab altera separari potest, tunc cessante ratione unius tantùm partis perseverat Lex secundum alteram partem. Ratio est, *quia utile per inutile non debet vitiari juxta cap. 37 de R. J. in 6.*

Articulus Secundus.

De Jure Civili scripto.

JUs Civile scriptum est, quod expresso Superioris consensu promulgatum est. Juris hujus lex sunt species: *Lex, Plebiscitum, SCtum, Constitutio Principum, Responsa Prudentum, ac Edicta Prætorum.* De singulis ordine.

§. I.

De Lege.

LEx spectata cum relatione ad Statum democraticum Reipublicæ Romanæ definitur esse Jus, quod populus Romanus, Senatorio Magistratu interrogante veluti Consule, constituebat §. 4. *Inst. de J. N. G. & C.*

§. II.

§. II.

De Plebiscito.

PLebiscitum est, quod plebs, plebejo Magistratu veluti Tribuno plebis interrogante, constituebat. *d.* §. 4. *Instit. de J. N. G. & C.* Differentia Legem inter & Plebiscitum hæc interceſſit, quod illa constituta fuerit à populo universo: hoc à plebe sola. Illa obligaverit integrum populum: Hoc plebem tantùm. Denique Lege Hotensiâ latâ plebiscita legibus quoad vim obligandi exæquata fuerunt. *d.* §. 4. & *l.* 2. §. 8. *ff. de Orig. Jur.*

§. III.

De Senatus-Consulto.

SEnatus-Consultum est, quod Senatus jussit atque constituit. §. 5. *Instit. de* J. *N. G. & C.*

Scilicet postquàm augescente Civitate Romanâ populus Legis sanciendæ gratiâ ægrè convocari potuit, ipsa quasi necessitas vim nomotheticam in Senatum transtulit, quodcunque igitur tum Senatus sanciebat, SCtum appellabatur § 5. *Inst. de* J. *N. G. & C. l.* 2. §. 9. *ff. de Orig. Jur.*

§. IV.

De Principis Placito.

POsteaquàm rursus, rebus ita dictantibus, necesse fuit, Reipublicæ per unum Consuli,

suli, populus Lege Regiâ uni Principi omne Imperium ac potestatem concessit quidquid ergo tum Principi (rationabiliter scilicet) placuit, vim legis obtinebat § 6. *Instit. de J. N. G. & C. l.* 2 §. 11. *ff. de Orig Jur.*

Dividitur Principis placitum in universale & particulare.

Universale Principis placitum est, quod omnium vel quasi omnium Subditorum utilitatem pro fine habet.

Subdividitur in rescriptum, edictum, & decretum. Rescriptum est Responsum Principis ad consultationem vel relationem eorum, qui Principi supplicârunt. Exempla Rescriptorum extant *in* §. *ult. Instit. de his qui sunt sui vel alieni juris* §. 4. *Instit. de Fidejussor. l.* 33. *ff. de Re judic.* & innumera alia in Codice repetitæ prælectionis.

Edictum est, quod Princeps motuproprio absque respectu ad personas consulentes, aut litigantes evulgavit. *l.* 3. *C. de LL.*

Decretum est sententiâ, quam ipse Princeps causâ cognitâ inter partes litigantes pronuntiavit. §. 6. *Inst. de J. N. G. & C.*

Quær. *An sententiæ in Camera Imperiali latæ vim Legis obtineant?*

R *Esp.* Tametsi in Imperiali hoc Dicasterio sententiæ non solius Imperatoris sed etiam

jam

jam Imperij nomine latæ, eandem authoritatem habere videantur, ac si in Comitijs ab ipso Imperatore cum consensu Statuum emanassent, ubi absque dubio juris authoritatem obtinerent, nihilominus rectè Negativam tuentur, Simon van Leewen *in Censur ferens. lib. 1. cap. 1. n. 19.* Schweder *in Introd. ad Ius Publ. part. special. sect. 1. cap. 13. §. ult.* Strickius *in Vsu mod. ff. tit. de Constit. Princ. §. 2.* Theophilus Mejer *in Comment. ad Instit. tit de I. N. G. & C. §. 5.* D.D. Sommering *in Introduct. ad Ius Iustin. lib. 1. tit. 2. part. 3. §. 3. n. 47.* Quando enim Imperator cum Imperio augustum hoc Tribunal constituit, non liberum Assessoribus causas decidendi arbitrium indulsit, sed communia Imperij Jura, Consuetudines ac Provinciarum Statuta pro Regula, quam sequerentur, propposuit, vide *Ordin. Cam. part. 1. tit. 57.* Unde consequitur, Cameræ quidem competere facultatem juxta Juris præscripti ordinem judicandi, non etiam Jus novum constituendi. Ejusmodi proinde Sententiis non aliter Juris authoritas tribuenda est, quàm quatenùs res perpetuò similiter judicatæ tandem vim Legis inducunt, *l. 38 ff. de LL.*

Particulare Principis placitum est, quo Princeps speciale quid statuit, contra vel præter Jus commune, quò pertinet 1. Aggra-

gratiatio 2. Pœnæ ordinariæ exasperatio ad exemplum & deterritionem aliorum. 3. Privilegium. De duobus prioribus alibi, de ultimo paucis hic agetur.

Definitur Privilegium, quod sit Lex privata speciale quid concedens. Haunold *de J. & J. tom. 1. tr. 1. cap. 4. contr. 1. n. 153.*

Dividitur 1. Privilegium in favorabile & odiosum. Favorabile est quod continet meram gratiam citra præjudicium tertij, ut est privilegium legitimandi filios illegitimos: Odiosum, quod quidem uni confert favorē, ita tamen, ut sit vel contra Jus commune, vel tendat in alterius præjudicium, ut est privilegium, quo quis eximitur à solutione collectarum, utpote quod vel vergit in præjudicium Reipublicæ, vel gravat alios subditos, si tenentur earum defectum postea supplere.

Dividitur 2. In affirmativum & negativum. Affirmativum est, quod verbis positivis aliquid concedit, aut aliquid faciendi facultatem impertitur, v. g. jus cudendi monetam, creandi Notarios, Doctores &c. Negativum est, quod verbis privativis aliquem ab onere liberat v. g. immunitas à solvendis gabellis, vectigalibus &c.

Dividitur 3. In gratiosum, remuneratorium, & conventionale. Gratiosum est, quod

lâ habitâ ratione meritorum privilegiati ex mera Principis gratia & beneficio profluit. Remuneratorium, quod alicui ratione meritorum conceditur. Conventionale, quod interveniente pacto cuipiam indulgetur.

Dividitur 4. in legale & principale. Legale est, quod insertum est corpori Juris, ut sunt Privilegia Studiosorum, militum, fœminarū, minorum &c. Principale, quod vivus Princeps per speciale rescriptum impertitur.

Dividitur 5. in personale & reale. Personale est, quod proximè cohæret personis ob qualitatem personalem; Reale, quod proximè cohæret rei, loco, conditioni, dignitati, officio separabili à personis, cujusmodi est id, quod datur fundo, ædibus, castro, Ecclesiæ, Monasterio, Civitati, Academiæ &c.

Causa efficiens privilegij est privilegians. Potest autem privilegiare omnis, qui Supremus est in Republica.

In specie in Imperio Romano-Germanico privilegiare potest.

I. Imperator, qui licet per alibi tradita non possit absque Ordinum suffragio legem condere, potest tamen impertire privilegia. Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. cap.* 12 *n* 8. Strickius *in usu mod. ff tit. de constit. princ.* §. 8. pa. et ex *Capitul. Leopoldi art.* 44. *& Josephi art.* 43. ibi:

ibi: Freyheiten und Privilegien / welche Wir unter den Titul / und Nahmen eines Römischen Königs oder Kayſers ertheilen werden ꝛc. modò primò Privilegia publicis Imperij Legibus non adverſentur *Capit. Leopoldi art.* 33. *Joſephi art.* 37. ac ſecundò Statuum Juri territoriali non derogent *Capit. Leopold. art.* 3. & 44. *Joſephi art.* 3 & 43.

II. Privilegia concedere poſſunt vi ſuperioritatis territorialis Electores, Principes, cæterique Imperij Ordines. Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Stat. Imp. cap.* 49 *n.* 1. Vitriarius *in Inſtit. Jur. publ. lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 63. Ziegler *de Jurib. Majeſt. lib.* 1. *cap.* 12. § 10. Strickius *in uſu mod. ff. tit. de Conſtit. Princip.* §. 10.

III. Idipſum poteſt Nobilitas immediata Imperij, quamvis enim Nobiles hi hodie Status Imperij non ſint, cùm non habeant votum & ſeſſionem in Comitiis, quia tamen cæterùm teſte Monzambano *de Stat. Imper. Germ. cap.* 2. §. 14. iisdem ac Status Imperij prærogativis fruuntur, meritò etiam Privilegiorum concedendorum facultatem iis competere aſſerimus.

Subjectum Privilegii eſt res & perſona. Res privilegii realis, perſona perſonalis *l.* 68. & 198. *ff. de Reg. Jur.*

Objectum privilegij eſt favor ſpecialiter conceſſus,

Forma consistit in speciali præter, ultra, aut contra communis Juris tenorem concesso favore.

Effectus privilegii alius est ex parte privilegiantis, alius ex parte privilegiati, alius ex parte aliorum, alius denique ex parte ipsius privilegii.

Effectus ex parte privilegiantis est, quod regulariter arguat superioritatem dantis in accipientem, Reinkging *de Reg. facul & Eccles. lib. 2. class. 2 cap. 8. n. 25.* Myler ab Ehrenbach *de princ. & Stat. Imp. cap. 49. n. 1.*

Effectus ex parte privilegiati primus est, quod ipsi privilegium adferat favorem specialem jure communi non concessum. Secundus est, quod privilegiatum obliget ad utendum privilegio, si nempe tale sit, cui renunciari non potest. Tertius, quòd acceptio Privilegij iterum regulariter arguat impetrantem esse subditum privilegiantis, Reinkging *dict. lib. 2. class 2. cap 8. n. 25.* Myler *d. cap. 49. n. 1.*

Dixi: *Quòd datio & acceptio Privilegij regulariter inferat superioritatem ex parte dantis, & subjectionem ex parte accipientis.* Id enim perpetuum non est, cùm & non subdito privilegium dari possit, modò materia privilegij sit sub Jurisdictione dantis. D. D. König

in

in Princip. Iur. Can. lib 5. tit. de Privil. & Excess. privilegiat. §. 6. n. 17.

Effectus ex parte aliorum est obligatio ad non impediendum privilegiatum in sui privilegii exercitio.

Effectus denique ex parte ipsius privilegii est 1. quod idem operetur ac consuetudo & præscriptio *arg. cap. 26. v. præterea de V. S. cap. 13. de foro compet.* Secundò quod privilegium sit fortius jure communi, cùm sit jus quoddam speciale, in toto autem jure generi per speciem derogatur. *l. 80. ff. de R. J.*

Contraria privilegii sunt modi quibus amittitur privilegium.

Amittitur autem privilegium 1. Morte privilegiati, si privilegium sit personale *cap. 7. de R. J. in 6.* intereunte re privilegiatâ, si sit reale, modò res authoritate illius, qui potuit adimere privilegium, vel aliunde absque spe restitutionis destructa sit. D. ab Andler *in Jurisprud. quà publ. quà privat. lib. 1. tit. 4. n. 22.* D. D. König *dict. tit. de privileg. & excess. privilegiat. §. 11. n. 26.* D. D. Petschacher *tr. de LL. quæst. ult. art. 2. §. 1.*

Amittitur. 2. Privilegium abusu, si quis scilicet eo utatur tempore aut loco inconvenienti, aut per personas, ad quas privilegium se non extendit per *Can. 7. distinct. 74.* non tamen ipso jure, sed per sententiam Judicis,

nisi hoc sit speciali Jure expressum, ut *in cap. fin. de immunit. Eccles.* Illung *in Theolog. pract. tr. 1. disp. 3. art. 8. in fin.* D. D. König *d. tit. §. ult. in fine.*

Amittitur 3. Privilegium lapsu temporis, ad quod, cessatione conditionis, sub quâ, ac morte illius, ad cujus beneplacitum concessum est privilegium. *cap. 5. de Rescript. in 6.* Cœtera autem privilegia plenè acquisita morte concedentis non exspirant *cap. 9. de offic. delegat. in 6.* adde Haunold *de J. & J. tom. 1. tr. 1. cap. 4. contr. 5. §. 2. n. 226.* Illung *tract. 1. disp. 3. art. 7.* D. D. Petschacher *d. quæst. ult. art. 7. §. 3.*

Amittitur 4. Privilegium per renuntiationem voluntariam privilegiati, a privilegiante acceptatam, si id scilicet solius privilegiati favorem concernat, quivis enim favori pro se introducto renuntiare potest *l. pen. C. de pact.* Secus si privilegium toti alicui communitati datum esset, vel involveret simul interesse aut præjudicium tertii, quo casu unius renunciatio esset inutilis. Adde Haunold *d. contr. 5. §. 3. n. 241.* Illung *d. disp. 3. art. 8. per tot.* D. D. Petschacher *d. quæst. ult. art. 7. §. 4.*

Amittitur 5. Privilegium per revocationem privilegiantis, vel ejus Successoris, quod tamen

tamen juxta qualitatem privilegiorum differentiam admittit. Nam

Privilegium merè gratiosum absq; translatione juris subdito concessum liberè revocari potest; quo casu Princeps nemini facit injuriam, dum id tollit, quod sine causa concessit *cap. 5. de Rescript. in 6.* Gail. 2. *obs.* 60 *n.* 15. Myler ab Ehrenbach *d. cap.* 49 *n.* 10. Vitriarius *in Instit. Jur. publ. lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 71.

Dixi 1. *absque translatione Juris.* Si enim cum translatione Juris concessum sit, Princeps id sine justa causa adimere non potest, cùm homo non habeat potestatem in hominem, privandi eum jure suo absque legitima causa. Haunold *d. contr.* 3. § 5. *n.* 259 Ilsung *d. disp.* 3. *art.* 9. *n.* 54. D. D. Konig *d. tit. de privileg. & excess. privilegiat.* § 11. *n.* 28.

Dixi 2. *Subdito concessum.* Si non subdito indultum fuit, volunt D D. communiter illud revocari non posse, quia, ut ipsi docent, tali casu privilegium transit in pactum. Reinking *de Reg. secul. & Eccles. d. lib.* 2. *class* 2. *cap.* 8. *n.* 23. Haunold *d. contr.* 5. §. 5. *n.* 260. D. D. Konig *d.* §. 11. *n.* 28.

Privilegium remuneratorium irrevocabile est, quoniam donatio antidoralis ne quidem ingratitudinis prætextu revocari potest. *per l.* 27. *ff. de donat.* Haunold *d. contr.* 5.

§. 5. n. 263. Ilsung d. art. 9 n. 55. Myler d. cap. 49. n. 12. Vitriarius d. tit. 17. n. 72.

Multò minùs privilegium conventionale revocari poteſt, niſi urgeat gravis neceſſitas v g Boni communis. Quo caſu tamen concedens, ſi quod accepit, pretium pro conceſſione privilegii reddere, aut ſi injunxit aliquod opus, quod jam præſtitum eſt, compenſare tenetur, alioquin Princeps contra naturalem æquitatem impingeret. l. 5. C. de obl. & act. Ita unanimis DD. ſententia.

Amittitur 6. Privilegium ceſſante cauſâ finali privilegii. Ubi tamen rurſus diſtinguendum inter privilegium, quod unico actu conſummatur, vel ut loquitur Haunold, quod primo ſtatim uſu expletur: & privilegium, quod habet tractum ſucceſſivum, & effectum reiterabilem. Prioris generis privilegium non extinguitur ceſſante cauſâ finali. Ratio eſt, quia cauſa finalis de præſenti exiſtens ſufficiens eſt, ut tale privilegium concedatur abſolutè, illimitatè & independenter à permanentia cauſæ finalis uſque ad uſum privilegii, ergo ità conceſſum eſſe cenſetur. Si proinde ad aliquem actum habilitatus es, non amittis habilitatem illam, licet poſtea ceſſet motivum habilitationis, quamvis necdum actum, ad quem habilitatus es, exercueris, nam in ea executione non eſt privilegium,

ſed

sed tantùm usus privilegii. Ilsung *d. disp. 3. art. 6. n. 41. 42. & 43.* Haunold *d. contr. 5. §. 1. n. 222. & seq.* D. D. Engel *in Colleg. Jur. Can. lib. 5. tit. de Privileg. & excess. Privileg. §. 3.* Privilegium posterioris generis, quale est, privilegium non solvendi decimas, vectigalia &c. ut planè desinat, debet causa finalis non tantùm negativè vel ad tempus; sed contrariè & quidem in perpetuum cessare. Cessat autem causa finalis negativè, quando non amplius existit; contrariè verò, si circumstantiæ ita mutantur, ut usus privilegii evadat illicitus, & cedat in grave detrimentum communitatis. Si causa finalis cessat quidem contrariè, sed ad tempus tantùm, privilegium pro illo tempore suspenditur, ac postmodum revivisci, Haunold *d. contr. 5. §. 1. n. 216. & seq.* Ilsung *d. disp. 3. art. 6. n. 44.* D. D Engel *d. §. 3.* D. D. Petschacher *d. quæst. ult. art. 7. §. 2.*

Amittitur 7. Privilegium affirmativum non usu, quod ut planius & pleniùs intelligatur, præmitto non usum alium esse negativum, alium privativum. Negativus est, quando non adest occasio utendi privilegio; Privativus est, quando adest occasio utendi privilegio, eo tamen privilegiatus sciens volens non utitur. Hoc præsuppositio

Resp. I. Per non usum negativum non amittitur privilegium affirmativum *arg. l. 34. §. ult. & 35 ff. de servit. præd. rust.* ex ratione, quod talis non usus non possit esse signum sufficiens voluntatis internæ non habendi privilegium. Ita omnes.

Resp. II. Per non usum privativum non amittitur privilegium purè favorabile & sine expressa conventione usûs concessa *l. 12. C. de excusat. tut.* ratio est, quod ejusmodi non usus non sit signum infallibile voluntatis repudiantis privilegium, cùm possint subesse aliæ causæ non utendi, nec constet de acceptatione Privilegiantis. Suarez *lib. 4. de LL cap. 34. n. 17.* Palao *part. 1. in oper. moral. tract. 3. disp. 4. punct. 18 n. 3.* Haunold *d. contr. 5. §. 4. n. 248.*

Resp. III. Per non usum privativum amittitur privilegium tendens in alterius gravamen, si simul cum non usu concurrat præscriptio legitima partis gravatæ. Ita Suarez *d. cap. 34. n. 16.* Palao *d. punct. 18. n. 4.* Haunold *d. contr. 5. §. 4. n. 249.*

Prob. Jura alia in aliorum gravamen redundantia præscriptione infringi possunt, ergo & privilegia in aliorum gravamen tendentia. Confirmatur. Licet nudo non usu servitutem non amittam, si tamen conditiones ad præscribendum requisitæ concurrunt,

amitto

amitto servitutem *l. 6. ff. de servit. vrb. prad.* ergo & privilegium.

Amittitur 8. Privilegium negativum per actus contrarios, hoc tamen rursus distinctionem recipit. Nam privilegia absolutè concessa & purè favorabilia non amittuntur per actus contrarios, tum quia contra hujusmodi privilegia non currit præscriptio; tum quia actus contrarii non sunt sufficiens signum animi renuntiantis, cùm ex alio fine fieri possint; tùm deniq; quia non constat de acceptatione talis privilegii. Privilegiis alios gravantibus legitimè præscribi potest per actus contrarios à privilegiato factos, si requisita ad præscriptionem concurrant. Colligitur ex *cap. 6. & 15. de privileg. l. 2. ff. de Veteran.* Haunold *d. contr. 5. §. 4. n 252. & seq.*

§. V.

De Responsis Prudentum.

REsponsa Prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de Jure respondere. §. 8. *Inst. de J. N. G. & C.* Responsa hæc in Monarchiâ Romanâ tantâ vi ac potestate valebant, ut Judici ab illis recedere non licuerit.

Quær.

Quær. *An ea quoque authoritas supersit hodiernis JCtorum aut Juridicarum facultatum Responsis, ut Judicem adstringant, ne in judicando inde discedere valeat?*

Resp. Referre, utrùm litigantes proprio motu responsum impetrent; an verò Judex suâ sponte ad sui informationem id desideret; an denique flagitantibus partibus, aut exigente Statuto per modum sententiæ Judex illud requirat. Primo casu ejusmodi responsum planè non stringit Judicem *per R. J. de anno* 1654 §. Zu dermahliger 96 ibi: Solche Consilia sollen weder in referendo, weder in votando Zihl oder Maße geben. Hanc tamen præstant utilitatem litiganti, ut licet causâ cadat, non possit tanquam temerarius litigator in expensas condemnari Gail 1, *obs.* 152. *n.* 6. Mevius *part.* 1. *decis.* 110. *n.* 5. Nec secundo casu Judex tale responsum sequi tenetur. Si proinde impetrati responsi rationibus se non convinci viderit, nil obstabit, quominùs vel ad alios prudentes acta transmittat, vel ipse aliam sententiam concipiat. Blumius *in process. Cam. tit.* 46 *n.* 20. Strickius *in usu mod. ff. tit. de Orig. Jur.* §. 7. Hoppius *in usu hodierno* §. 8. *Inst. de J. N. G. & C.*

& C. Hanc tamen rursus utilitatem præstant Judici, utsi illud sequatur, non possit, quasi litem suam fecerit, ad interesse, vel actione injuriarum conveniri. Hoppius *dicto loco*. Tertiò casu omninò stringit Judicem, adeo ut ab iis recedere non possit, sed sententiam, uti concepta est, publicare teneatur. *R. J. de anno 1654. §.* Doch mit diesen: relictâ potestate partibus, si se gravatas sentiunt, ab ea appellandi. Blumius, Strickius, Hoppius *locis mox allegatis*. Alioquin sententia vires rei judicatæ consequitur. Carpzovius *in Jurisp. forens. part.* 1. *Constit.* 26. *Definit.* 1. & 2.

§. VI.

De Edictis Prætorum.

EDicta Prætorum sunt Jura adjuvandi, supplendi aut corrigendi Juris Civilis gratiâ à Prætore proposita *§ 7. Instit. de J. N. G. & C.*

Quær. *Sintne Imperii Principum, Comitum & c. Statuta Juri Prætorio, an verò Juri Civili accensenda?*

R*Esp.* Juri Civili. Ita Bacchov. *ad Treutl. vol.* 1. *disp* 23. *th.* 1. *lit. C.* Eckolt *in comment. ff. tit. de LL. §.* 3. ibique Schwendendorffer *in annot.* Strickius *in usu mod ff tit de Orig.*

Orig. Jur. §. 4. Hoppius *ad §. ult. Inst. de J. & J.*

Constat ex eo, quod manifesta inter Prætorum & Imperii Principum, Comitum &c. Potestatem intercedat differentia. Potestas siquidem Prætorum erat tantùm personalis & temporalis. *Princ. Inst. de perpet. & temporal. Act.* Principum autem potestas est perpetua irrevocabilis & in hæredes transitoria. Schwendendorffer *in notis ad Eckold* §. 8 *ff. de LL.* Prętores erant nudi tantumodò Magistratus, & Justitiæ Administratores; Imperii Principes, Comites &c. contra nomine proprio in provinciis suis jus dicunt, Jure territoriali fruuntur, simulque de potestate gubernandi Imperium participant. Lymnæus *lib.* 1. *Jur. publ. cap.* 10. §. 28. 30. & 32. Strauchius *in dissert. exot. Jur. publ.* 4. *in fine.* Rachel *in Otio Noviomag. cap.* 9. *pag.* 46. & 47. Prætores suis Edictis, æq; ac alij obligabantur; Princepes Imperii verò legibus à se latis soluti sunt. Struvius *in Syntagm. Jur. Civil. Ex.* 2. *th.* 10. Ex Edictis deniq; oriebatur actio in factum; ex Principum autem Statutis actio civilis & condictio ex Lege. Bacchov. *ad Treutlerum dict. vol.* 1. *disp.* 23. *th.* 1. *lit. C.* dissentit cum Bartholo, Jasone, & paucis quibusdam Antiquioribus Schneidwin *in Comment. ad Inst. tit. de oblig.* §. 1. *n.* 3.

Dices:

Dices: An igitur Bartholo, Magno illi Astreæ Sacerdoti, Lucernæ & Aurigæ Juris, in cujus dictis ipsissima veritatis substantia habitare creditur, audebis contradicere? *Resp.* Agnosco virum & veneror, sed ut homo hominem, & sequor, si ipse veritatem. Appositè Philosophus 1. *Ethic. ad Nicomach.* *Amicus Plato, Amicus Socrates, sed magis amica veritas.* Liceat pariter dicere: *Amicus Baldus, Amicus Bartholus, sed magis amica veritas.* Et bellè Owenus:

Barthole sta Juri, si vis Jurista vocari.

Articulus Tertius.

De Jure non scripto sive Consuetudine.

§. I.

De Definitione Consuetudinis.

DEfinitur Consuetudo, quod sit Jus diuturnis populi moribus introductum, & tacito superioris Consensu approbatum. Colligitur ex § 9. *Inst. de J. N. G. & C. & l. 32. pr. & §. 1. ff. de LL.*

§. II

§. II.

De Divisione consuetudinis.

DIviditur Consuetudo *I.* In universalem & particularem. Universalis est, quæ in totâ aliquâ republicâ obtinet, uti sunt consuetudines feudales; Particularis, quæ à certa tantùm reipublicæ parte, vel particulari solùm communitate v. g. Universitate vel civitate introducta est.

Dividitur *II.* In Canonicam & Civilem. Illa in materia Ecclesiastica: hæc in materia profana inducitur.

Dividitur *III.* in eam, quæ est contra Legem, præter Legem, & juxta Legem. *Prima* est, quæ Legem præexistentem vel ex toto abrogat; vel ex parte saltem eidem derogat. *Secunda*, quæ in materia, de qua Lex scripta nil disposuit, novam obligationem introducit. *Tertia*, quæ Legem supponit, eamque observando confirmat. Hæc ultima tamen non est novum Jus non scriptum, sed tantùm observantia, & executio Legis priùs scriptæ, quam Consuetudo per usum approbat, aut interpretatur; neque ad sui introductionem conditionibus infrà recensendis indiget. Quia proinde potiùs factum, quàm Jus distinctum importat, eam minùs rectè consuetudinem dixeris, ut bene advertit

tit Rdmus D.D. Kimpfler *in eleganti Tractatu de Consuet. part. 1. §. 2. n. 3.*

§. III.

De Causa efficiente Consuetudinis.

CAusa efficiens consuetudinis est vel principalis vel instrumentalis.

Causa efficiens principalis consuetudinis est tacitus Legislatoris consensus, sine quo consuetudo vim legis obtinere non potest. Suarez *de LL. lib. 7. cap. 13. n. 6.* D. D. Kimpfler *de consuetud. part. 2. §. 3 n. 5.*

Cùm igitur tacito illius Consensu inducatur consuetudo, cujus expresso suffragio feruntur leges, facilè colligis universalem Imperii consuetudinem induci non posse, nisi accedente tacito Imperatoris & Ordinum Imperii consensu, & viceversâ in territoriis Statuum, ubi Statutorum condendorum potestas plerumque penes solum Principem est, ejus tacito Consensu accedente ad usum populi introduci consuetudinem. Strickius *in usu mod. ff. ad tit. de LL. §. 11.* non tamen necesse est, ut sit consensus personalis, sive ut Legislator sciens immediatè & personaliter consuetudinem introducendam approbet, sed sufficit legalis seu generalis, expres-

sus à lege & Legislatore generaliter statuente, ut valida sit consuetudo certis conditionibus affecta, prout exprimitur in utroque Jure, scilicet *in cap. ult. de consuetud. l. 32. & seq. ff. de LL. l. ult. C. quæ sit long. temp. consuet.* Suarez *lib. 7. de LL cap. 13. n. 6.* Haunold *d. tract. 1. cap. 3. contr. 2. n. 145.* D.D. Kimpfler *de Consuetud. part 2 §. 3. n. 5. & 6.*

Causa efficiens instrumentalis est communitas perfecta, per quam ea intelligitur, cui Lex aut Statutum præscribi potest. Ex consuetudine siquidem nascitur obligatio legalis, ergo ab illa communitate duntaxat introduci potest, quæ est capax obligationis legalis. Suarez *d. lib. 7. cap. 9. n. 3. & 6.* D.D. Kimpfler *part. 2. §. 2. n. 4.*

§. IV.
De Subjecto & Objecto Consuetudinis.

SUbjectum & Objectum Consuetudinis eadem sunt, ac Juris scripti; quia quoad hæc Consuetudo Legem imitatur, §. 9. *Instit. de Iure Nat. Gent. & Civil.*

§. V.
De Forma Consuetudinis.

FOrma Consuetudinis stat in requisitis. Requi-

Requiritur autem 1. Ut sit rationabilis, id est Juri Divino, Naturali, utilitati publicæ, bonisvè moribus non adversetur, alioquin velut corruptela reijci debet. Unde ea, quâ res furtivæ, aut vi ablatæ penes furem raptoremvè repertæ non domino restituuntur, sed in fiscum rediguntur, rectè damnata fuit per *Nemesin Carolinam art.* 221. & ea, quâ bona naufragantium Domino territoriali, ad cujus litus dejecta sunt, vindicantur, meritò reprobata per *authent. Navigia. Cod. de Furt.* & *cap.* 3. *de Raptor.* Idem ea, quâ aurigarum, qui plaustro onerato per casum vel incuriam eversо hominem interemerunt, equi, plaustrum, &, quas vehunt, merces publicantur, prudenter abolita per *Ordin. crim. d. art.* 221. pariter & ea, ne Molitores, Tonsores, Opiliones, Balneatores, Tibicines, Tympanistæ, eorumque liberi ad honesta artificia recipiantur, sapienter abrogata per *Reform. polit. de anno* 1548. *tit.* 37. & *de anno* 1577. *tit.* 38. ac complures aliæ, quas refert Hermes *in Fasc. Jur. publ. cap.* 39. *n.* 10. *& seq.* D. D. Demeradt *in Fascic. different. Juris communis & Franconici in prolegom.*

Secundò requiritur Intentio, seu animus saltem interpretativus introducendi consuetudinem & obligationem, vel abrogandi legem antiquam. *Gloss. in Can. frustra distinct.*

5. Actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum *cap. fin. de Præbend. l.* 19. *ff. de reb. cred.* unde autem animus hic conijci possit, pluribus tradit D. D. Kimpfler *d. tr. de Consuetud. part.* 2. §. 3. *n.* 4. quem, si libet, adi.

Tertiò requiruntur Actus frequentati, ut tacitum populi consensum arguere & manifestare possint, *l.* 1. *C. Quæsit long. consuet. l.* 3. *C. de Ædific. privat.* Cùm autem Jura determinatum Actuum numerum non præscripserint, rectè ad judicantis arbitrium recurritur, *arg. l.* 1. § *ult. ff de Iur. delib.* Gail *lib.* 2. *obs.* 31. *n.* 7. D. D. Kimpfler *d. part* 2. §. 4. *n.* 4. Haunold *d. Tract.* 1. *cap.* 3. *Contr.* 2. *n.* 138.

Quartò requiritur, ut Actus sint plenè liberi & voluntarii, Haunold *d. Contr.* 2 *n.* 139. & 140. Jlsung *d. tract.* 1. *disp.* 2. *art.* 6. *n.* 67. Pirrhing *de Consuetud. sect.* 1. §. 4. *n.* 24. Ex ratione, quia Actus involuntarij consensum populi indicare non possunt. Hinc primò Actus metu extorti non conducunt ad consuetudinem inducendam, cùm hi non tam ex intentione inducendi consuetudinem, quàm animo evadendi malum, quod operanti ex metu intentato imminet, eliciantur. Secundò nec Actus ex ignorantia vel errore exerciti, utpote involuntarij, *nihil enim tam con-*

contrarium est consensui, quàm error. l. 15 ff. de Jurisdict. l. 116. §. 2. ff. de R. J.

V. Requiruntur actus notorij & publici, ita ut ex illis tacitus cõmunitatis consensus colligi possit. Non tamen necesse est, ut actus in judicio contradictorio obtenti sint, cùm hæc nec ex natura rei, nec ex præscripto juris appareant. Non illud: siquidem populus non minus per actus extra-judiciales, quàm judiciales consensum suum declarare potest; non hoc: quia nullus juris textus extat, qui actus judiciales apertè requirat. Quin potiùs contrarium haud obscurè colligitur ex *l. 38. ff. de LL.* ubi Authoritas consuetudinis ab authoritate rerum similiter judicatorum disjungitur, & tam de illa, quàm de hac asseritur, quod in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, vim legis obtinere debeant. Ita sentiunt præter multos alios D. D. Kimpfler *d part. 2. §. 4. n. 10.* D. D. Engel *in Colleg. Jur. Can. lib. 1. tit. 4. n. 10.* D. D. Konig *lib. 1. Jur. Can. tit. 4. §. 4. n. 6.* D. D. Ebbert *part. 1. select. contr. 5. n. 4. & seq.*

VI. Requiritur Actuũ diuturnitas, §. 9. *Instit. de Jur. N. G. & C. l. 32. & 33. ff. de LL.* Cùm autẽ determinatio temporis nullâ lege definita sit, prudenti Judicis arbitrio quoque relinquendum existimo, qui ponderatis bene circumstantiis æstimabit, tantumvè temporis

præterierit, ut ex ejus lapsu populi consensus in consuetudinem rationabiliter præsumi possit. *arg. l. 1. §. 2. ff. de Jur. delib.* Harprecht *ad §. 9. Inst. de J. N. G. & C. n. 19.* D. D. Kimpfler *d. part. 2 §. 5. n. 2.* D. D. Konig *d. tit. 4. §. 4. n. 9.*

§. VI.

De Effectu consuetudinis.

Effectus consuetudinis alius est generalis, alius specialis.

Effectus generalis idem est, qui legis, ita ut æqualiter obliget ad scientiam & obedientiam, aut pœnam. *l. 32. §. 1. & l. 33. ff. de LL.*

Effectus specialis consuetudinis pro ejusdem diversitate variat. Nam

Effectus consuetudinis contra legem est, quod legem humanam ex toto vel pro parte abroget. *d. l. 32. ff. de LL. cap. ult. de Consuetud.*

Effectus consuetudinis præter legem est, quod in negotiis, quæ legibus determinata non sunt, vim legis obtineat, & novum Jus constituat. *Can. 5. dist. 1. l. 32. & seq. ff. de LL.*

Effectus denique consuetudinis secundum legem est, quod legem præexistentem confirmet, obscuriorem declaret ac interpretetur *per cap. 8. de Consuetud. & l. 37 ff. de LL.*

§. VII.

§. VII.

De Contrariis Consuetudinis.

CONtraria consuetudinis est ejusdem Ab- & Derogatio. Abrogatur consuetudo per legem posteriorem *cap. 9. de Consuetud.* Ex ratione, quia lex prior vel tota vel ex parte per legem posteriorem tollitur, ergo & consuetudo, quæ legis simia & imitatrix est. Ubi tamen probè notandum 1. Quod consuetudo generalis quidem tollatur per legem generalem, non autem consuetudo particularis per legem universalem. Ratio prioris est, quod Princeps præsumatur scire consuetudinem universalem, si proinde eâ cognitâ contrarium statuit, consuetudinem antecedentem revocare censetur; Ratio posterioris est, quod Princeps censeatur ignorare consuetudines particulares. *Arg. cap. 1. de Constit. in 6.* adeoque non creditur illas velle abrogare, cùm voluntas non feratur in incognitum. Notandum 2. Nec consuetudinem particularem abrogari per legem particularem, nisi ejus mentio fiat, quia censetur Princeps talem consuetudinem ignorare. Id quod tamen intelligo de Principe supremo, secus dicendum de Principe inferiore & Legislatore particulari, Suarez *de LL. lib. 7. cap. 30. n. 6. & 7.*

Abrogatur 2. Consuetudo per aliam consuetudinem contrariam: Generalis per generalem: Particularis per particularem: quia, ut dictum, consuetudo vim legis obtinet Adde omninò Pirrhing *tit. de Consuetud. sect.* 1. §. 8. *n.* 72.

Et hæc de Jure. Quia verò parum est, Jus nosse, si personæ, quarum causa Jus constitutum est, ignorentur. §. *ult. Inst. de J. N. G. & C.* hinc nunc de personis agendum. Cum autem personarum Status in proposito nostro alius sit inspecto Jure publico; alius spectato Jure privato, de utroque Statu distinctè in sequentibus pertractabitur. Sit itaque

DISSERTATIO III.

De

STATU PERSONARUM INTUITU JURIS PUBLICI ROMANO-GERMANICI.

SUmma personarum Divisio secundùm Jus publicum Romano-Germanicum est, quod aliæ sint Imperantes. Parentes aliæ.

SECTIO

SECTIO I.

De Personis imperantibus,

PErsonæ Imperantes sunt Imperator, Rex Romanorum, & Vicarij Imperij.

§. I.

De Imperatore.

Quær. I. *Quomodo definiatur Imperator?*

R *Esp.* Imperator est summus Princeps ab Electoribus legitimè electus, ut Reipublicæ Romano-Germanicæ tanquam Caput præsit. Vitriarius *in Inst. Jur. publ. lib.* 1. *tit.* 5. *in pr.* Schweder *in Introduct. in Jus publ. part. special. sect.* 1. *cap.* 1. *n.* 20. Kulpis *in Exercit. Jur. publ. de Imperatore, Rege Rom. & Vicariis Imp. Ex.* 2. *th.* 2.

Quær. II. *Quis in Imperatorem eligi possit?*

R *Esp.* Eligendus in Imperatorem *Debet I. Esse Mas.* Licet enim in regnis aliis Fœminæ æq; capaces sint Majestatis, ac Mares. Exempla habemus in Elisabetha Angliæ, Maria Scotiæ, Maria Hungariæ, Christina

ſtina Sueciæ Reginis, quæ heroico planè ſpiritu ſceptra tenuerunt, Germanorum tamen Principum genius generoſior eſt, quàm ut etiam ſapientiſſimæ Mulieris imperium ſufferre queat.

Debet II. Eſſe ex illuſtri familia natus. Cujusmodi & Comites eſſe Wilhelmi Hollandiæ, Rudolphi Habſpurgi, Adolphi Naſſoviæ, & Guntheri Schwarzenburgi, Comitum exempla ſatis evincunt. Stat ſcilicet communis regula, & comprobata experientia pro optima ſpe, indole & virtute orti ex illuſtri proſapia ſurculi, juxta illud Horatij:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Et juxta illud:

in prolem tranſcurrit gratia patrum.

Ac ut ſaporem fontis ſervant filiales rivuli, ſic ſoboles indolem parentum.

Debet III. Eſſe legitimè natus: Hinc Friderico II. neceſſe fuit in publicis Comitiis Merſeburgi habitis, poſtulantibus Imperii Principibus, natalium ſuorum legitimitatem vindicare idoneis ad hoc prolatis documentis Spangenberg apud Vitriarium *d. tit.* 5. §. 2.

Debet IV. Eſſe viribus, opibuſq; potens. Cùm enim

enim hodie omnia propè fisci Imperialis Bona in Principum potestatem redacta sint, ut Imperator vix tantum ex Imperii reditibus percipiat, quantum ad se suamq; aulam pro dignitate exhibendam, nedum ad universum Imperialis regiminis onus commodè ferendum opus habet, modernus Imperii Status vix admittit, ut alius, quàm divitiis, & potentiâ sibi ferè solus sufficiens Princeps ad Imperii Thronum elevetur. Et hæc causa, teste Funccio *in Orbis Imperantis breviario part. 1. cap. 1. erot.* 78. non postrema fuit, quod Imperatoria dignitas per 265. annos continuâ serie steterit penes Austriacam Familiam, Imperatorum Regumque fœcundissimam Genitricem.

Debet V. Esse Laicus non Clericus, Per textum *in Aur. Bull. cap. 2. §. 3. & 4.* ibi: *temporale caput*, quod bene in Germanicâ versione exprimitur ein weltlich Haupt. Buxtorff *ad A. B. concl.* 31. Hermes *in Fascic Jur. publ. cap. 7. n. 15.* Schweder *in Introduct. in Jus publ part. special. sect. 1. cap. 2. n. 4.* D D. Woller *in quæst. select. de anno* 1698 *quæst. 6. sect. 1. n. 68.* & rectè: si enim quis desinit esse miles sæculi, qui Christi miles esse incipit, quantò magis Clericus ab Imperii gubernatione excludendus erit, cùm Cæsar non tantùm militum, sed & totius militiæ Christianæ contra infideles bel-

bellico armatus gladio supremus Dux sit & Imperator.

Debet VI. Esse religionis Christianæ, non infidelis non Hæreticus. Vitriarius *d. tit. 5. n. 4.* Kulpis *in Ex. J. P. de Imperat. Reg. Rom. & Vicar. Ex. 2. th. 9.* D. D. Kieffer *de S. R. I. Elect. Orig. & Potest. quæst. 30.* ubi etiam sequenti *quæst. 31.* solidè demonstrat, nullum nisi Catholicæ Religioni addictum in Imperatorem eligi posse.

Debet VII. Esse Germanus. Ita Arumæus *ad A. B. disc. 2 th. 3.* Reinkgink *de Reg. sæcul. & Eccles. c. lib. 1. class. 3. cap. 4. per tot.* Becker *in Synopsi Jur. publ lib. 2. cap. 2.* D. D. Kieffer *de S. R. I. Elect. Orig. & Potest. cap. 28.* Hermes *in Fasc. Jur. publ. cap. 7. n. 25.* Vitriarius *d. lib. 1. tit. 5. n. 3.* Kulpis *d. Ex. 2. th. 9.* du May *L' Estat de L' Empire part. 1. dialog. 2. pag. 86.* D. D. Ebbert *part. 1. select. controv. 14. n. 5. & 6.* Communisque verè Germanorum Doctorum schola, hocque ex sequentibus potissimùm rationibus.

I. Quia teste Panormitano *in cap. 34. n. 1. de Elect. & Elect. Potest.* Imperium activè & passivè in Germanos translatum est. Activè quidem, quia Jus ac Potestas eligendi Imperatorem primitus omnibus Imperii Principibus data est, donec successu temporis ad solos Electores devoluta fuit. Passivè verò, cùm

cum propter virtutem & fortitudinem Germanorũ in persona Caroli M. ad Germanorũ gentem translatum sit Imperium, *d. cap. 34. de Elect. & Elect. Potest.* II. Juxta *A. B. cap.* 2. §. 3. Idoneus ad Imperiale culmen evehendus est. Unde autem, obsecro, magis Idoneus reperiri potest, quàm in ipsa Germania omnium virtutum cultrice, quod & rerum gestarum evidentia, & ipsius nominis arguit notatio. III. Indignum foret, Imperii decus ad exteros transferre, aliunde quærendo Regem, sicq; priscæ Germanorum virtuti, quâ omnibus ferè populis antecellunt, quidquam detrahere. IV. Germanus linguam, indolem, moresque Germanorum meliùs novit, quàm peregrinus, quod utiq; ex utilitate reipublicæ est, unde præcipuè æstimanda est Electio. V. Esto etiam, quod extraneus habeat sufficientem Germanicæ linguæ, indolis, morumque notitiam, quia tamen moribus & ingenio differt, eam erga Germanos repræsentare non potest benevolentiam, ac si esset indigena. Adhæc VI. Peregrini Imperium rarò stabile est, *vix enim*, inquit Cominæus apud Reinkingk *d. cap. 4. n. 12. est ulla natio, quæ diu ferat peregrinum.* Accedit denique VII. Longissima observantia ac multorum sæculorum inveterata consuetudo, vigore cujus nonnisi quis ex Natione

Ale-

Alemannica Thronum Imperialem conscendere potest. Ergo.

Est autem habendus pro Germano, qui immediatè ex Germano sanguine ortus, originisque domicilium in Germania habet, non etiam, ut in Germania natus sit per *l. 7. C. de Incol. l. 3. C. ad Municip.* Sic licet Fridericus II. in Sicilia lucem aspexerit, quia tamen Henrico IV. Imperatore Germano natus erat ad Imperium evocatus fuit Carolus V. & Ferdinandus I. germani Fratres, quamvis Hic in Hispania, Ille Gandavi in Flandria natus fuerit Patre Philippo I. Castellæ Rege, quia tamen & Avus & Pater ipsorum Germani fuerunt, & Avus & Pater in Germania adhuc domicilium habuerunt, pro Germanis habiti fuerunt. Reinkingk *dict. cap. 4. n. 15.* Becker *d. lib. 2. cap. 2.* D. D. Kieffer *d. cap. 28.* Hermes *d. cap. 7. quæst. 13.* Kulpis *d. th. 9.* du May *L' Estat de L' Empire d. dialog. 2. pag. 87. & 88.*

Quær. III. *Cujus ætatis in Imperatorem eligendus esse debeat?*

Resp. Ætas Imperatoris eligendi determinata non est, & varii variæ ætatis electos testantur Historici, Sic Otto III. admodum puer, Henricus III. 12. annorum ætate ad imperiale solium evecti fuerunt, Henricus

ricus IV. octavo, Fridericus II. vigesimo, Wenceslaus decimo quinto, Carolus V. decimo nono, Ferdinandus IV. vigesimo, Leopoldus decimo octavo, Josephus duodecimo ætatis anno electi fuerunt. Vide Rhetium *in Inst. Jur. publ. lib.* 1. *tit.* 4. §. 32. Vitriar. *d. lib.* 1. *tit.* 5. *n.* 5. ibiq; Pfeffinger *in annot. lit. B.* cautum tamen fuit *in Capitulatione Josephi art.* 47. Ne Josephus ante annum ætatis 18. completum Imperii habenas capesseret, si Leopoldus ante hoc tempus è vivis eximeretur. Verùm nunc auxiliatrice Divini Numinis gratiâ hæc cura cessat,

Quær. IV. *Ubi Imperator eligendus sit?*

Resp. Locus Electionis Francofurtum ad Mœnum est per ordinationem *Aur. Bull. cap.* 1. §. 19. *& cap.* 28. § 5. Si tamen impedimentum legitimum obstiterit, quominùs Electionis actus ibi institui posset, etiam alius Electioni locus ex communi Electorum consensu præfigi potest. *A. B. d. cap.* 28. §. 5. *in fin.* Sicut justis de causis Ferdinandum I. Coloniæ; Maximilianum II. Rudolphum II. Ferdinandum III. Ratisbonæ: Ferdinandum IV. & Josephum Augustæ Vindelicorum electos esse constat. Quo casu tamen Francofurtenses Jura sua per Memoriale conservare solent. Schweder *in Introduct. in Jus publ. part. Special. sect.* 1.

sect. 1. cap. 2. n. 11. Du May *L' Estat de L' Empire part. 1. dialog. 2 pag. 82.* Vitriarius *d. lib. 1. tit. 6. n. 9.* ibiq; Pfeffinger *in annot.*

Quær. V. *Ubi Imperator coronandus sit?*

R*Esp.* Aquisgrani per *A. B. cap. 28. §. 5.* Si tamen rursus causa prægnans id dissuaserit, etiam alio in loco institui potest, uti Ferdinandus I. Maximilianus II. Matthias, Ferdinandus II. Leopoldus Francofurti: Rudolphus II. Ferdinandus III. Ratisbonæ: Ferdinandus IV. & Josephus Augustæ Vindelicorum coronati fuerunt. Vitriarius *d. lib. 1. tit. 8. n. 2.* ibique Pfeffinger *in Annot. lit. n.* Schweder *d. cap. 2. n. 31.* Dantur tamen Aquisgranensibus æquè ac Francofurtensibus Reversales Imperatore Aquisgrani non coronato, Schweder & Pfeffinger *dd. ll.*

Quær. VI. *A quo Imperator coronandus sit?*

R*Esp.* Vigore *A. B cap. 4. §. 4* Prærogativa primò diadema Cæsaribus imponendi concessa est Archiepiscopo Colonienſi, actus tamen sæpiùs, teste historiâ, mox à Moguntino, mox à Colonienſi exerciti fuerunt. Postea quo vis hunc coronationis honorem sibi in solidum vendicante, controversia ferè in bellum

bellum apertum exarsit. Denique tamen lis anno 1657. amicâ transactione ita composita fuit, ut quisque transigentium actum coronationis in sua diœcesi, si hìc vel illic fieret, expediret, extra utramque verò alternarent.

Formula transactionis extat apud Limnæum ad *A. B. cap.* 4. §. 3. *obs.* 4. Leopoldo tamen, uti & Josepho Electores Ecclesiastici communi operâ coronam imposuerunt, Schvveder *d. cap.* 2. *n.* 33. Brunneman *in Jurisprud. publ. dissert.* 4. §. 9. adeo, ut controversia hæc hodie non tam de actu imponendæ coronæ, quàm de consecratione & Benedictione Imperatoris intelligenda veniat. Brunnemann *d.* §. 9.

Quær. VII. *Quibus modis cessat quis esse Imperator?*

R*Esp.* Cessat 1. Morte. Est namque mors ita malè morata, ut æq; Imperatorum Regumque palatia, ac pauperum tabernas pulsitet, & pariter excelsa Principum papavera, ac humiles plebeiorum myricas crudeli falce demetat.

Cessat 2. Resignatione. Posse autem Imperatorẽ justis ex causis resignare, testatur Boecler *in Notit S. R. I lib.* 4. *cap* 1. Vitriar. *d. lib.* 1 *tit.* 9. *n.* 1. ibique Pfeffinger *lit. a.* Kulpis *d. Ex.* 2. *th.* 15.

Quia 1. nullâ lege id Cæsari prohibitum est, ergo censetur esse concessum. *arg. l.* 28 §. 2 *ff. ex quib. caus. major l.* 43. §. 1 *ff. de procurat.* 2. Quod invito beneficium non detur *l.* 69 *ff. de Reg. Jur.* 3. Quod privatis tutoribus legitimas ob causas renuntiare liceat *l.* 40. *ff de Excusat. tut.* quidni & Imperatori tanquam tutori Imperii? 4. Confirmatur assertio illustri exemplo Caroli V. qui anno 1556. abdicatâ Imperii administratione Monasterium Hieronymitarum S. Justi in Hispania ingressus, ibique anno 1558. piè defunctus est. Justæ resignandi causæ legibus definitæ non sunt Hæ tres tamen cessionis Imperii à Carolo V factæ adducuntur in *R. I. de anno* 1559. *in Princ.* 1. Sein obliegendes Alter. 2. immerwährende Leibs- & Schwachheit. 3. augenscheinliche Unvermögenheit. Jurati nunquam intermorituræ Carolinæ gloriæ osores alias abdicationis causas afferunt, his versiculis comprehensas:

Ni Mez? ni Mauriz; ni Mauritania; ni Magd;
Ni Mors; quid multis? fuerim per singula felix.

Vel ut aliis placet:

Die Maur / die Metz / die schöne Magd
Die haben den Kayser den Tantz versagt.

Sensus est, Carolum V. nec urbem Metensem à Gallis recuperare; nec Mauritium Electorem Saxoniæ in Ordinem redigere; nec

nec

Mauritanis pro lubitu leges præscribere; nec Magdeburgo potiri potuisse. Vide Schar-mid *ad Schuzii jus publ. vol. 1. Ex. 3. th. 11 lit d.*

Quær. VIII. *An Imperator quoque deponi possit?*

TAmetsi controversia hæc non minus periculi, quàm difficultatis involvat, cùm sit periculosæ plenum opus aleæ, scribere de iis, qui possunt proscribere, ac disputare contra eos, qui possunt amputare. His tamen non attentis

Resp. Quod si eò vitiorum delapsus sit imperator, ut neglectâ Reipublicæ salute, contemptisque salubribus Electorum, Principumq; monitis, utà Wenceslao, attestante Lehemanno *in Chron. Spirens. lib. 7. cap. 59.* factitatũ, nullatenus reduci queat, nec aliter bono publico, nisi mutatâ Imperatoris personâ, consuli possit, hoc extremo demum casu eum licitè de solio detrudi posse existimo cum Vitriario *d. tit. 9. n. 4.* ibiq; Pfeffingero *in annot. lit. A.* Schvvedero *dict. part special sect. 1. cap. 31. §. 5.* Cocceio *in Jur. publ. prud. cap. 8. §. 5.* Kulpisio *d. Ex. 2. th. 16.*

§. II.

De Rege Romanorum.

Quær. I. *Quid sit Rex Romanorum.*

R*Esp.* Est Princeps Imperii, qui vivo Imperatore, ab Electoribus eligitur, ut sit perpetuus Imperii Vicarius, ac Imperatore cessante, citra ulteriorem Electionem, Imperator evadat. Vitriarius *d. lib.* 1. *tit.* 10. 1. Kulpis *d. Ex.* 2. *th.* 17.

Quær. II. *An etiam salvo Jure, vivente adhuc Imperatore, Rex Romanorum eligi possit?*

R*Esp.* Affirmativè Ita Arumæus *ad A.B disc.* 2 *th.* 13. Buxtorff *ad A.B. concluf.* Reinkingk 12. *de Reg. facul. & Eccles. lib.* 1. *cl.* 3. *cap.* 14. Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. cap.* 11. *sect.* 3. Du May *L' Estat de L' Empire part.* 1 *dialog* 2. *pag.* 80. Kulpis *d. Ex.* 2. *th.* 17. Probat hoc longa multorum sæculorum usu firmata experientia. Sic, ut sileamus exempla vetera, Ferdinandum I. Maximilianum II, Rudolphum II. Ferdinandum IV. Josephum, viventibus adhuc Imperatoribus, in Reges Romanorum electos fuisse recentior testatur historia. Et hoc optimo judicio factum fuisse, & fieri etiamnum, vel exinde evidenter patet, quod sic pericula interregni cautè evitentur, ac ne navis Imperii suo destituta Navarcho inter ambitionum fluctus agitata naufragetur penitus, aut multùm saltem concutiatur, sedulò

dulò præcaveatur. Accedit, quod Electio Regis Romanorum, vivente Imperatore, non tam prohibeatur, quàm urgente Imperii necessitate, etiam invito Imperatori Rex Romanorum obtrudi possit, per *Capit. Ferdinandi 2. art. 34. Ferdinandi 3 art. 38. Leopoldi art. 36. Josephi art. 35.* Ergo.

Dices cum negantibus apud du May *L' Estat de L' Empire part. 1. dialog. 2. pag. 80. & 81. que quand on crée un Roi des Romains pendant la vie de L' Empereur, on donne suiet à l' un de desirer la mort de l' autre. & on donne deux maitres aux Allemands, qui ont bien de la peine d' en Souffrir un.* id est, *quod, quando vivente adhuc Imperatore creatur Rex Romanorum, detur occasio uni machinandi mortem alteri. & duo Germanis constituantur capita, qui vix unum sufferre queunt. Resp.* ad 1. ejusmodi facinora in coronatis capitibus non esse præsumenda, alias idem de Principibus in aliis regnis, Electoratibus & Principatibus certâ succedendi spem habentibus dicendum foret, id quod esset temerarium asserere. *Resp.* ad 2. licet Imperium nostrum vix ferat duo capita æqualia disparata, ferre tamen potest, si unum alteri sit subordinatum, ut in proposito contingit: Du May *d. dialog. 2. pag. 81.* patebitque ex mox dicendis.

Quær. III. *An Rex Romanorum habeat Majestatem.*

R*Esp.* Affirmativè, Ita Reinkingk *de Reg. sæcul. & Eccl. lib. 1. class 3. cap. 14. n. 66.* Lymnæus *ad Capit. Rudolph. 2. art. 23 n. 17.* Bechmann *ad A. B. Ex. 2. n. 29.* Kulpis *d. Ex. 2. th. 17.* Schvveder *d. part. special. sect. 1. cap. 3. §. 8.*

Prob. per *R. J. de anno* 1542. §. so hat dem allem nach 3. ibi: in Nahmen Ihrer Kayserl. Majestät und für uns selbst &c. §. Hierumb und dieweil 124. *R. J. eodem* ibi: so gebieten Wir von Römischer Kayserl. und Königlicher Macht und Vollkommenheit &c. *per R. J. de anno.* 1555. §. Wir setzen / ordnen &c. 43. ibi: von Römischer Kayserl. und Königlicher Macht &c. *per Capit. Ferdinandi III. art.* 47. v. bey Unser Königlicher und künfftiger Kayserl. Regierung &c. Hanc tamen Majestatem Rex Romanorum actu exercere non potest, nisi certo modo & tempore. Sicque intelligo *Capit. Rudolph. II. art.* 32. *Ferdinandi* 4. & *Josephi art.* 47.

Quær. IV. *In quo differat Rex Romanorum ab Imperatore?*

R*Esp.* Differentiæ inter utrumque intercedentes variæ sunt. Prima est, quod Rex Ro-

Romanorum appellet Imperatorem Dominum suum *R. J. Spiræ de anno* 1542. *in Princ.* ubi ita Ferdinandus I. nachdem die Römische Kayserl. Majestät Unser lieber Bruder und Herr ꝛc. Adde *R. J. Norinbergæ de anno* 1543. *in pr.* ubi rursus Ferdinandus I. anstatt und in Namen der Römischen Kayserl. Majestät Unsers lieben Brudern und Herrns ꝛc. item eum veneratur titulo Majestatis *d. R. J. de anno* 1542. *in princ. &* §. damit auch solcher Ordnung 69. Contra Imperator Regem Romanorum salutat Ihre Liebden *R. J. de anno* 1544. §. Und dieweil aber 63. Secunda differentia est, quod Imperator dicatur semper Augustus, Rex Romanorum verò tantùm Augustus *Liber de Pace Constantiæ composita in pr.* Quamvis hoc in vernacula nostra non observetur *per R. J. Spiræ de anno* 1524. *in pr. R. J. Norinbergæ eodem anno in pr. R. J. Augustæ de anno* 1555. *in pr. R. J. Ratisbonæ de anno* 1557. *in pr.* Tertia differentia est, quod Imperator in insignibus suis habeat aquilam bicipitem; Rex Romanorum tantùm simplicem. Adde Lymnæum *lib.* 2. *Jur. publ. cap.* 15. *& seq. n.* 46. *& ad Capit. Ferdinand. I. in proœm.* Reinkingk *d. lib.* 1. *clas.* 3. *cap.* 14. *n.* 69. du May *L' Estat de L' Empire part* 1. *dialog.* 2. *pag.* 95. Schvveder *part. special. sect.* 1. *cap.* 3. *n.* 8.

§. III.

De Vicariis Imperii.

Quær. I. *Quid sint Vicarii Imperii?*

R*Esp.* Vicarii Imperii (generales intelligo) sunt Principes Imperii lege publicâ constituti, ut vacante Imperio illud secundum datam ipsis potestatem administrent, illudque finitâ Electione intra electi Regis Romanorum manus resignent.

Quær. II. *Quinam sint Vicarij Imperij?*

R*Esp.* Ex legali dispositione *A. B. cap. 5.* Vicarij Imperii sunt Electores, PALATINUS, & SAXO. Circa exordiũ Sæculi decimi septimi Jus Vicariatûs Electori Palatino à Bavaro in dubium vocatum est, & hac de re varia scripta ab utraque parte publicata fuerunt ANNO 1614. & 1615. Bœcler *in Notit. S.R.I. lib.* 4. *cap.* 3. Kulpis *d. Ex.* 2. *th.* 22. Vitriarius *in Inst. Iur. Publ. lib.* I. *tit.* 11. *n.* 5. In Interregno post mortem Ferdinandi III. quæ contigit ANNO 1657. priora scripta partim recusa, partem nova addita sunt, Bœcler *d. lib.* 4. *cap.* 3. Kulpis *d. th.* 22. Vitriarius *de tit.* 11. *n.* 5. Bavarus etiam tum temporis literas apprehensionem Vicariatûs indicantes, utprimùm ipsi mors Cæsaris innono-

notuit, quaquá versùm emisit, cui tamen masculè sese oppositum Palatinus, passim denuntiádo se injuriosè in possessione Vicariatûs à Bavaro fuisse turbatum, Monzambano *de Stat. Imp. Germ. cap.* 4. §. 8. Kulpis *in Comment. ad Eundem. d. cap.* 4. *n.* 8. Rationes utriusque partis exscriptis publicis hinc inde evulgatis nervosè satis contraxit Pfeffinger *in Vitriario illustrato d. lib.* 1. *tit.* 11. *n.* 5. *lit. a.* Lis hactenus indecisa permansit; nos publicam definitionem prævertere dedecet.

Quær. III. *Qualem potestatem habeant Vicarii Imperii.*

Resp. Habent Singuli in suis districtibus (quousque autem cujusque districtus sese extendat, explicat Vitriarius *d. tit.* 11. *n.* 6. Du May *L'Estat de L'Empire dialog.* 2. *pag.* 97.) & conjunctim in Juribus Imperii exercendis eandem potestatem, ac Imperator, cùm Imperatorem repræsentent, nisi quid specialiter exceptum sit, nihil autem exceptum legitur, quàm investitura Feudorum regalium *A. B. cap.* 5. Becker *in Synops Jur. publ. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 4. Bechmann *ad A. B. cap.* 5. *voce duntaxat.* Rhetius *in Instit. Jur. publ lib.* 1. *tit.* 5. §. 9. Cocceius *in Jur. publ. prudentiâ cap.* 16. §. 13. Author der Grund-Vest deß H. Röm. Reichs *part.* 1. *cap.* 2. Kulpis *d. Ex.* 2. *th. ult. in fine.*

SECTIO II.

De Personis Parentibus.

PErsonæ parentes sunt vel Status Imperii, vel non sunt.

Articulus Primus.

De Statibus Imperii.

Quær. I. *Quid sit Status Imperii?*

R*esp.* Status Imperii optimè definitur, quod sit is, qui habet Votum & Sessionem in Comitiis. Paurmeister *de Jurisdict. Imp. Rom. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 4. Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. cap.* 5. *sect.* 11. *n.* 28. *&* 29. Hugo *de Stat. Region. Germ. cap.* 4. §. 12. Monzambano *de Stat. Imp. Germ. cap.* 2. §. 1.

Quær. II. *Quomodo dividantur Status Imperii?*

R*esp.* Status Imperii dividuntur in tres classes, prima est Electorum, altera Principum, tertia Civitatum Imperialium.

§. I.

De Electoribus.

Quær. I. *Unde Electores sic denominentur, & quid Ipsi sint?*

Resp

Resp. Electores à potestate eligendi Caput Imperii, in vernacula Churfürsten à verbo churen, quod priscis significabat eligere, sic dicti, sunt Archi-Principes Imperii, Imperiali Lege constituti, ut viduato Imperio Imperatorem ritè eligant, atque præficiant. *A. B. cap. 1. 2. & 4.*

Quær. II. *Quomodo dividantur Electores?*

Resp: Dividuntur in Ecclesiásticos & sæculares. Ideo autem fortassis in inclyto hoc Collegio Ecclesiastici & Sæculares conjuncti fuerunt, ut non tantùm essent Duces bellicosissimi, sed & Viri doctissimi, sicque Imperialis Majestas & Legibus armata, & armis decorata tantò clariùs omnibus illusceret.

Quær. III. *Quot sint Electores?*

Resp. Juxta *A. B. in proœm.* sunt septem, scilicet Archi-Episcopus Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis, Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgenſis. Et Hi ideo fortè constituti sunt, quia summa in Imperio officia administrabant, erat enim jam tum Moguntinus Archi-Cancellarius per Germaniam, Colonienſis per Italiam, Trevirenſis

Per

per Galliam, Bohemus Archipincerna, Palatinus Archi-Dapifer, Saxo Archi-Mareschallus, Brandenburgicus Archi-Camerarius, juxta versiculos:

Septem clara viris fulget Germania magna,
Quos penes arbitrium Cæsaris omne manet.
Præsul Agrippinus fert signa per Itala regna
Teutona Mogiacus, Gallica Trevir amat.
Poma Palatinus Dapifer gerit aurea Princeps
Dux gladios equitum Saxo Magister habet.
Marchio fert Sceptrum Camerarius; inde Bohemus
Rex pincerna manu pocula digna tenet.

Septenarius hic numerus ad annum 1648, usque perduravit, quo Osnabrugis & Monasterii Westphalorum Imperator cum Imperio publicæ Tranquillitatis conservandæ gratiâ in octavum Electoratum consensit, & rursus Palatinus, qui ob turbas Bohemicas exauctoratus erat, Electoratu Ipsius Anno 1623. in Bavarum translato, rursus additus est. Vide *Instrum. Pac. art. 4. §. quod ad Domum Palatinam* 5. numero octenario non ita pridem novus & nonus accessit, dum anno 1692. 19. Novembris Ernesto Augusto Duci Hannoverano solenni investiturâ per Liberum Baronem de Groot acceptâ, dignitas Electoralis collata fuit, quamvis non absque gravi quorundam Principum contradictione,

Quær

Quær. IV. *Quis sit modus perveniendi ad Dignitatem Electoralem?*

Resp. 1. Electores Ecclesiastici ad eam regulariter per Electionem Capitularium evehuntur. Definitur Electio, quòd sit Personæ idoneæ ad Prælaturam Ecclesiæ vacantis canonicè facta Vocatio, colligitur *ex cap. 7. & 42. de Elect. & Elect. potest.* Quænam autem sint necessaria Electionis legitimè faciendæ requisita, post alios Canonistas vide accuratè tractantem D. D. Konig *in Pr. Iur. Can. tit. de Elect. & Elect. potest.*

Dixi: *Regulariter.* Contingit enim sæpiusculè, ut & per viam Postulationis ad Archi-Episcopale Fastigium quis perveniat. Est autem Postulatio petitio gratiæ Superiori facta de promovendo aliquem ad Prælaturam, ad quam de Jure Communi propter defectum vel impedimentum aliquod eligi non potest, deducitur ex *cap. 20. & 23. de Elect. & Elect potest.* Ubi tamen probè notandum, quod, si Postulatio concurrit cum Electione, non debeat admitti Postulatio, nisi numerus postulantium sit duplò major, quàm eligentium, aliàs præfertur Electio, etiam à parte minore facta, modò unam tertiam superet, & sit de idoneo per *cap. 40. de Elect. & Elect. potest.* Et ita Anno 1688. practicatum

fuit

fuit in Electione moderni Electoris Coloniensis contra Cardinalem de Fürstenberg, ubi ille novem Suffragijs electus prælatus fuit Fürstenbergio 13. Votis postulato, ac à Sum. Pontifice confirmatus: Quid tamen tum temporis inter utramque partem actitatum sit, fusè enarrat Pfeffinger *in Vitriar. illustrat. lib. 1. tit. 14. ad §. 5.* quem, si libet, adi.

Legitimè Electi statim pleno Electoũr Jure fruuntur etiam ante S. Pontificis confirmationem & consecrationem, ac Pallium acceptum, quia ipsis non ut Archi-Episcopis, sed ut Imperij Principibus virtute Feudorum Regalium, quæ ab Imperio immediatè possident, facultas Imperatorem eligendi, aliaq; Jura Electoralia competunt, *A. B. cap. 7. §. 2.* Limnæus *lib. 3. Iur. publ. cap. 3. n. 40. & seq.* Schuz *vol. 1. Iur. pub. Ex. 7. th. 7. lit. L.*

Resp. II. Electores sæculares constituuntur Successione, ita ut semper Primogenitus, Ejusque descendentes ad Electoratum vocentur, lineâ hac extinctâ, ad secundò Genitum Ejusque lineam devolvatur Jus succedendi, & sic juxta successionis ordinem deinceps *A. B cap. 7. §. 2.* modò sit ex legitimo thoro natus, Laicus, non mente captus, nec alio impedimento laborans, ut regimini par esse non possit. *A. B cap. 7. §. 2. & cap. 25. §. 2.* nec Juri succedendi renuntiaverit

verit. quòd omninò in proprium præjudicium facere potest. Notabile Exemplum occurrit in Familia Brandenburgica sub FRIDERICO I. qui consentiente JOANNE primogenito Filio Electoratum reliquit secundogenito FRIDERICO, Buxtorff *ad A.B. concl.* 85. Lymnæus *d. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 33. *& seq.* Rhetius *in Inst. Jur. publ. lib.* 1. *tit.* 7. §. 7.

Quær. V. *An Elector Ecclesiasticus necdum investitus in Collegio Electorali admittatur.*

R*Esp.* Affirmativè. Lymnæus *d. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 5. *& seq.* Mauritius *de Orig. Elect. cap.* 2. *th.* 5. Rhetius *in Instit. Iur. publ. lib.* 1. *tit.* 7. §. 2.

Probatur indè, quia *I.* Electio Capituli Ecclesiasticis tantum tribuit, quantum Sæcularibus Successio; sed Electores sæculares etiam nondum investiti ad Collegium Electorale admittuntur juxta communem DD. sententiam. *II.* Capitulares, mortuo Archi-Episcopo, Jurisdictionem, Regalia, Superioritatisque jura exercent, ad Comitia vocantur, ibique comparent, patet ex subscriptione *R. I. de Anno* 1555. ubi Dechandt und Capitul zu Minden, & *de Anno* 1576. ubi Dechand und Capitul zu Halberstadt nominantur;

nantur; Ergo hæc omnia etiam ante Investituram collatam in Archi- & Episcopos electos transferunt. Confirmatur *III.* præjudicijs, sic DANIEL Archi-Episcopus Moguntinus anno 1555. FRIDERICUS Archi-Episcopus Colonienſis anno 1562. JACOBUS ab Els Archi-Episcopus Trevirenſis anno 1567. necdum investiti in senatum Electorem haud difficulter recepti fuerunt. Lymnæus *d. lib. 3. cap. 7. n. 12.* Kulpis *in Comment. ad Monzambano cap. 4. §. 4.*

Quær. VI. *Quid Juris si planè extinguatur linea quædam Electoralis masculina?*

R*Esp.* Tum Electoratus ad Imperatorem & Imperium devolvitur, ita tamen ut Imperator Collegii Electoralis redintegrandi gratiâ, cum consilio Electorum eundem rursus alicui idoneo conferre teneatur *A. B. cap. 7. §. 5.* Excipitur tamen primò Regnum Bohemiæ, ubi deficiente Stirpe Regiâ Jus denuò Regem & Electorem eligendi non ad Imperatorem, sed ad Regnicolas (id est Regni Proceres) pertinet *A. B. d. cap. 7. §. 5.* Excipitur 2. Electoratus Bavariæ per *Instr. Pac. art. 4. §. Quodsi verò 9.* ubi statutum est, ut si lineam masculinam Bavaricam prorsus deficere contingeret, superstite Palatinâ, non modò

modò Palatinatus superior, sed & dignitas Electoralis penes Bavarum nunc existens ad superstites Palatinos reverteretur. Excipitur 3. Electoratus Brunsuigo-Luneburgico-Hannoveranus, qui pariter tantùm ad Ernesti Augusti descendentes restrictus esse dicitur. Schweder *part. special. sect. 2. cap. 3. in fine.*

Quær. VII. *Quando cœperit Electorale Collegium.*

Resp. In investigandis primis sanctissimi hujus Ordinis incunabulis Historici pariter ac Juris publici Doctores summopere laborant, mireque in natalibus ejusdem definiendis variant, ut videre est apud Thulemarium *de Octoviratu cap. 7.* Mauritium *de Orig. Elector. cap. 1. per totum.* Verior sententia eorum est, qui asserunt jus eligendi Regem Romanorum sæculo 13. post obitum Friderici II. ad septem Electores transisse, non quidem uno actu, aut lege aliquâ speciali, sed pedetentim per usum, Ordinibus reliquis Serè non observantibus, vel ut incommoda ex multitudine eligentium provenire solita tollerentur, id ita fieri permittentibus; denique verò ut quieti publicæ pleniùs consuleretur, Ipsis à Carolo IV. aliisque Imperii Ordinibus Jus hoc in *A, B.* confirmatum fuisse. Et hoc ex-

ratione, quia authenticum testimonium exhiberi non potest, quempiam Imperatorem à solis Electoribus cum exclusione reliquorum Ordinum ante illud interregnum legitimè fuisse electum. Ita nobiscum sentiunt Lehemann *in Chron. Spirens. lib. 5. cap. 17.* Strauchius *diss. exot. Jur. publ. 2. th. 1.* Myler ab Ehrenbach *in Archolog. Ordin. Imp. cap. 9. n. 5.* Conring *Exercitat. de septem viris th. 26.* Oldenburger in *Lymnæ. enucl. lib. 2. cap. 1. n. 1.* Monzambano *de Stat. Imp. Germ. cap. 4. §. 3.* Bechmann *ad A. B cap. 1. n. 34.* Thulemarius *in Octoviratu cap. 7. n. 22.*

§. II.

De Principibus.

Quær. I. *Quinam hic intelligantur per Principes?*

R*Esp.* Vocabulum *Princeps* varias habet acceptiones, ut videre est apud Schuzium *in Colleg. Jur. publ. vol. 1. Ex. 8. th. 2. & 3.* Hic autem per Principes intelligimus omnes Imperii Status, exceptis Electoribus, & Civitatibus Imperialibus.

Quær. II. *Quomodo dividantur Principes?*

R*Esp.* Dividuntur in Ecclesiasticos & sæculares.

Quær.

Quær. III. *Quinam sint Principes Ecclesiastici?*

Resp. Sequentes:

Primò sunt Archi-Episcopi, quorum quatuor fuêre quondam, scilicet Salisburgensis, Magdeburgensis, Bremensis, & Vesontinus, sed Magdeburgensi & Bremensi sæculo donatis per *Instr. Pac. art.* 10. §. 7. *& art.* 11. §. 1. nonnisi Salisburgensis & Vesontinus supersunt.

Secundò Magister Ordinis Teutonici, qui ante omnes Episcopos in publicis negotiis locũ obtinet. Patet *ex R. J. de anno* 1654. ubi ante Bambergensem Episcopum, qui indubitanter præ cæteris Episcopis habet procædriam, subscripsit.

Tertiò Episcopi, qui sunt Bambergensis, Herbipolensis, Wormatiensis, Spirensis, Eychstettensis, Argentinensis, Constantiensis, Augustanus, Hildesheimensis, Paderbornensis, Frisingensis, Ratisbonensis, Passavienſis, Tridentinus, Brixiensis, Basileensis, Leodicensis, Osnabrugensis, Monasteriensis, Churcensis & Lubecensis. Vide Authorem der Grund-Vest in Schemate deß Fürsten Raths *part.* 2. *cap.* 5 *ad fol* 96. *posito.* hic obiter

Observandum est 1. in Episcopatu Os-

nabrugensi hodie post Pacem Westphalicam alternativè nunc Catholicum, nunc Lutheranum, & quidem ex Ducum Brunsuicensium linea eligi aut postulari debere. *Instrum. Pac. art.* 13. §. 1.

Observandum 2. Lubecensem Episcopum (ita eum protestantes salutare amant) jam ab anno 1530. Religioni Lutheranæ fuisse addictum. Hermes *in Fasc. Jur. publ. cap.* 33. *n.* 70. Imhoff *in Notit. S. R. I. Procer. lib.* 3. *cap.* 22. §. 5.

Quartò Prælati, Præpositi, & Abbates principali dignitate fulgentes, cujusmodi sunt Magister Ordinis Joannitici, Præpositi Elwangensis & Berchtelsgadensis, Abbates Fuldensis, Campidunensis, Murbacensis, Ludersensis, VVeissenburgensis, Prumiensis, Stabulensis, Corbeiensis. Author der Grund-Vest *dicto Schemate.*

Quartò Prælati simplices, qui dividuntur in Rhenanos & Suevicos. Catalogum eorum exhibet Hermes *in Fasc. Jur. publ. cap.* 27. *n.* 7. *&* 8.

Quintò denique quædam Abbatissæ. Has quoq; recensetHermes *dict. cap.* 27. *n.* 9.

Quær. IV. *Quando Principes Ecclesiastici primitùs acceperint Potestatem sæcularem?*

Resp. Quamvis originem conjunctæ potestatis sæcularis cum functione Ecclesiastica

stica plerique ad Ottonem I. referant, verius tamen est, adhuc florentibus Francorum rebus jam aliquibus Prælatis Ecclesiasticis temporalem Jurisdictionem competisse prout de Episcopo Herbipolensi & Abbate Campidunensi testatur Kranzius apud Myler ab Ehrenbach *in Archologia Ordinum Imp. cap.* 12. §. 5. Besold *in Thesaur. pract. voce* Würtzburg *& voce* Abbt. quod ille à Pipino patre: Hic à Carolo Magno Pipini filio sæcularem potestatem consecuti sint, unde communes illi versiculi orti:

Herbipolis sola judicat ense, stolâ
Campiduna sola judicat ense, stolâ

Plura exempla alia recenset Pfeffinger *in Vitriar. illust. lib. 1. tit. 15. n. 5 lit. a.* dicendum proinde, hujus instituti fundamenta temporibus Carolinis fuisse jacta, incrementa accessisse per subsequentes Imperatores, & præcipuè tempore Ottonum. Confer post Kranzium, Besoldum, Myler ab Ehrenbach *in Archolog. Ord Imp. d. cap.* 12. §. 5 *& seq.* Ludolphum Hugonem *de Stat. Region. Germ. cap.* 1. §. 5. Kulpis *ad Monzambano cap.* 3. §. 6. 7. *&* 8. Pfeffinger *d. lib* 1. *tit.* 15. §. 5. *lit. A. & C.*

Quær. V. *Quinam sint Principes sæculares?*

Resp. Sequentes:

Primò sunt Archi-Duces. Archi-Ducum appellatio vel arbitraria & oratoria est, vel solennis & curialis. Primâ appellatione etiam subinde Electores, Ducum Primogeniti, aliiq; salutantur; Secundâ significatione soli Austriaci gerunt titulum Archiducum. Paurmeister *de Jurisd. Rom. Imp. lib. 2. cap. 9. n. 3.* Lymnæus *lib. 4. J. P. cap. 3. n. 26. & 27.* Boecler *in Notit. S. R. I. lib. 7. cap. 2.* quid de tituli hujus Origine varii sentiant. Vide apud Pfeffinger *d. lib. 1. tit. 16. § 9. lit. a.*

Secundò sunt Duces, olim sic dicti, quia exercitum ducebant, Germ. Hertzog quasi ein Herr deß Zugs/ Besold *in Thesaur. pract. voce* Hertzog. Conring *dissert. de Ducibus th. 4.* vel, ut placet Lymnæo *lib. 4. Jur. publ. cap. 3. in pr.* inde sic nominati, weilen sie vor den Heer zogen. Hodie Dux est, qui ab Imperatore de Ducatu est investitus. Reinkingk *de Reg. sæcul. & Eccl. lib. 1. class. 4. cap. 12. n. 4.* Boecler *in Notit. S. R. I. lib. 7. cap. 3.* Ejusmodi sunt Duces Saxoniæ, Bavariæ, Brunsuicenses, Luneburgenses, VVurtenbergenses, Mecklenburgenses, Holsati &c. Eminentior autem est Ducis Dignitas, quàm Principis simpliciter sumpti. Patet inde, quod Archi-Episcopatus per Paecem VVestphalicam sæculo redditi non in Principatus,

sed

sed Ducatus: Episcopatus econtrà non in Ducatus, sed Principatus fuerint mutati. Cocceius *in Jur. publ. prudent. cap.* 15 *sect.* 2. §. 6. Rhetius *in Inst. Jur. publ. lib.* 1. *tit.* 17. §. 1.

Tertiò sunt Principes simpliciter tales, scilicet illi, qui de Principatu ab Imperatore solennitèr investiti sunt, quales ex antiquis sunt Principes Anhaltini, ex recentioribus, quos Ferdinandus II. Ferdinandus III. & Leopoldus creârunt, Hohenzollerensis, Salmensis, Lobkowiz, Eggenbergensis, Waldeccensis, Oettingensis, Schwarzenburgensis, Nassovius in Hadamar & Dillenburg, Auerspergensis, Piccolominius, Liechtensteinensis, Dietrichsteinensis &c. Confer Jmhoff in Genealogia horum Principum.

Quartò sunt Comites Germ. Graffen/ quorum alii sunt Comites Palatini, sive Pfalzgravii, alii Marchiones sive Marckgravii, alii Landgravii, alii Burggravii, alii Comites Principes Gefürstete Graffen/ alii denique Comites simpliciter tales.

Comites Palatini sive Pfalzgravii olim sic dicti à palatio & grave, quod vocabulum Antiquis Judicem denotabat, erant enim Comites Palatini Judices Palatii. Reinkingk *d. lib.* 1. *class.* 4. *cap.* 13. *n.* 30. 31. *&* 32. Lymnæus *d. lib.* 4. *I. P. cap.* 4. *n.* 28. 29. 30. *&* 31. Cocceius

ceius *in Jur. publ. prud. cap.* 15. *sect.* 2. §. 16. hodie sunt Comites Palatini Principes Imperii, qui de Palatinatu ab Imperatore investiti sunt, cujusmodi sunt Comites Palatini Neoburgici, Bipontini, Solisbacenses, Birckenfeldenses &c. Vide Lymnæum *d. cap.* 4. *n.* 37.

Landgravii sic appellati sunt, quia erant provinciarum Præfecti & Judices Reinkingk *d. cap.* 13. *n.* 16. Lymnæus *d. cap.* 4. *n.* 77. hodie sunt Principes Imperii, qui de Landgraviatu ab Imperatore investiti sunt, uti est Landgravius Hassiæ, Thuringiæ, Alsatiæ, Leuchtenbergensis, Plures addit Lymnæus *d. cap.* 4. *n.* 78.

Marchiones sive Marggravii inde sic nominati, quod essent limitum Custodes & Judices Reinkingk *d. cap.* 13. *n.* 10 Lymnæus *d. cap.* 4 *n.* 21. nunc sunt Principes Imperii, qui ab Imperatore de Marchionatu investiti sunt, ut Brandenburgensis, Badensis, Misnensis, Moraviæ.

Burggravii sic nuncupati, quia fuerunt castrorum Præfecti & Judices Lymnæus *d cap.* 4. *n.* 80. Reinkingk *d. cap.* 13 *n.* 42. Monzambano *de Stat. Imp.. Germ. cap.* 3. § 3. modò sunt Comites, qui ab Imperatore de castro ritè investiti sunt, ut Norinbergensis, qui titulus hodie pertinet ad Electorem & Marchio-

chiones Brandenburgenses. An autem adhuc hodie præter titulum quicquam juris Principibus hisce supersit. Vide Lymnæum *d. cap. 4. n. 81. & seq.*

Comites Principes Gefürstete Graffen sunt Comites Imperii ab Imperatore de Comitatu Imperii sub dignitate principali investiti, ut Comites Tyrolenses, Mompelgardenses &c.

Comites Imperii simpliciter tales sunt, qui ab Imperatore de Comitatu investiti sunt. Dividuntur hodie inspecto Comitiorum usu in Franconicos VVetteravicos, Suevicos & VVestphalicos. Hermes *in Fasc. Jur. publ. cap. ult. n. 69.* Mauritius *de Recess. Imp. th.* 18. & *in Notis ad Capit. Leopold. in proœm. verb.* Gefürstete Graffen. Syllabum Comitum simpliciter talium exhibet prælaudatus Hermes *in Fasc. J. P. cap. 27. n. 11.*

Quær. VI. *Quando sæcularium Imperii Principum ditiones hæreditariæ esse cœperint?*

Resp. De Principum sæcularium Origine, jure & potestate, quæ in suis territoriis obtinent, verè dici potest, quod Jctus Cajus de alluvione in *l. 7. §. 1. ff. de acq. rer. dom.* quod scilicet sint incrementum latens sen-

fim sine sensu iis adjectum, ut intelligi vix potuerit, quantum quoquo temporis intervallo ipsis accreverit. Origo horum ferè hæc fuit: devictis à Carolo M. Hunnis, Saxonibus aliisque Imperii sui hostibus, eorumque ditionibus in provinciæ formam redactis, Imperator ex numero veteranorum militum in præmium exantlati laboris, quosdam fecit Duces, quosdam Marchiones, alios Palatii Ç omites, Burggravios alios, nonnullos Landgravios, plerosque verò Comites in certo districtu ordinavit, ut velut Judices & provinciarum Rectores ditionibus præessent. Lehemann *in Chron. Spirens. lib. 2 cap 16. 17. & seq.* Besold *in Thesaur. pract. verb.* Lehen / *& verb.* grave. Myler ab Ehrenbach *in Archolog. Ordin. Imp. cap. 6. n. 5.* Horum tamen potestas regulariter nonnisi temporalis erat, & pro lubitu Imperatoris revocabilis. Lehemann *d. cap. 16. 17. & seq. & lib. 4. cap. 1.* Myler ab Ehrenbach *d. cap. 6. n. 5. & 6 & cap. 8. n. 2.* Kulpis *in Comment. ad Monzamb. cap. 3. §. 2.*

Dixi regulariter. Nam Ducatus quosdam, Comitatus aliaque Regni munera jam sub Carolo M. quibusdam militibus ob strenuè navatam operam Jure hæreditario concessa fuisse negari non potest per ea, quæ tradit Myler *in Archolog cap. 8. n. 2.* Vitriarius *in Inst.*

Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 16. n. 6. ibique Pfeffinger *in annot. lit. A. B. C.*

Progrediente tempore, postquam Duces, Marchiones, Comites &c. ad vitam constituerentur, & patribus plerumque filii surrogarentur, denique factum est, ut provincias sibi concreditas ex voluntate Imperatorum in patrimonio numerare, & Jure hæreditario ad posteros transmittere cœperint, id quod potissimùm sub Conrado I. & Ottonibus contigit. Lehemann *in Chron. Spirens. lib. 4. cap. 1.* Myler *in Archolog. cap. 9. n. 1. & de Princ. & Stat. Imp. cap. 9. n. 10.* Monzambano *de Stat. Imp. Germ. cap. 3. §. 2.* Vitriarius *d. lib. 1. tit. 16. n. 4.* ibiq; Pfeffinger *in annot. lit. A. B. C.* Conring *dissert. de Ducibus & Comitibus §. 24. & 25.*

Quær. VII. *An Principes Ecclesiastici & Sæculares circa suffragium in Comitiis ferendum, quod Characteristica Imperii Ordinum nota est, pari prærogativâ gaudeant, atque fruantur.*

Resp. Negativè, sed Principes Ecclesiastici & Prælati principali dignitate fulgentes, item Principes ac Comites Principum charactere insigniti (uti Electores in suo Collegio) viritim suffragia proferunt; Prælati verò

verò ac Comites simplices curiatim sententias pronuntiant, ita ut Prælatis Rhenanis & Suevicis hodie duo: Comitibus Francbonicis, Suevicis, Weteravicis & VVestphalicis Jus quatuor ferendi suffragia competat Hermes *in Fasc. Jur publ cap. ult. n.* 69. Mauritius *de Recess. Imp th.* 18. *& in Notis ad Capit. Leopoldi in proœm. verb.* Gefürstete Grafen.

§. III.

De Civitatibus.

Quær. I. *Quotuplices sint Civitates?*

R. Sunt, qui dividant civitates in liberas seu Imperiales Provinciales & mixtas. Per liberas intelligunt eas, quæ præter Cæsarē non agnoscunt superiorem. Per provinciales, quę Ducē vel alium Cæsare inferiorem Dominū habent. Per mixtas, quæ quoad regalia solùm Cæsarem: quoad territorium alium quendam, superiores venerantur, sed nos mixturam hanc non admittimus, cùm legalibus fundamentis non innitatur. Paurmeister *de Jurisdict. Imp. Rom. lib.* 2 *cap.* 12. §. 17. Becker *in Synopsi Jur. publ. lib.* 3. *cap.* 9. §. 4. Bœcler *in Notit. S. R. I. lib* 11. *cap.* 2. Kulpis *ad Monzamb. cap.* 2 §. 13. licet igitur Status aliquis in Civitate Imperiali Jus advocatiæ, imperium merum

rum, vectigalia, vel similia jura obtineat, per hoc tamen civitas provincialis non efficitur; nec civitas provincialis Status sui conditionem amittit, quamvis Imperialibus privilegiis decorata sit. Ita Authores *locis mox allegatis.*

Quær. II. *Quid sint Civitates Imperii?*

R*Esp.* Sunt Civitates immediatæ, habentes Votum & Sessionem in Comitiis. Habent igitur hodie Civitates Imperiales indubitanter votum decisivum instar aliorum Statuum in Comitiis per *Instr. Pac. art.* 8. §. 4. in modo tamen exercendi voti decisivi adhuc hæret difficultas, superioribus duobus collegiis ad re- & correlationem, ut vocant, civitates admitrere nolentibus. Quâ de re in superioribus Comitiis acriter consultatum, disputatumq; fuit, Vide excerpta actorum apud Authorem der Grund-Vest *part.* 2. *cap.* 6. hactenus tamen teste Kulpisio *ad Monzamb. cap.* 2. § 13. Civitates post multas pro- & reprotestationes nil aliud evincere potuerunt, quàm ut iis ad vindicandum voti decisivi effectum, sententiam suam, si quando à cæteris discrepat, Cæsari seorsim offerre liceat.

Quær. III. *Quot vota Civitates Imperiales in Comitiis proferre queant?*

Resp.

Resp. Civitates Imperiales, quæ in duo scamna scilicet Rhenanum & Suevicum, dividuntur, nonnisi duo vota efficiunt. Myler ab Ehrenbach *de Princ & Stat. Imp. cap.* 15. *n.* 24. Vitriarius *in Instit. Jur. publ. lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 66. Quænam autem pertineant ad scamnum Rhenanum, quæ ad Suevicum enarrat Author der Grund-Vest *part.* 2. *cap.* 6. *in pr.* Illud obiter hic moneo, Civitatem Argentinensem, quæ ad scamnum Rhenanum spectabat, novissimè in pace Ryswicensi *art.* 16. in Matricula Imperii expunctam, & cum omnibus, quæ in sinistrâ Rheni parte ad urbem hanc pertinuerunt, in Regem Galliarum pleno jure fuisse translatam.

Quær. IV. *Quæ sit Origo Civitatum Imperialium?*

Resp. Origo Civitatum Imperialium, earumq; libertas probabiliter Henrico IV. attribuitur, & hoc ob summam fidelitatem, cum enim Civitates Imperatori Henrico egregiè contra Principes assisterent, earum multæ, & nominatim Colonia, Moguntia, VVormatia, Spira, Argentoratum, Basilea jure autocratiæ potitæ, & regiminis publici in Comitiis participes factæ sunt, non quidem à solo Imperatore, sed & consensu omnium

nium Statuum Lehemann *in Chronico Spirens. lib. 4. cap. 3.* Ludolphus Hugo *de Stat. Reg. German. cap. 1. §. 9.* Vitriarius *in Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 18. n 9.* Pfeffinger *in annot. ad tit. eund. n. 7.* Successu temporis plures aliæ Civitates subinde vi, nonnunquam pretio, quandoq; diuturnâ præscriptione à regimine Dominorum, quibus suberant, sese liberârunt. Conring *diss. de Vrbibus Germ. th. 122. & seq.* Ludolpus Hugo *d. cap. 1. §. 9.* Myler in Archolog *cap. 19. per tot.*

Articulus Secundus.

De non Statibus,

NOn Status Imperii sunt vel immediati, vel mediati.

§. I.

De non Statibus immediatis.

Quær. 1. *Quinam dicantur non Status immediati?*

Resp. Illi, qui immediatè Cæsari & Imperio subjecti sunt, nec tamen votum & Sessionem habent in Comitiis. Ejusmodi sunt

1. Dux

I. Dux Mediolanensis, Sabaudiæ, Florentiæ, Placentiæ, Mantuæ, Parmæ, Mutinæ, Regii &c. ut more solito solidè demonstrat Conring *de fin. Imp. lib. 2. cap. 23.* adde Reinkingk *de Reg. sæcul. & Eccl. lib. 1. class. 5. cap. 10. n. 22.* Schvveder *in introd. in Jus publ. part. general. cap. 4. n. 43. & seq.*

II. Nonnulli Commendatores Ordinis Teutonici. Vide Reinkingk *d. lib. 1. class 5. cap. 10. n. 23.* Schweder *part. special. sect. 2. cap. 18. in pr.*

III. Quædam Communitates & Pagi, quorum meminit *Instr. Pac. art. 5. §. 2.* eosq; ex Goldasto recenset Ludolphus Hugo *de Stat. Reg. Germ. cap. 1. §. 8.* Buckisch *in observat. Historico-polit. ad Instr. Pac. art. 5. §. 2. obs. 11.*

IV. Collegium Canonicorum in Arnuell prope Saarbrücken Reinkingk *d. lib. 1. class. 5. cap. 10. n. 18.* Schuz *in Colleg. Jur. publ. vol. 2. Ex. 9. th. 19.* Et licet hi Duumviri ibidem huc quoque referant Collegium Canonicorum Bruckfalense prope Spiram, item Bruckscheidense Monasterium Virginum prope Aquisgranum, in his tamen ipsos fuisse hallucinatos, patet inde, quod hæc duo posteriora Imperii Statuum jure fruantur, cùm ablegatos suos habuerint in Comitiis Ratisbonen-

nen-

nensibus *de anno* 1654. ut patet ex subscriptione R. J. ejusdem anni.

V. Sunt Nobiles immediati Franconici, Rhenani, & Suevici, die Fränckische/ Rheinische und Schwäbische unmittelbare Ritterschafft circa hanc Nobilitatem immediatam

Illustris Controversia est, an gaudeat superioritate territoriali?

NEgat Besold *in Thesaur. pract. verb.* Freye Reichs-Ritterschafft 9. auß welchen. Strauchius *in dissert Exot. Jur. publ.* 4. *th.* 22. Ludolphus Hugo *de Stat. Region. German. cap.* 5. §. 5. Rhetius *in Inst. Jur. publ. lib.* 2. *tit.* 1. §. 39. Vitriarius *in Inst. Jur. publ. lib.* 3. *tit.* 15. *n.* 11.

Affirmat Schuzius *in Colleg. Jur. publ. vol.* 1. *Ex.* 6. *th.* 4. & 10. Reinkingk *de Reg. S. & E. lib.* 1. *class.* 5. *cap.* 3. *n* 10. & 11. Gail. 2. *obs.* 62. *n.* 3. Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Stat. Imp. cap.* 36. *n.* 12. Mauritius *de Nobilitate th.* 49.

Ego cum Kulpisio *in Coment. ad Monzamb. cap.* 2. §. 14. Pfeffingero *in Vitriario illustrato lib.* 3. *tit.* 15. *n.* 11. *lit. A* referre existimo, utrùm scilicet superioritas territorialis pro essentiali Statûs Imperii notâ accipiatur, an verò in sensu nonnihil laxiori, ita ut cœtera jura Statuum

tuum, excepto jure ferendi suffragium, contineat; priori casu lubenter Negantium: posteriori indubitanter Affirmantium sententiam cum Authoribus mox relatis amplector, firmissimè credens, acerrimam hanc quasi de nomine cõtroversiam sat commodè hoc modo componi posse.

§. II.

De non Statibus mediatis.

Quær. I. *Quinam dicantur non Status mediati?*

R *Esp.* Qui mediante Electore, Principe, Comite &c. Imperatori & Imperio subjecti sunt.

Quær. II. *Quotuplices sint mediati?*

R *Esp.* Alii sunt eminentioris Ordinis, alii inferioris.

Eminentioris Ordinis sunt.

I. Nonnulli Principes, ut Teschinenses, Monasterienses, & Lignicenses in Silesia.

II. Multi Comites, & Barones in Austria, Bavaria, Hassia, Saxonia &c.

III. Omnes fere Nobiles in Germania præter Rhenanos, Suevicos atque Franconicos.

IV. Patricii, quorum alii nobilitatis privilegiis decorati sunt, vocanturque die Adeliche Geschlechter: Alii ob honores & merita

rita Majorum à Civibus singulariter æstimati sunt, dicunturq; ehrbare und Burgerliche Geschlechter. Inter eos eminent hodie Patritii Norinbergenses, Augustani, Ulmenses, Francofurtani.

Inferioris Ordinis sunt civitates provinciales sive municipales & pagi, in iisq; degentes cives, qui sunt vel literati, vel illiterati, hi rursùs vel artifices, vel opifices &c. &c.



DISSERTATIO IV.

De STATU PERSONARUM INSPECTO JURE CIVILI PRIVATO.

PErsonæ de Jure Civili privato pro triplici Statu libertatis, civitatis, & familiæ tripliciter dividuntur, scilicet in liberos & servos, cives & peregrinos, patresfamilias & filiosfamilias.

SECTIO I.

De Liberis & Servis.

Articulus Primus.

§. Un.

De Liberis.

LIberi sunt, qui gaudent libertate. Definitur autem libertas, quod sit naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibeatur, §. 1. *Inst. de Jure person.*

Liberi

Liberi dividuntur in Ingenuos & Libertinos.

Ingenui sunt, qui statim, ut nati sunt, liberi sunt sc. ratione matris. *Princ. Inst. de Ingen.*

Libertini, qui ex justa servitute manumissi sunt. *pr. Inst. de Libertin.*

Articulus Secundus.

De Servis,

SErvus est, qui est in justa servitute.

§. I.

De Definitione Servitutis.

SErvitus duplex est, alia absoluta, alia respectiva.

Servitus absoluta est qualitas moralis privans aliquem facultate faciendi ea, quæ juri sunt consentanea.

Servitus respectiva est constitutio Juris Gentium (id est constitutum Jure Gentium) quâ quis Dominio alieno contra naturam (id est contra Jus naturale permissivum) subjicitur §. 2. *Inst. de Jur. person.*

§. II.

De Causa efficiente servitutis.

CAusa efficiens servitutis duplex est, remota & proxima.

Remota est Jus gentium §. 1. *Inst. de Jur. person.*

Proxima sunt modi, quibus inducitur servitus.

Inducitur autem 1. Servitus captivitate. Si quis scilicet in bello justo capitur, Servus efficitur §. 4. *Inst. de Jur. person.* §. 17. *Inst. de rer. divis.*

Hodie Christianus Orbis hunc duræ servitutis fontem ex lege charitatis obstruxit, adeoque si Christiani bellis inter se colliduntur, capti non ampliùs efficiuntur servi capientium, sed vel certo lytro soluto liberantur, vel hinc inde quasi permutantur. Ita cum magna Doctorum serie Hermannus Stamm *de servit. person. lib. 1. tit. 1. cap. 3. n. 4.* Aliud dicendum, si Christiani cum Turcis, Persis, Saracenis aliisq; infidelibus bella gerant, tum enim Christianos ab infidelibus captos etiamnum fieri servos capientium patet ex *R. J. de anno* 1542. §. Und wiewohl 11. ibi: in die tyrannische viehische Dienstbarkeit führen lassen müssen. *Et R. J. de anno* 1557. §. Und man sich 42. ibi: in seinen tyrannischen

Ge-

Gewalt und Dienstbahrkeit zu zwingen. Cùm igitur Christiani ab infidelibus capti duriſſimo ſervitutis jugo premantur, hinc & noſtri captivos infideles pro ſervis detinent, ſeveritatem barbarorum ſic juſtiſſimè retaliantes. Schneidvvin *ad Tit. Inſt. de Jur. perſon.* §. 4. Hermannus Stamm *de Servit. perſon. lib. 1. tit. 1. cap. 4. in pr.* Strickius *in uſu mod. ff ad Tit. de Stat. hom.* §. 3. Schilter *Ex. 3. ad ff.* § 2. cum communi Doctorum ſchola.

Quær. *An Chriſtiani à Turcis, Saracenis aliisque Infidelibus capti etiam reſpectu Chriſtianorum ſervi efficiantur.*

Reſp. Negat. ſed eodem loco haberi debẽt, quo Chriſtiani reliqui, & meritò: cùm enim pro fide Chriſtianâ decertârint, durum foret, ſervitutem ipſis nocivam eſſe apud illos, quorum libertatem armis tutati ſunt. Et certè, ſi extrema in republica meritos, in metallum vel ad mortem condemnatos, ſublatâ ſervitute pœnæ per *Nov. 22. cap. 8.* pro ſervis non habemus, quo jure, quâve injuriâ miſeros illos captivos, qui pro aris & focis Chriſtianæ reipublicæ præſentiſſimum vitæ amittendæ periculum ſubière, liberorum hominum jure excludemus? & cum alias ratio

humanæ commiserationis flagitet, ne afflictis addatur afflictio, crudele foret ac barbarum, hoc unicum quoque solatium denegare illis, quibus vita gravis & sola mors levamẽ afferre potest, Ita Covarruvias *tom. 1. ad cap. peccatum de R. J. in 6. part. 2. §. 11. n. 6.* Strickius *in usu mod. ff. ad Tit. de Stat. hom. §. 4.* Schilter *Ex. 3. ad ff. §. 2.* Hoppius *in usu hodierno ad princ. Inst. de Jur. person* D.D. Gletle *in tractatu Canonico-legali de testament. part. 1. cap. 4. §. 5 n. 7. 8. & 9.* Homborgius *in prælect. Academ. ad Institut. Tit. de Jur. person. §. 3.*

Secundò inducitur servitus nativitate. Si proinde filius ex matre serva nascitur, servus nascitur. §. 4. *Inst. de Jur. person.*

Nam nec squilla rosas, ferrugineumq́ hyacinthum
Nec sobolem ingenuam gignere serva potest.

Ratio autem, cur in libertate & servitute partus sequatur ventrem, cùm tamen quoad familiam, dignitatem, civitatem, insignia &c. Filius sequatur patrem, est, quia Mater in libertate pluribus temporibus, scilicet tempore conceptionis, nativitatis, & tempore intermedio partui prodesse potest. *princ. Inst. de ingen.* Hoppius *in Comment. ad Inst. tit. de ingen. in princ.*

Tertiò inducitur servitus venditione sui ipsius. §. 4. *Inst. de Jur. person.* ubi tamen certæ

tæ conditiones requiruntur, quarum prima est, ut, qui se vendi patitur, sit major 20 annis §. 4. *Inst. de Jur. person.* 2. ut sciat se esse liberum *l.* 4 *ff. quib. ad libertat. proclam. non licet.* 3. ut intendat participare de pretio & reipsâ participet *l.* 1 *pr. ff. eod.* 4. ut emptor eum verè credat esse servum *l.* 70. *ff. de contrah. empt.* his omnibus concurrentibus venditus servus emptoris efficitur; at si vel una dictarum conditionum deficit, fas est vendito ad libertatem proclamare, *l.* 7 *pr. ff. de Liberal. caus. l* 1. *pr. ff.* & *l.* 1. *C. Quib. ad libert. proclam. non licet.*

Quartò inducitur Servitus per revocationem ingrati Liberti, *l.* 2. *C. de Libert. & eor. liber.* Liberis tamen in libertate natis revocatio non præjudicat, *d. l.* 2. *C. de Libert. &c.*

Quintò inducitur Servitus per atrocitatem sententiæ, *l.* 17. *ff. de Pœn.*

§. III.

De Subjecto Servitutis.

SUbjectum servitutis sunt Servi, ex eo sic appellati, quòd capti in bello, cùm occidi potuerint, servati sint, §. 3. *Instit. de Iure person.*

Quær. *An sicut olim captos in bello, aut sponte deditos impunè occidere licuit, ita & hodie idem permissum sit?*

Resp. Affirmativè de rigore juris cum Grotio *de Iur. Bell. & Pac. lib. 3. cap.* 4 §. 10. & *seq.* Laymann *in Theol. moral lib. 2. cap. 12. n. 7.* D.D. Ebbert *de Bello cap. 5. §. 2.* modo culpabiliter antè pugnando mortem meruerint.

Prob. I. ex Jure Divino, ubi 1. *Reg. cap. 15. v. 33.* Samuel Propheta Agag Regem Amalec à Saule prius captum in frusta concidit coram Domino in Galgalis.

Prob. II. Ex Jure Gentium, dum passim in historiis leguntur supplicum occisorum peracta exempla, ut ab Achille apud Homerum, apud Virgilium Magonis & Turni, & sine ulla conditione sponte dediti interfecti, ut à Romanis Pometiæ Principes, à Sulla Samnites, à Cæsare Numides Grotius *d. lib. 3. cap.* 4. §. 11. & 12.

Prob. III. Ex Jure Civili Romanorum, quibus mos ferè perpetuus fuit in hostium Duces sive captos sive deditos, ut triumphi die occiderentur, attestantibus Tullio, Livio, & Tacito apud Grotium *d.* §. 12. unde Seneca in Troad.

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.

Con-

Confirmatur authoritate S. Augustini apud Grotium *d.* §. 12. ubi laudat Gothos, qui supplicibus & in templa perfugientibus pepercerant, inquiens: *quod belli jure fieri licuisset, illicitum sibi esse judicârunt.*

Dixi de rigore juris. Nam religioni utique conformius est captis aut sponte deditis parcere. Hac religione motus Propheta Elisæus 4. *Reg.* 6. *v.* 21. *& seq.* prohibuit, ne in devictos, ex quo intra præsidia deducti sunt, sæviretur, ac prudentissimè Maximilianus I. in der Reuter-Bestallung *anno* 1570. *art.* 96. constituit, ne Victores in devictos præsidiis jam inductos desævirent, æquum enim est, ut pareatur illis

Quorum virtuti belli fortuna pepercit.

§. IV.
De Forma servitutis.

FOrma servitutis stat in privatione facultatis agendi ea, quæ de Jure agere licet.

§. V.
De Effectu servitutis.

EFfectus servitutis potissimùm duo sunt.

Effectus servitutis primus est potestas coercendi servum, quæ Jure Gentium etiam

ad

ad Jus vitæ & necis porrigebatur §. 1. *Inst. de his, qui sunt sui vel alien. jur.* sed constitutione Antonini facultas hæc ita limitata fuit, ut non licuerit Domino servum suum sine causis legitimè cognitis occidere, idque sub pœna capitis §. 2. *Inst. de his qui sunt sui vel alien. jur.* aut asperiùs cum eo agere. Quod si fecerit, servus ad ædem sacram, aut statuam Principis confugere poterat, ubi eatenus immunitate gaudebat, donec causâ cognitâ, & exorbitante domini sævitie probatâ à Domino etiam invito alienatus fuerit. §. 2. *Inst. de his, qui sunt sui vel alien jur.*

Secundus servitutis Effectus est, quod quidquid servus acquirit, acquirat suo Domino. §. 1. *Inst; d. t.* ita ut servus nequidem per momentum aliquid proprium habere queat. *l.* 70. *ff. de acq. vel amitt. hæred.* adeo ut verè de servis dici queat illud Virgilij:

Sic vos non vobis fertis aratra boves:
Sic vos non vobis vellera fertis oves.

§. VI.
De Contrariis servitutis.

COntraria Servitutis sunt modi, quibus cessat. Cessat autem vel ipso Jure, vel Facto hominis.

Cessat Servitus ipso Jure, si infidelis in bello

bello Turcico vel Tartarico captus, sacro Baptismatis fonte ablutus, Christiana castra sequitur, quia, ut dictum, inter Christianos Lex Charitatis duræ Servitutis fontem obstruxit.

Cessat Facto hominis Servitus per manumissionem. Definitur manumissio, quòd sit datio libertatis, *l. 4. ff. de J. & J.*

Causa efficiens manumissionis est vel remota, vel proxima.

Remota est Jus Gentium, *l. 4. ff. de Just. & J.*

Proxima est manumittens. Poterat autem manumittere omnis, qui non prohibebatur Lege Æliâ Sentiâ, aut Fusiâ Caniniâ.

Lege Æliâ Sentiâ prohibebatur 1. Dominus obæratus manumittere Servos in fraudem Creditorum, §. 1. *Instit. Quib. ex caus. manumit. non licet.* Prohibebatur 2. Dominus minor 20. Annis, nisi id factum fuerit per vindictam & ex justa causa à Consilio approbata, §. 4. *Instit. d. tit.* Postmodum Justinianus ex amore libertatis dedit licentiam Majori 17. annis servos in testamento manumittendi, §. *ult. Instit. d. tit.* Denique cùm adhuc indignum videretur, quòd pubes de cæteris bonis omnibus ultima condere posset elogia, non etiam servos manumittere, Imperator omnibus, quibus testandi fa-

facultas competebat, etiam servos manumittendi potestatem concessit, *Novell.* 119. *cap.* 2.

Lege Fusiâ Caniniâ manumissio servorum in Testamento ad certum numerum restricta erat, quæ Lex, quia libertati inimica fuit, ab Imperatore rursus sublata fuit, *tot. tit. de Leg. Fus. Canin. tollend.*

Effectus Manumissionis fuit Libertineitas, sive, quòd manumissus evaserit libertinus, & vel Civis Romanus, vel Latinus Junianus, vel Deditius, quod discrimen postea Justinianus sustulit, dando Manumissis omnibus Jus Civitatis Romanæ, §. 3. *Inst. de Libertin.* Imò Jure Novissimo omnes Libertinos effecit ingenuos, salvo tamen Jure Patronatûs, *Novell.* 78. *cap.* 2.

Et hæc breviter de Servis, quia verò in multis Germaniæ locis reperiuntur homines proprii Germ. Leibeigene / quæ quandam cum servis antiquis habent affinitatem, pauca de his delibabimus. Sit itaque

Articulus Tertius.

De hominibus propriis,

Quær. I. *Quid sint Homines proprii?*

Resp. Sunt homines Agricolationi obnoxii. Describi potest Agricolatio, quod sit Juris

ris vinculum, quo quis cum aggravatione sui liberi Statûs alteri ad operas, jus caduci, census, & alia de consuetudine loci, pactovè recepta onera præstanda ex causa legitima adstringitur. Ita Hermannus Stamm *de servit. person. lib. 3. cap. 1. n. 14.*

Quær. II. *An non obstante Agricolatione homines proprii maneant liberi?*

Resp. Manere liberos libertate tamen restrictâ, ne vergat in præjudicium prædii, & inde dependentium servitiorum. Libertas eorum inde probatur, quia primò habent jus contractuum, modò contractus non tendant in præjudicium prædii, & rerum eò pertinentium, Hinc ipsi etiam cum Dominis suis de reliquis rebus liberè contrahunt. Stamm *de servit. person. lib. 3. cap. 17. n. 5.* Strickius *in usu mod. ff. Tit. de Stat. hom. §. 7.* Naurath *in Hypotyposi subditorum n. 79.* Bona sua cœtera inter vivos alienare possunt. Husanus *de hominib. propr. cap. 6. n. 24. & seq.* Stamm *d. cap. 17. n. 5.* Strickius *d. tit. §. 7.* Secundò habent legitimam personam standi in judicio. Naurath *d. tr. n. 79.* Stamm *d. cap. 17. n. 3.* Strickius *d. tit. §. 8.* Tertiò Liberos habent in sua potestate Pomeresch *ad §. 1. Inst de his, qui sunt sui vel alien. jur.* Stamm *d. cap. 17. n. 3.* Strickius *d. tit. §. 6.* Quartò per operas

ras sibi acquirunt, modò nihil decedat servitiis Domino debitis Mevius *part. 2. decis. 89. n. 6* Stamm *d. cap. 17. n. 5.* Hoppius *in usu hodierno* §. 4. *Inst. de Jur. person.* Quintò ipsis testamenti factio competit. Husanus *de Homnib. propr. cap. 6.* Naurath *d. n. 79.* Hoppius *in Vsu hodierno d.* §. 4. *Inst. de his, qui sunt sui vel alien. jur.* Strick. *d. tit.* §. 8.

In his tamen omnibus Statuta & Consuetudines locorum, quæ multùm circa hominum propriorum conditionem variant, inspici & observari debent. Vide omninò Stamm *d. cap. 17. n. 6. & seq.*

Quær. III. *An quis etiam per contractum se hominem proprium efficere possit?*

Resp. Affirmativè. Ita Husanus *de homnib. propr. cap. 5. n. 34.* Bonacossa *Tract. de Famulis quæst. 85.* Schneidwin *ad* §. *ult. Inst. de Jur. person. n. 7.* Gail. *de Arrest. Imp. cap. 6. n. 23. & cap. 7. n. 5.* Stamm *de Servit. person. lib. 3. cap. 12. n. 4.*

Prob. I. Jure Divino. Sic *Genes. 47. v. 15. & seq.* Ægyptii fame pressi primùm armenta & pecudes, deinde agros, & denique seipsos, quod aliter salvi esse non possent, in servitutem Pharaonis vendiderunt; cur igitur hodie ingenuus, libertate suâ salvâ, ad aliquarum

rum operarum præstationem sese obligare non posset?

Prob II. Jure Canonico per *cap. 8. de donat. & cap. 2. de supplend. neglig. Prælat. in 6.* ex quibus haud obscurè colligitur, quod quis alteri Jus subjectionis in se constituere possit.

Prob. III. Jure Civili per *l. 1. C. de Mendicant. valid.* ex qua apertè constat, quod pauperes aliunde, quo vivant, non habentes se in perpetuum ad operas obligare valeant.

Prob. IV. Ab exemplis: sic Vasalli nonnisi sub obligatione exhibendorum servitiorum Feuda accipiunt: Emphyteutæ sub annuo canone regulariter in perpetuum agros alienos colunt: Religionem profitentes libertatem suam in multis aggravant, & hæc omnia peraguntur licitè; ergo & idem in casu præsenti obtinere posse concedatur, oportet.

Quær. IV. *Quinam sint agricolationis sive Statûs hominum propriorum effectus?*

Resp. Potissimùm sequentes sunt:

1. Homo proprius omnia illa omittere debet, quæ quovis modo honorem, dignitatem, Statum & existimationem Domini lædunt, persona Domini siquidem Homini proprio, ut persona patroni liberto, semper

ſancta & honeſta eſſe debet. Huſanus *de hominib. propr. cap. 6. n. 4.* Stamm *d. lib. 3. cap. 18. n. 2.*

II. Homo proprius in Dominum doli mali, furti, injuriarum, aliamvè actionem famoſam intentare non poteſt, ſed detractâ fraudis mentione nudum duntaxat factum recenſere debet, idque ad exemplum liberti, ſubditi & vaſalli. Huſanus *d. cap. 6. n. 13. & ſeq.* Stamm *d. cap. 18. n. 2.*

III. Homo proprius rurſus adinſtar liberti *l. 10. ff. de Jur. patronat.* & vaſalli §. *Similiter 2. Feud. 33.* Dominum ſuum criminaliter deferre non poteſt. Huſanus *d. cap. 6. n. 17.* Stamm *d. cap. 18. n. 3.* niſi 1. ſuam, ſuorumque injuriam proſequatur *arg. l. 11. & ſeq. ff. de accuſat.* niſi 2. Sit crimen læſæ majeſtatis, ut ob cujus delicti enormitatem etiam filius contra Patrem ad accuſationem admittitur.

IV. Homo proprius notarius eſſe non poteſt per *Conſtitut. de Notar. Coloniæ de anno 1512. art. 1. §.* Erſtlich ordnen Wir 2.

V. Nec teſtem agere in teſtamentis condendis *d. Conſtit. de anno 1512. art. 2. §.* Die Form. 7.

VI. A judicandi munere arcetur Gallus *de Arreſt. Imperii cap. 8. n. 19.* Stamm *d. lib. 3. cap. 20. n. 5.* Cùm enim Homo proprius notarius

tarius esse non possit, multò minùs judicem agere valet, qui enim indignus est inferiore Ordine: indignior superiore esse solet. *l. 4. ff. de Senat.*

VII. Homo proprius invito Domino aliò domicilium transferre non potest. *arg. l. 2. & 14. C. de Agricol. & Censit.* Gail *d. cap.* 8. *n.* 13. & 14. Stamm *d. cap.* 20. *n.* 8. Non igitur Dominum suum deserere potest, nisi impetratâ priùs ab ipso manumissione, & certâ taxâ, quam vulgò Abzug / Abfuhrt / item Abschuß appellant, in compensationem perceptæ protectionis, & impetratæ dimissionis persolutâ, nisi aliud suadeat loci consuetudo. Stamm *d. cap.* 20. *n.* 8.

VIII. Homo proprius obligatur ad operas ab initio promissas præstandas. Husanus *d. cap.* 6. *n.* 48. *& seq.* Stamm *d. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 1. *& seq.*

IX. Tenetur Homo proprius Dominum evocantem sequi, & opem ei suppetias que ferre adversus ipsius inimicos ad similitudinem Beneficiarii sive Vasalli. Husanus *d. cap.* 6. *n.* 29.

X. Quibusdam in locis, ut in partibus Montisferati, Sabaudiæ, Pedemontium Consuetudine aut Statuto receptum est, ut Homo proprius absque liberis decedens tertiam partem bonorum ab intestato vel in te-

stamento Dominio relinquere debeat. In Hassia aliisque circumjacentibus locis, defunctâ muliere propriâ, dominus nonnisi melius vestimentum, &, Viro proprio mortuo, equum vel bovem meliorem, vigente sic consuetudine, sibi vindicat. Statuto verò, aut consuetudine ejusmodi non existente, dominus homini proprio nonnisi omnibus propinquis deficientibus ex capite unde Fiscus succedit, Stamm *d. lib. 3. cap. 22. n. 3. 4. & 7.*

XI. Potest dominus hominem suum servitia sua facere detrectantem moderatè castigare, sicut dominus servum, *l. un. C. de Emendat. servor.* Patronus libertum, *l. 11. §. 7. ff. de Injur.* Pater liberos, *l. un. Cod. de Emend. liber.* Maritus uxorem, *Novell. 117. cap. 14.* Abbas Monachum, *cap. 24. de Sent. excommunicat.* Magister discipulum, *l. 13. §. 4. ff. locat.* Husanus *d. Tractat. cap. 7. n. 3. & multis seq.*

XII. Potest dominus hominem suum ab alio detentum secundum Juris formam vindicare, *arg. l. pen. in pr. & §. ult. C. de Agricol. & Censit.* Gail. *de Arrest. Imp. cap. 8. n. 13. & seq.* Husanus *d. tract. cap. 8. n. 11.* Nisi aliud suadeat loci consuetudo, ita ut etiam absque domini consensu homo proprius, modò facta quædam præstet, solum vertere, ac in alterius

terius territorium migrare possit, uti potest in Hassia & Thuringia, modò relinquat tot vaccas, boves, oves, &c. quot tempore immigrationis accepit. Quæ capita dictis in locis appellantur eyserne Viehe / Hoffwährung / ꝛc. quasi quæ nunquam moriuntur propter substitutionem in locum deficientium, vide Wehnerum *in Observ. pract. voce* Eysern Vieh. Husanum *d. Tract. cap.* 8. *n.* 10. Erhard *de Oper. rust. conclus.* 30. *lit. D.*

SECTIO II.

De Civibus & Peregrinis.

Articulus Primus.

De Civibus.

Civis est qui gaudet Jure Civitatis.

§. I.

De Definitione Juris Civitatis.

DEfiniri potest Jus Civitatis, quod sit facultas utendi, fruendi commodis, privilegijs, & libertatibus Civitatis, ita Naurath *in Hypotyposi subdit. n.* 8.

§. II.

De Divisione Juris Civitatis.

DIviditur *I.* Jus Civitatis in universale, provinciale & speciale. Universale est, vi

cujus omnes illi Cives dicuntur, quos una & eadem Imperij Majestas sibi per omnes Imperii Regnive provincias subjectos habet. Provinciale, virtute cujus omnes illi Cives sunt, qui eidem superioritati territoriali obnoxii sunt. Speciale est, quod facit Civem alicujus Municipii, Vici, aut Communitatis, ubi quis colit Penates. Sic Civis Herbipolensis respectu universalis Civitatis est Civis Romanus: respectu territorii Civis Franconicus: respectu loci specialis Civis Herbipolensis, ita Besold *in Synopsi politices. cap. 15. n. 7.* Schilter *Exercit. 3. ad ff. §. 7.*

Dividitur *II.* Jus Civitatis in plenum & minùs plenum. Illud est, quando quis omnium Jurium, Dignitatum & Munerum publicorum partceps est: Hoc, quando quis tantùm inferiorum beneficiorum. Sic Patricii Veneti, Genuenses, & alii pleniores Cives sunt, quàm cæteri ibi habitantes, & civitatis tamen jure fruentes. Besold *d. cap. 15. n. 9.*

Dividitur *III.* Jus civitatis, quod aliud sit naturale, ut quod nativitas vera aut ficta tribuit: aliud adlectitium, scilicet eorum, qui aliunde ad civitatem accesserunt. Besold *dict. cap. 15. n. 11.*

§. III.

§. III.

De Causa efficiente Juris Civitatis.

CAusa efficiens Juris Civitatis duplex est, principalis & Instrumentalis.

Causa efficiens principalis Juris Civitatis sunt Jus hoc concedentes. Possunt autem illud concedere non tantùm Domini territoriales, sed & regulariter Magistratus municipales, etiam citra Jussum Domini Territorii. Gylmann *in Symphorem. tom. 5. Relat. 10.* Naurath *in Hypotyposi subdit. n. 5.*

Dixi regulariter hoc posse etiam Magistratus municipales. Nam vigore Aureæ Bullæ *cap. 9.* nonnisi ab Electoribus Judæi in Cives assumi potuerunt. Hodie tamen omnibus superioritate territoriali gaudentibus hæc recipiendi facultas concessa est per *Reformat. polit. de anno* 1548. *tit.* von Juden 20. & *de anno* 1577. *tit. eod.* adde Bœcler *in Notit. S. R. I. lib.* 10. *cap.* 2. Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Stat. Imp. cap.* 60. *n.* 2. Vitriarius *In Inst. Jur. publ. lib.* 3. *tit.* 17. *n.* 82. ibique Pfeffinger *in annotat. lit. A.*

Quær. *An illæsâ Conscientiâ Imperator, aut aliquis Statuum Imperii Judæos in cives assumere possit?*

IN hac politica quæstione

Multùm scinduntur studia in Contraria Docti.

Negativam tuentium motiva potissimùm hæc sunt:

I. Quia Judæi sunt blasphemi Christi *cap. 16. de Judæis.* Inimici crucis ejusdem *cap. 23. de testib.* perversæ doctrinæ Cultores, fideique nostræ salvificæ insultantes *l. fin. in pr. C. de Judæis.*

II. Quia Judæi juxta Innocentium III. *in cap. 13. de Judæis. in protectionem admissi illam retributionem suis receptatoribus exhibere solent, quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere.*

III. Prohibentur in numerum civium admitti Hæretici *l. 3. & 4. C. de Hæret.* potiùs igitur Judæi quovis hæretico perversiores à jure civitatis repelli debent.

IV. Quia Judæi immoderatis usuris & fœnoribus Christianorum sanguinem exugunt, subdolis suis machinationibus in commerciis suis facultates eorundem emungunt. Ut sileantur variæ in ruinam rerumpublicarum seditiones & turbationes, quas teste historiâ Judæi excitârunt. Unde rectè Cato apud Ciceronem *de Offic. 2.* interroganti, quid esset tolerare Judæos, respondit, *nil esse aliud, quàm Homines & Civem Romanum occidere, scilicet*

Ut dam-

Vt damno absque caper nunquam retinetur in horto
Sic nec Judæus sine damno in plebe fovetur

Arceatur igitur, exclamant, à Republica pessima & omni aspide nocentior bestia, Gens Judaica, quam natura tanquam Stercus evomuit, avaritia & fœnus tanquam monstrum suscepit, insanis cupiditas tanquam pestem multarum civitatum auxit & enutrivit.

Affirmantium partes rationibus hisce moventur:

I. Eoquod Jus civile *in l. 6. C. de Pagan.* prohibet, ne Judæis turbulentiam non tentantibus legibusque contrarium nil machinantibus violentæ manus inferantur. Et *l. 14. C. de Judæis* itidem vetatur, ne quis Judæorum, cùm sit innocens, obteratur, aut contumeliâ afficiatur.

II. Si Judæi inter Christianos quietè degere non possent, velut agmine facto ad portam Ottomannicam transirent, numerum Turcarum in immensum augerent, militares, aliasque eximias disciplinas eò transferrent, non absque magno Reipublicæ detrimento.

Tertiò Judæi Teste S. Augustino fidei nostræ apprimè utiles sunt, quia per eorum Codices alios infidelis convincimus, nec non

per eorum consortium eos Deo lucrari possumus.

Quartò Judæi vel ideo opprimi non debent, quia suo tempore revertentur in viam rectam juxta vaticinium Oseæ *cap. 3. v. 4. & 5. ibi: quia dies multos sedebunt filii Israel sine Rege & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephod, & sine Theraphim, & post hæc revertentur filii Israel, & quærent Dominum Deum suum* &c. Adstipulatur Prophetæ Sophonias *cap. 3. v. 13. & seq. Tunc Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua dolosa: quoniam ibi pascentur, & accubabunt, & non erit, qui exterreat. Tunc qui ejecti fuerunt, congregabuntur, nec amplius eis erit opprobrium.*

Et hæc sunt utriusque partis fundamenta. Quia verò præter rationes intrinsecas Judæis magna insuper patrocinatur authoritas extrinseca, existimamus probabiliùs, eos in civitatem admitti posse, & admissos tolerari debere.

Causa efficiens instrumentalis, sive, ut loquuntur Philosophi, causa ut quo, sunt modi, quibus acquiritur Jus Civitatis

Acquiritur autem I. Jus Civitatis per nativitatem vel veram vel fictam.

Per nativitatem veram, si quis scilicet nasci-

scitur in civitate, ubi pater ejusdem est civis. *l.* 1. §. 2 *ff. ad Municipal. & de Incol.* non sufficit mater *d. l.* 1. §. 2. *ff. ad Municipal.* nisi quis legitimum patrem non habeat. *l.* 9. *ff. ad Municipal. l.* 24. *ff. de Stat. hom.* aut filius sit apud hostes conceptus. *l.* 1. *C. de postlim. revers.* aut in casu *d. l.* 1. §. 2. *ff. ad Municipal.* Item *l.* 22. 29. 61. *&* 62. *C. de Decur.*

Per nativitatem fictam acquiritur Jus Civitatis 1. Adoptione, ita ut adoptatus efficiatur municeps illius civitatis, ubi pater adoptivus civis est *l.* 1. *pr. l.* 15. §. *fin. ff. ad Municipal. l.* 17. §. 9. *ff. Eod. l.* 7. *C. de Adopt.* 2. Manumissione, nam manumissus civis fit, ubi patronus est, *l.* 1. *pr. & l.* 22. *pr. ff. ad Municipal.*

Acquiritur 2. Jus civitatis per assumptionem seu allectionem *l.* 7. *C. de Incol.* ut autem aliquis legitimè in civem assumatur, requiritur 1. diligens inquisitio in civis assumendi originem, vitam, mores, fortunas & media sustentandi. *Novell.* 80. *cap.* 1. *&* 5. Wehner *in observat. pract. voce* Nachsteuer. Eichmann *in Dissert. de Jure detract. & emigrat. membro* 2. *Conclus.* 1. 2. Solutio certæ pecuniæ Struvius *in Syntagm. Jur. Civil. Exercit. ult. th.* 51. Eichmann *d. membro* 2. *conclus.* 3. Juramenti præstatio, quo obsequium Magistratui, & salutis publicæ observationem promittit

Eich-

Eichmann & Struvius *dictis locis*. His præstitis albo & matriculæ civitatis inscribitur.

§. IV.

De Subjecto Juris Civitatis.

SUbjectum Juris Civitatis sunt Cives. Possunt autem esse Cives, qui in specie non prohibentur.

Prohibentur autem 1. infames Struvius *d. Ex. ult. th.* 50. 2. Hæretici *arg. l.* 3. & 4. *C. de Hæret.* 3. Banniti *Ordinat. Cam. part.* 2. *tit.* 10. §. 1. 4. Aliorum Dominorum Cives & subditi, antequam abillis dimissi fuerint, *A. B. cap.* 16.

§. V.

De Forma Juris Civitatis.

FOrma Juris civitatis stat in differentia specifica, per quam differt civis ab incola & peregrino.

Differt autem 1. Civis ab incola, quod Civis in civitate, ubi degit suffragiorum & honorum sit particeps, ac munera civilia subeat. Struvius *d. Ex. ult. th.* 48.

Incola autem, qui in civitate quidem domicilium constituit & ad munera publica ferenda obligatus est, non etiam Jus suffragii & honoris est consecutus. *l.* 29. *ff. ad Municipal. l.* 239. §. 2. *ff. de V. S.*

pal.

A peregrino differt civis, quod ille nec domicilium in loco, ubi moratur, constituerit, nedum Jus suffragii & honoris obtinuerit.

§. VI.

De Effectu Juris Civitatis.

EFfectus hujus Juris est, quod Civis Jure suffragiorum & honorum suæ civitatis fruatur, & pariter muneribus civilibus subeundis obnoxius sit.

§. VII.

De Contrariis Juris Civitatis.

COntraria Juris Civitatis sunt modi, quibus amittitur.

Amittitur autem 1. Jus Civitatis adoptione quæsitum per emancipationem, *l.* 16 *ff. ad Municipal.*

Amittitur 2. Jus Civitatis per assumptionem acquisitum resignatione dominis etiam invitis facta, modo renuntiatio non malitiosè fiat, *arg. l.* 34. *ff. ad Municipal.* Gail 2. *obs.* 36. *n.* 4 jung. Grotius *de Jur. Bell & Pac. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 24. Jus Civitatis originarium Jure Romano est immutabile, *l.* 4. *C. de Municip. l.* 6. *pr: ff. ad Municipal.* Hodie verò ex generali Germaniæ consuetudine translatione domicilij id amittitur, Gail. 2. *obs.* 36. *n.* 7. Solet tamen ab emigrantibus plerumque Census,

sus, germ: Abzug / Abschoß / Abfahrt / Nachsteuer exigi, cujus quantitas pro locorum consuetudine variat, Wehner *in Obser. pract.* voce Nachsteuer. Arumæus ad *A. B. disc. 6. th. 13.* Eichmann *in Dissert. de Emigrat. & detract. membro. 1. concluſ. 24.* Schaz *in Colleg. Lauterbach. tit. ad Municipal.*

Quær. *An Princeps licitè aliquid ab Emigrantium bonis detrahere queat?*

Resp. Affirmativè. Ita Arumæus *d. Discurs. 6. th. 13.* Gail. *2. obs. 36. n. 10.* Eichmann *de Iur. detract. & emigrat. membro 1. concluſ. 2. lit. D.* Brandes *de Emigrat. & Detract. n. 19.*

Et hoc ex duplici ratione: *Primò*, quia Principi competit dominium altum & eminens in bona subditorum, cui dominio gratis cedere, & invitus privari non debet. *Secundò*, Emigrans fortaſſis totius suæ vitæ spatio privilegiis, subsidiis, & protectione prioris domini gaviſus est, *Cùm igitur*, ut pulchrè Seneca, *omnium somnos Principis vigilantia, omnium otium istius labor, omnium delicias illius industria, omnium denique vacationes ipsius sola defendat occupatio.* Æquissimum etiam est, ut aliò domicilium transferens, resque suas secum exportans in defensionis redhostimentum laborumq; compen-

pensationem domino aliquid relinquat. *Tertiò* amittitur Jus Civitatis deportatione, §. 2. *Instit. de Cap. diminut.*

Quær. I. *An etiam Banno Imperiali?*

Antequam respondeam:

PRæmitto 1. Bannum describi posse, quòd sit pœna capitalis, quâ damnati vita & bona omnium offensioni exponuntur, ita ut à nemine in clientelam fidemve recipi possit.

Præmitto *II.* Bannum aliud esse universale seu superius, aliud particulare seu inferius. Prius ab Imperatore vel à Camera Imperiali decernitur, ita tamen, ut solus Imperator inconsultis reliquis Ordinibus, vel minimùm Electoribus non possit Statum Imperij proscribere, *Capitul. Leopold. art.* 28. & *Ioseph. art.* 27. Posterius à Judicio Rothweilensi in quatuor Imperij Circulis Jurisdictionem exercente, vel à Statu Imperij in suo territorio, ultra quod ejus effectus se non extendit, infligitur. His prænotatis:

RESP. Affirmativè. Cùm enim banni fulmine perculsi teste Gailio *de Pac. publ. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 25. omnia humanitatis Jura, officiorumque vicissitudines & commercia amittant, sint extra protectionem, clientelam, & fidem Imperij, & pro hostibus, transfugis,

fugis, & rebellibus habeantur, quos nemo urbe, domo, hospitio, mensâve recipere potest, quibus tellus, pontusque negatur, sicque longè deterioris sint conditionis, quàm deportati, ut qui etiam ea, quæ Juris Gentium sunt, amittant, non etiam deportati, *l. 17. ff. de Pœn.* absque dubio Jura Civitatis amittunt, Gail *d. lib: 2. cap. 1 n. 25.* Stamm *de Servit. personat lib. 1. tit. 3. cap. 4. n. 3.* Strickius *in Vsu mod. ff. tit. de Cap. minut.* §. 8. & quidem jura Civitatis universalis si ab Imperatore banniuntur; Jura Civitatis provincialis, si à Judicio Rothweilensi, vel Principibus Imperij. Stamm *d. lib. 1. tit. 3. cap. 2. n. 16. & 23.* Strickius *d. tit.* §. 8.

Quær. II. *Quid dicendum de Fustigatis cum perpetua relegatione.*

R*Esp.* Cùm & hi teste Strickio *d. tit.* §. 9. Hoppio *in Vsu hodierno.* §. *Instit. de Cap. diminut.* passim deportatis comparentur, asserendum est, hos quoque amittere Jura Civitatis, vel Provinciæ, ex qua cum fustigatione dimissi sunt.

Articulus Secundus.

De Peregrinis.

PEregrini sunt, qui non gaudent Jure Civita-

vitatis. Sicut autem Jus civitatis triplex statuimus, scilicet universale, provinciale, & speciale; Sic & triplicis generis Peregrini occurrunt, scilicet Peregrini peregrinitate, ut ita loquar, universali, provinciali, & speciali.

Peregrini primi generis sunt Angli, Galli, Hispani, Poloni, alijque Imperio nostro non parentes. His tamen *per Auth Omnes peregrini. C. commun. de Succeſſ.* pars Juris Civitatis concessa fuit, ita ut testamenta condere possint, eorum bona, si ab intestato decedunt, proximis Consanguineis, ubicunque morentur, restitui debeant, &c.

Secundi generis sunt omnes, qui non ejusdem territorij & juris provincialis communione fruuntur.

Peregrini denique tertij generis sunt omnes, qui, licet habitent in eodem territorio, tamen sunt diversi Municipij & fori domicilij. Confer Besold *in Synopſ. polit. cap. 15. n. 7. 9. & 11.* Schilter *Exerc. ad ff. 3. §. 7.*

SECTIO III.

DE PATRIBUSFAMILIAS ET FILIISFAMILIAS.

DEfinitur Paterfamilias, quòd sit homo liber sui juris; Filiusfamilias, quòd sit

homo liber potestati patriæ subjectus, *l. 4. ff. de His, qui sunt sui vel alien. jur. l. 195. § 2. ff. de V. S.*

De filijsfamilias ita jus est, quòd de Jure Civili nequeant validè contrahere nuptias sine consensu parentis, *l. 2. 3. 16. §. 1. & l. 18. ff. de Ritu nupt.* Bene tamen de Jure Divino, Naturali & Canonico, *Concil. Trident. Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1.* Quòd non possint testari de Peculio adventitio extraordinario, *l. pen. C. Qui testam. fac. poss.* quòd in publicis negotiis habeantur pro Patribusfamil. *l. 9. ff. de His, qui sunt sui vel alien. jur.* quòd in Bonis Castrensibus vel quasi itidem habeantur pro Patribusfamil. *l. 2. ff. ad SCtum Macedon.* quòd ex omnibus ferè causis obligentur, æquè ac Patresfam. indeque conveniri possint, *l. 39. ff. de Obligat. & Act.* excepto Contractu mutui, ex quo ob SCtum Macedonianum efficaciter non obligantur, *tot. tit. ff. & C. ad SCtum Maced. &c. &c.*

Cùm igitur, ut diximus, filiusfamilias sit ille, qui est subjectus patriæ potestati, hinc sequitur

DIS-

DISSERTATIO V.

De Patria potestate.

§. I.

De Definitione Patriæ potestatis.

DEfinitur patria Potestas, quòd sit potestas regendi liberos, eorumque actiones in communem familiæ utilitatem. Struvius *in Syntagm. Jur. Civil. Exer.* 3. *th.* 36.

§. II.

De Causa efficiente patriæ Potestatis.

CAusa efficiens patriæ Potestatis duplex est, Remota & Proxima.

Causa efficiens remota est Jus. Sed

Quær. *Quale?*

R. *Esp.* & Naturale, & Gentium, & Civile.

Jus Naturale, si Liberi adhuc sint imperfecti judicij, ut sibi ipsis non sufficiant; æquum enim est, ut, qui se regere non possunt, reganturaliunde. Aeschyli dictum est

- - ætas prima, ceu brutum pecus,
Vt educetur, mentis aliena indiget.

Jam verò naturaliter inveniri non potest, cui regimen in Liberos magis competat, quàm Patri; tum quia qui dat formam, dare quoque debet ad formam necessaria, juxta Philosophum: Cùm igitur Pater causa sit, cur Liberi existant, is quoque, quantum necesse est, quantumque potest, prospicere debet Liberis de his, quæ ad humanam, id est, naturalem, socialemque vitam, ad quam nati sunt; requiruntur; tum quia Pater ob contractam ex generatione amicitiam tenerrimo liberos affectu, quo major non datur, *l. ult. in pr. ff. de Curat. furios.* complectitur; tum denique, quia liberi nulli facilius obediunt, quàm Parenti, cùm sciant, jussa ejus ex amore proficisci, Grotius *de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 5. §. 2. n. 1.* Pufendorff *de Jur. Nat. & Gent. lib. 6. cap. 2. §. 6. & 7.*

Jus Gentium impropriè tale, quatenus Pater liberis, quorum judicium jam maturuit, Regis adinstar imperare, eorumque actiones in communem familiæ utilitatem dirigere potest, Grotius *d. lib. 2. cap. 5. §. 1. n 2.*

Jus Civile, quatenus ea consideratur in ordine ad certos effectus à Jure Civili introductos, §. 2. *Instit. de patr. potest.* Grotius *d. lib. 2. cap. 5. §. 7.* Hoppius *in Comment. Instit. ad §. 2. Instit. de Patr. potest.* Homborg *in Prælect. Acad. ad Instit. tit. de Patr. potest, §. 2.*

Causa

Causa efficiens proxima sunt modi, quibus inducitur Patria potestas. Inducitur autem *primò* justis nuptiis, *pr. Instit. de patr. potest. Secundò* Legitimatione, §. *ult. Instit. de Nupt. Tertiò* Adoptione, *tot. tit. Instit. ff & Cod. de Adopt.* De quibus omnibus mox sigillatim.

§. III.

De Subjecto patriæ potestatis.

SUbjectum Patriæ potestatis, inspecto Jure Naturali & Gentium, est principaliter Pater, minùs principaliter Mater; quamdiu liberi sunt pars familiæ, qui enim ex bonis parentum vult sustentari, ac in ea deinceps succedere, debet quoque & Naturali & Gentiũ suadente Jure actiones suas ad rationes parentum attemperare. Pufendorff *in Jurisp. Element. lib. 6, cap. 2. quæst. 4.*

Subjectum patriæ potestatis, spectato Jure Civili, est supremus ascendentium masculus.

Dixi 1. *supremus ascendentium*: quia vivente avo pater filium in potestate non habet, sed avus §. *ult. Inst. de patr. potest.* cùm enim pater ipse remaneat in potestate avi, filium in suâ potestate habere non potest *l.* 21. *ff. ad Leg. Jul. de adult.* sed cùm hodie liberi per nuptias, & separatam oeconomiam à patria potestate liberantur, ut mox dicemus, nepos

& pronepos non ampliùs in avi & proavi, sed patrum suorum potestate nascuntur. Simon Van Lewen *in Censur. forens. lib. 1. cap. 9. n. 3.* Hoppius *in Vsu hodierno §. ult. Inst. de patr. potest.*

Dixi 2. Superstes masculus. Fœminæ enim liberos in patria potestate non habent. §. 10. *Inst. de Adopt.* Cùm patria potestas sit officium Juris Civilis. §. 1. *Inst. de patr. potest.* à cujusmodi muneribus fœminæ penitùs arcentur *l. 2 ff. de Reg. Jur.*

§. IV.

De Objecto patriæ potestatis.

OBjectum patriæ potestatis sunt liberi in patria Potestate constituti, non tantùm primi, sed & ulterioris gradus, si filius, à quo ulteriores nati sunt, in patria potestate existat. *d. §. ult. Inst. de patr. potest.*

Cùm autem hodie, ut paulò post dicemus, ex generali totius ferè Europæ consuetudine initis nuptiis liberi tacitè emancipentur, nepotes non ampliùs in avi, sed patris potestate nascuntur. Simon Van Lewen & Hoppius *locis mox allegatis.*

§. V.

De Forma patriæ potestatis.

FOrma patriæ potestatis stat in differentia spe-

ſpecificâ, quâ diſtinguitur à poteſtatibus aliis, diſtinguitur autem in eo, quod hæc poteſtas eò tendat, ut actiones filii principaliter in propriam familiæ, & minùs principaliter in ipſius filii utilitatem dirigantur.

§. VI.

De Effectu patriæ poteſtatis.

Effectus patriæ poteſtatis in Ordine ad Jus Naturale ſpectatæ eſt, quod parentes ea omnia liberis imperare poſſint, quæ ad ipſorum congruam educationem conducunt.

Patria poteſtas ad Jus Gentium examinata eſt quaſi regia, adeoque ad ea omnia extenditur, quæ ad rectam familiæ gubernationem pertinent.

Ad Jus Civile eadem poteſtas conſiderata varios operatur effectus.

Primus eſt, quod olim pater Jus vitæ & necis in liberos causâ cognitâ habuerit *l. ult. C. de patr. poteſt. l.* 11. *in fin. ff. de lib. & poſthum.* ſed cùm patria poteſtas non in atrocitate, ſed pietate conſiſtere debeat *l.* 5. *in fin ff. de Lege Pompeia de parricid.* meritò Jus hoc abolitum fuit per *l. un. C. de his, qui parentes vel liberos occiderunt.* Moderatâ parentibus in liberos animadvertendi facultate relictâ.

Quær. I. *An pater Princeps Imperii hodie, si non vi patriæ potestatis, saltem vigore superioritatis territorialis jurisdictionem civilem in liberos exercere possit?*

R*Esp.* Negativè. Ita Betsius *de Pact. famil. illust. cap.* 8. *pag. mihi* 434. 435. 436. & 437 Besold *apud Harprecht* §. 4. *Inst. de Testam.* Schubart *de Austreg. conclus.* 3 *lit. H.* Myler ab Ehrenbach *in Gamolog. person. illustr. cap.* 22. *n.* 2. *& seq.* ac *de Princ. & Stat. Imp. cap.* 35. *n.* 4.

Prob. Liberi Imperii Principum in pari dignitatis gradu cum parentibus constituti, non minùs, quàm patres Principes aut Comites Imperii sunt, ac nominantur, tam patribus viventibus, quàm defunctis. *arg. l.* 1. *& ult. C. de Dignitat.* Paschalis *de viribus patriæ potestat. part.* 4. *cap.* 1. *n.* 52. *& seq.* Myler ab Ehrenbach *in Gamolog. cap.* 20. *n.* 1. *& seq.* quæ illustris dignitatis qualitas toti progeniei ducali inhæret, und hanget allen denen auß die von Fürstl: Stammen gebohren seynd. Betsius *de Pact. famil. illustr. d. cap.* 8. Myler *in Gamolog. cap.* 22. *n.* 2. Præcipuè cùm in Imperio Romano-Germanico filii illustres immediati non ultimo defuncto, sed primò acquirenti succedant. *Arg. princ. de alienat. feud.*

feud. paterm. 2. *feud.* 39. Myler *in Gamolog. d. cap.* 22. *n.* 3. Sicut igitur juxta Ulpianum in *l.* 13. §. 4. *ad SCtum Trebellianum.* Prætor in Prætorem, aut Consul in Consulem nullum habet imperium: ita nec Princeps Pater in Principem filium jurisdictionem exercere potest. Si proinde subditus patris, aut alius extraneus filium Principem ex contractu, aut aliquo alio negotio convenire velit, non tribunal Patris, sed vel Consilium Aulicum Viennense, vel Cameram Imperialem, vel alias privilegiatas instantias adire, ibique filium Principem convenire debebit.

Quær. II. *An Pater Princeps Imperii nec filium delinquentem pœnâ aliquâ præsertim corporali afficere possit?*

R *Esp.* Negativè. Ita Betsius *de Pact. famil. illust. d. cap.* 8. Berlichius *practic. concluf. part.* 1. *concluf.* 2. *n.* 20. *& seq.* Myler *in Gamolog. d. cap.* 22. *n.* 9. *& seq.* ac *de Princ. & Stat. Imp. cap.* 35. *n.* 6.

Prob. I. Par in parem nullam habet Jurisdictionem, nullamvè coercitionem *l.* 4. *ff. de Recept. qui arbitr.* id quod etiam in causis criminalibus obtinet *l.* 27. §. 1. *ff. de pœn.* atqui liberi Principum Imperii in dignitate & honore patri suo pares existunt, uti præter

mox breviter probata, latè deducit Mylet *in Camolog. cap.* 20. igitur filius illustris æque, ac Pater Princeps, forum in criminalibus exemptum habebit.

Prob. 2. Liberi Imperii Principum ratione qualitatis feudalis in ipso investituræ actu à Jurisdictione paterna propter dignitatem illustrem exempti sunt, cùm non sint de populo, de quo tantùm Dominus territorii investitur. Id quod tantò verius est, eoquòd ipsi filii tanquam successores futuri feudi aviti & titulati per Imperatorem Romano-Germanicum in ipso investituræ actu, in verbis: für sich und seine Leibs-Erben / comprehendantur: de superioritate territoriali unà cum jurisdictione criminali & annexis actibus cum Principe Patre simul investiantur, ac in Ducatûs aut Comitatûs quasi possessionem unà cum patre, si non ipso actu, tamen potentiâ, in casum mortis auf einen ledigen Zufall constituantur. Betsius *d. Tract. cap.* 8.

Prob. 3. Ipsa ratio naturalis non tantũ Christianis, sed & Ethnicis, cunctisq; mortalium indidit, ut liberos propenso amore & benigno affectu prosequantur, eosque quovis modo protegant. Audiamus prudentissimum Consulem Romanum: *magna*, inquit, *oportet esse vitia, atque peccata filii, quibus incensus parens poterit in animum inducere, ut ipsam naturam*

turam violaret, ut amorem illi penitus insitum eijceret ex animo, ut denique se patrem esse oblivisceretur: nam si inimicorum delicta toleramus, quid mirum est, etiam filiorum. Cicero *in Orat. pro Roscio Amerino.* unde passim in historiis carpitur Philippus II. Hispanorum Rex, quod Anno 1568. Carolum filium suum unicum, tot Regnorum Hæredem, paucorum inquisitorum judicio capitali pœnæ submiserit. Vide Thuanum *Historiar. lib.* 43.

Effectus patriæ potestatis 2. est, quod pater gravi egestate pressus, liberos in sua potestate constitutos vendere possit *l.* 2. *C. de patrib. qui filios distrax.* verùm hic effectus hodie cessat, partim quod servitus inter Christianos exulet, filius autem venditus fieret servus emptoris, partim quod Magistratus ex officio teneatur succurere egenti patri. Struvius *in Syntag. Jur. Civil. Exercit.* 3. *th.* 28. Hoppius *in Vsu hod.* §. 2. *Inst. de patr. potest.*

Effectus 3. est, quod Pater filio impuberi in testamento tutorem constituere possit §. 3. *Inst. de Tutel.*

Effectus 4. est, quod possit pater filio pupillariter substituere. *t. t. Inst. ff. & C. de pupill. substitut.*

Effectus 5. est, quod pater ratione filii abducti experiri possit interdicto de liberis exhibendis *t. t. ff. & C. de Lib. exhibend.*

Effe-

Effectus 6. est, quod pater jus habeat præscribendi sententiam judici, quam ipse filio immorigero dictare debeat. *l. 3. C. de his, qui sunt sui vel alien. jur.* sed & hic Effectus hodie cessat, ne scilicet pater irâ commotus, justo rigidiùs quid statuat in liberos. Carpzovius *in pract. criminal. part. 2. quæst. 100. n. 35.*

Effectus 7. est, quod pater injuriam filiofam. illatam, etiam filio invito remittere possit, si scilicet agitur civiliter *l. 17. §. 12. & 13. ff. de Injur.* non etiam si criminaliter ex Lege Cornelia *l. 5. §. 6. ff. de injur.*

Effectus 8. est, quod filius sine consensu patris non habeat legitimam personam standi in judicio. Quod tamen quo sensu exaudiendum sit, vide distinctè explicantē D. D. Franz *in Prodrom. Justinian. lib. 1. tit. 9. §. 7 n. 19.*

Effectus 9. est, quod filius acquirat patri, & olim quidem adinstar servi omnia indistinctè. Progrediente tamen tempore peculiorum distinctio introducta est, & statutum, ut pater in peculio profectitio plenum dominium, in adventitio regulari tantùm usumfructum haberet; in adventitio irregulari verò, castrensi, & quasi castrensi totum Jus esset filii §. 1. *Inst. per quas person. cuig. acquir. l. 6. C. de Bon. quæ liber. Novell. 117. c. 1.*

Et hæc quoad peculium adventitium ordinarium de Jure Civili scripto.

Ho-

Hodiè circa peculium hoc multùm variant locorum Statuta & consuetudines, ut videre est apud Carpzovium *in Jurisprud. forens. part. 2. Constit. 10. Defin. 7. &* 8. Simonem Van Lewen *in Censur. forens. lib* 1. *cap.* 9. *n.* 7. *&* 8. Strickium *in Vsu modern. ff. tit. de his, qui sunt sui vel alien. jur.* § 5. Hoppium *in Vsu hodierno* § 1. *Inst. per quas personas cuiq; acquir.*

Jure provinciali Franconico non solùm patri, sed & matri conceditur ususfructus in bonis adventitiis filiorum, sed solùm ad tempus emancipationis, quo scilicet liberi vel per matrimonium, vel receptionem legitimæ, aliove modo separantur à mensa paterna. Kayserl. Landt-Gerichts-Ordnung deß Hertzogthumbs Francken *part.* 3. *tit.* 39. §. 9. *&* 10. *& tit.* 118. § 5.

Effectus 10. est, quod patri liceat occidere adulterum cum filia in flagranti deprehensum, modò incontinenti & domi suæ interficiat *l* 22. § 2. *l.* 23. *pr ff. ad Leg. Jul. de adult.* & hoc quidem obtinet inspecto foro fori non etiam poli *arg. Can.* 6. *&* 9. *caus* 33. *quæst.* 2. addantur ea, quæ tradit Lessius *de J. & J. lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 5. Laymann *in Theolog. moral. lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 2. *n.* 4. D. D. König *lib.* 5. *Decretal. de Adult. part.* 1. § 9. *n.* 14. D. D. Franz *in Prodrom. Justin. lib* 1. *tit.* 9. *n.* 17.

Quær.

Quær. *An patria potestas secundum Jus Civile spectata adhuc in usu sit?*

Resp. Licet multi sint, qui contendant Jus patriæ potestatis, quatenus Romanis peculiare fuit, in desuetudinem abiisse, id tamen non de omnibus patriæ potestatis effectibus, sed de uno alterovè tantùm intelligendum est, ut speciatim in effectu t. 2. 6. 9. & 10. annotavimus. Cæteri ferè omnes adhuc in viridi sunt observantia. Confer Simonem Van Lewen *in Censur. forens. lib. 1. cap. 9. n. 2.* Strickium *in usu mod ff. tit. de his, qui sunt sui vel alien. jur. §. 3.* Hoppium *in Vsu hodierno §. 2. Inst. de patr. potest.* & hoc non tantùm inter privatos, sed & ipsos Imperii Principes obtinere vel ex eo patet, quod Carolus V. Joannem Fridericum Electorem Saxoniæ pristinæ libertati restituendo, eidem expressè patriam in liberos potestatem reddiderit, ut ex Hortledero refert D. Rhetius *in Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 20. §. 1.*

§. VII.

De Contrariis patriæ potestatis.

Contraria Patriæ potestatis sunt modi, quibus ea rursus solvitur.

Solvitur autem *primò* Emancipatione.

De-

Definitur Emancipatio, quòd sit actus, quo filius à Patre è potestate dimittitur.

Dividitur in Legitimam & Imperatoriam. Legitima est, quæ ex *LL. 12. Tabb.* descendens per imaginarias venditiones celebrabatur. Cùm autem vanæ hæ Emancipationis solennitates per *l. ult. C. de Emancip. lib.* sublatæ sint, non est, cur his recensendis multùm immoremur. Imperatoria est vel Anastasiana, vel Justinianea. Anastasiana est, quando quis consentiens ex rescripto Principis coram competente Magistratu patriâ potestate liberatur, *l. penult. & ult. C. de Emancipat. lib.* Justinianea, quando quis volens absque rescripto Principis coram competente Magistratu è sacris paternis dimittitur, §. 6. *Instit. quib. mod. solvit. patr. potest.* Ratior quidem nunc est hæc judicialis Emancipatio, non tamen planè ab usu recessit, frequentissima autem Emancipatio tacita, vi cujus ex generali totius ferè Europæ consuetudine liberi è patria potestate dimissi censentur, si expressè consentiente vel permittente patre separatam oeconomiam instituerint, wañ sie sich mit Anstellung ihrer eigenen Haußhaltung und Nahrung geschieden / vel matrimonio legitimè contracto suas sibi res seorsim gerant. Harprecht *ad* §. 7. *Inst. de patr. potest. n.* 7. Schulzen *in Synops. Instit*

sit. tit. quib. mod. solv. patr. potest. lit. D. Simon Van Lewen *in Censur. forens lib. 1. cap 9. n. 9. & seq.* Strickius *in usu mod. ff. tit de Adopt. §. 19. & 22.* Hoppius *in usu hodierno §. 6. Instit. quib. mod. solv. patr. potest.*

Solvitur II. Morte naturali vel ejus, qui in potestate est, vel ejus, qui in potestate habet, mors enim omnia solvit *Novell. 22. cap. 20.* patris quidem omnimodo, avi verò ita demùm, si eo mortuo nepos in potestatem patris recasurus non est *pr. Inst quib. mod solv. pat potest.* hodie cùm liberi per contractas nuptias non amplius in avi, sed patris potestate existant, non amplius ad avi mortem respiciendum est, sed patris, quo defuncto nepotes omninò sui juris efficiuntur. Hoppius *in Usu hodierno §. 1. Inst. quib. mod. solv. patr. potest.*

Solvitur III. Patria potestas morte civili. contingit autē mors civilis 1. servitute pœnæ §. 3. *Instit. Quib mod. solvit. patr. potest.* Moribus hodiernis, cùm sublata sit omnis servitus, per alibi dicta, hac ratione non amplius amittitur patria potestas, Schulzen *dict. tit. Quib. mod. solvit. patr. potest. §. 3 lit. B.* Contingit mors civilis 2. Deportatione, §. 1. *Institut. Quib. mod. solvit. patr. potest.* Hodie Banno Imperiali, imò & perpetuâ relegationē

one cum fustigatione, cùm & hæc deportationi passim comparetur per alibi dicta.

Solvitur IV. patria potestas, si aut pater aut filius Religionem approbatam profiteatur. Per patriam potestatem enim ex motivo naturali diriguntur actiones filii in bonum tum patris, tum filij, per potestatem Abbatialem verò ex motivo supernaturali diriguntur actiones religiosi in bonum religiosi. Cùm igitur hæ duæ potestates ad fines planè diversos tendant, simul stare non possunt, adeoque si posterior superveniat, prior extinguatur necesse est. Id quod tamen eatenùs verum est, quatenus patria potestas Religioni præjudicat, non etiam quatenus ei prodest, ne, quod in commodum religionis introductum est, detorqueatur in ejus detrimentum contra *l.* 6. *C. de LL. & cap.* 61. *de Reg. Jur. in* 6.

Solvitur V. Patria potestas dignitate & re quidem dignitate patriciatûs §. 4. *Inst. quib. mod solv. patr. potest.* liberabantur itaque à patria potestate patricii, per quos Consiliarii Principum intelligebantur, quia inconveniens videbatur, Consiliarios istos, qui ab Imperatoribus veluti patres honorabantur, alieno juri subjectos esse. Hodie immutatâ Reipublicæ facie præter Consiliarios Imperatoris, & Cameræ Imperialis Assessores,

idem de Electorum, Principum, liberarumque Civitatum Consiliarijs dici potest, quòd scilicet per suam dignitatem patriâ potestate eximantur, eoquòd quilibet Imperij Status in territorio suo eandem vim & potestatem habere dicatur, quam Imperator in Imperio, Harprecht ad § 4. *Instit. Quib. mod. solvit patr. potest. n.* 2. Schulzen *in Synopsi Instit. tit. eod §.* 4. *lit. C.* Simon van Lewen *in Censur forens. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 17. Strickius *in Vsu mod. ff tit de Adopt. §.* 24.

Secundò Dignitate Episcopali, *Novell.* 81. *cap.* 3. *Novell.* 123. *cap.* 4. *in fin.* Quia indecens videbatur, illos, qui omnium spirituales Patres & Pastores existunt, sub aliorum potestate consistere.

Tertiò Omni dignitate: quæ liberat ab oneribus curiæ. *Nov.* 81. *cap.* 1. §. 1.

VI. Minùs plenè solvitur patria potestas per adoptionem, si scilicet filius ab avo paterno vel materno adoptatur: tunc enim respectu patris solvitur, respectu avi verò ob concursum & Naturalis & Civilis vinculi alia potestas patria inducitur §. 8. *Inst. quib. mod. solv. patr. potest.*

VII. Non tam solvitur, quam suspenditur patria potestas captivitate ob jus postliminii, vi cujus captivi reversi omnia jura pristina recipiunt. §. 5. *Inst. d. tit.*

Ho-

Hodie cùm Christiani etiam à Turcis aliisq; infidelibus capti non ampliùs à nobis reputentur pro servis per deducta superiùs, cuncta, quæ ante captivitatem habuêre, jura, adeoque & Jus patriæ potestatis retinent. Schilter *ad ff. Ex. 3. th. 2. & 3.* Hoppius *in Vsu hodierno §. 5. Inst. quib. mod. solv. patr. potest.*,

Et hæc de patria potestate, sequuntur modi, quibus inducitur patria potestas, & primò quidem de matrimonio sive nuptiis tanquam primario patriæ potestatis inducendæ modo. K

DISSERTATIO VI.
De NUPTIIS sive MATRIMONIO.

SECTIO I.
De Definitione, Divisione, Causa efficiente, objecto, & forma matrimonii.

§. I.
De Definitione matrimonij.

MAtrimonium duobus potissimùm modis accipitur 1. Pro conventione matrimoniali. 2. Pro conventionis illius effectu, id est vinculo matrimoniali.

In priori acceptione definitur matrimonium, quod sit conventio, quâ mas & fœmina sibi invicem Jus dant in corpora ad usum humanæ generationis. D. D. Gletle *in methodico compendio Instit. lib. 1. tit:* 10. *n.* 8.

In posteriore acceptione describitur matrimonium, quod sit maris & fœminæ conjun-

junctio individuam vitæ consuetudinem continens §. 1. *Instit. de patr. potest. cap.* 11. *de præsumpt.*

§. II.

De Divisione matrimonii.

Dividitur matrimonium in legitimum, ratum, & consummatum.

Legitimum est, quod inter personas non impeditas legitimo consensu contrahitur, sed tamen absque ratione Sacramenti, cujusmodi fuit olim in Lege naturæ, ac Mosaica, & hodie est apud Judæos & infideles *cap. 7. de Divort.*

Ratum est, quod charactere Sacramenti signatum est, nondum tamen secutâ copulâ carnali, quale inter fideles est, non etiam infideles ob defectum Baptismi, qui velut janua reliquorum Sacramentorum est *d. cap. 7. de Divort.*

Consummatum est, quod subsecutâ copulâ carnali per se aptâ ad generationem prolis executioni demandatum est.

Dividitur 2. Matrimonium in verum & putativum.

Verum est, quod inter personas ad contrahendum habiles cum omnibus requisitis solennitatibus initum est.

Putativum est, quod de facto quidem bo-

nâ fide in facie Ecclesiæ contractum est, sed ob latens aliquod impedimentum iuris non subsistit.

Inter species matrimonii à feudistis atque politicis refertur matrimonium ad Morganaticam sive Lege Salicâ contractum. De hoc

Quær. I. *Quid sit hoc matrimonium?*

R*Esp.* Matrimonium ad Morganaticam sive Lege Salicâ contractum, Germ. Vermählung zur lincken Hand, est conjunctio viri illustris cum fœmina inferioris conditionis eo pacto inita, ut uxor & liberi inde nati, dono nuptiali, vel aliâ certâ portione tempore sponsalium determinatâ sint contenti, & à cœteris bonis avitis ac paternis unà cum titulis, dignitatibus, & insignibus abstineant per *Text. in tit.* 29. *lib.* 2. *Feud.* adde Myler ab Ehrenbach *in Gamolog. person. illustr. cap.* 6. *n.* 8. Lincken *de Matrim. Leg. Salic. contr. cap.* 2. *n.* 1. Eliam Augustinum Strickium *de Matrimonio ex ratione Statûs sive* von Staats-Heyrathen *cap.* 2. *n.* 35.

Quær. II. *Cur Matrimonium hoc in vernacula nostra* Vermählung zur lincken Hand *appelletur?*

R*Esp.* Ideo, quia ejusmodi matrimonium

per

per sinistræ manûs porrectionem plerumq; fieri consuevit, ex ea forte ratione, ut cùm dextra ferè ubique sinistrâ sit honoratior, inæqualis conjugum dignitas denotetur. Lincken *de Matrim. Leg. Sal. contract. cap. 3. n. 35.* Strick. *de Matrim. exrat. Stat. cap. 2. n. 45.*

Dixi plerumq; Id enim non ubique observari testatur Myler ab Ehrenbach *in Gamolog. person. illustr. cap. 6. n. 13. in fine.* Lincken *dict. cap. 3. n. 35.* Strick *dict. cap. 2. n. 46.* Recentissimum hanc in rem exemplum submin istrat Serenissima Domus Luneburgensis, ubi modernus Dux Guelpherbytanus Rudolphus Augustus ante 22. circiter annos fœminam ignobilem dextræ manûs porrectione ad Morganaticam sibi desponsavit. Strick. *dict. cap. 2. n. 47.* Adde Imhoff *in Not. S. I. R. Procer. lib. 4. cap 4. n. 23.*

Quær. III. *An ejusmodi Matrimonium sit licitum?*

R*Esp.* Affirmativè. Ita Rosenthal *de Feud. cap. 7. conclus. 16. lit. K.* Struvius *in Syntagm. Jur. Feudal. cap. 9 §. 5. n. 8.* Myler *in Gamolog. cap. 6. n. 27.* Lincken *de Matrim. Leg. Sal. contract. cap. 2. n. 22.* D. D. König *ad Decretal. lib. 4. tit. 1. part. 2. §. 5. n. 91.*

Patet ex eo, quod ejusmodi matrimonium

um nullâ penitus turpitudinis maculâ notata sit, cùm illibata maneat Sacramenti matrimonialis substantia, intacta relinquatur prolium inde susceptarum legitimitas, turpis incontinentiæ fomes restinguatur, familiarum illustrium decor conservetur, ne in in plures divisâ hæreditate dignitatis splendor obfuscetur, ac eminentioris prosapiæ claritas paupertatis ecclipsin patiatur. Et certè si hanc unicam ob causam laudabiliter inducta sunt fideicommissa familiarum nobilium, jura primogenituræ & majoratûs, renuntiationes fœminarum illustrium, Collegia Cathedralia Ecclesiastica &c. Teste Knipschild *de fideicommiss. Famil. nobil. n.* 1. 58. 59. *& seq.* Quidni & matrimonium ad Morganaticam eadem de causa licitè induci potuerit? præsertim cùm illustrissimorum Virorum passim frequentata exempla ad manus sint. Sic Ferdinandus Dux Bavariæ adstipulante Fratre Wilhelmo Mariam Nobilem de Pettenbeck hisce pactis in thalamum sibi adscivit, ut filii ex tali matrimonio nascituri ab insignibus, titulisque Ducalibus sese abstinerent, & sub nomine Comitum de Wartenberg 6000. florenis annuatim recipiendis contenti viverent, extinctáque penitus prosapiâ Wilhelminâ, & Titulorum insignium-q; Ducalium & Ditionum Bavaricarum

rum essent Successores. Sic Fridericus Palatinus victoriosus pro evitanda Principatûs divisione, Virginem Nobilem de Tettingen ad Morganaticam sibi desponsavit, Filiis hisce Morganaticis, quibus certas solummodò dynastias assignaverat, alteri in Ecclesia Spirensi Canonicatum obtinuit, alterum verò Comitem de Lewenstein cum titulo & Comitatu effecit. Pariter Georgius Fridericus Marchio in Baden & Durlach jam in senio constitutus cum Virgine Elisabetha Stozn Præfecti sui Roteleno-Stauffenbergensis filia matrimonium ad Morganaticam donationem contraxit, ita ut tam uxor, quàm liberi certis annuis reditibus contenti à successione bonorum familiæ abstinerent. Consimili modo Georgius Albertus Princeps Anhaltinus zu Werbiß Joannam Christophori de Croseck Aulæ Dessavienſis Marschalli filiam hac conditione in conjugem elegit, ut filii ex hoc matrimonio orituri titulum tantùm Dominorum de Radegast gererent, aliiq; complures, qui videri possunt apud Myler *in Gamolog. cap. 6. n. 12. & 13.* Liocken *dict. cap. 2. n 60.* Rhetium *in Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 21 §. 13.* quæ impiè à Viris hisce gravissimis fuisse practicata, aut à Prælatis Ecclesiasticis incuriè permissa, nullus absque temeritate asseruerit. Sed

Dices I. Jus Naturale uniformem successionem & æqualem in omnibus bonis paternis participationem liberis attribuere videtur per *l. 7. §. 1. ff. si Tab. Testam. null. extab. l. 7. ff. de Bon. damnat. Novell. 22. cap. 48.* sed uniformis hæc successio & æqualis in omnibus Bonis paternis participatio liberis attribuenda tollitur per matrimonium ad Morganaticam, ergo matrimonium hoc juri Naturali omninò adversari videtur. *Resp. 1.* Idipsum evenire in Jure Primogenituræ, quod tamen & Jure Divino, & Gentium, & passim vigente praxi Germaniæ obtinet. *Jure Divino per illud Genes. 25. v. 29. & seq. Jure Gentium*: ita Herodatus *lib. 7. Histor. Mos*, ait ibi, *omnium Gentium est, ut majoratus Imperium habeat.* Animosè Perseus Philippi Macedoniæ Regis Filius natu major Demetrio Fratri suo de Regno contendenti: *Regnare utique vis, huic spei tuæ obstat Gentium Jus, obstat vetus Macedoniæ mos*; ita Livius & ex eo Myler ab Ehrenbach *de Princip, & Stat. Imp. cap. 21. n. 2. passim vigente praxi Germaniæ:* & primò quidem in Electoratibus sæcularibus per Aur. Bull. *cap. 7.* Archiducatu Austriæ, Ducatibus Lotharingiæ, Holsatiæ, in Brunsuicensi, Luneburgensi, Clivensi, Megapolitano, VVirtenbergico, in Marchionatu Badensi, Landgraviatu Hassiæ &c. Vide

Lym-

Lymn. *lib. 5. Jur. publ. cap.* 2. Knipschild *de fideicommiss. fam. nobil. cap.* 6. *n.* 286. *& seq.* Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imper. cap.* 21. *n.* 4. *& 5. Resp.* 2. Quamvis Naturali rationi congruum esse videatur, ut inter liberos servetur æqualitas, exinde tamen nulla omninò necessitas inducitur, siquidem illa, quæ alimenta excedunt, non debentur liberis ex diserto quodam præcepto Juris Naturalis, sed quia plerumque nemini lautiùs parentes prospectum volunt, quàm ex se genitis. Pufendorff *de Jur. Nat. & Gent. lib.* 4. *cap.* 11. §. 7. cùm igitur Jus Naturæ successionem non determinaverit, facilè patet, patrem posse ad familiæ splendorem conservandum salvo Jure Naturali uni præcipuam Bonorum partem addicere, minore reliquis portione relictâ. Grotius *de Jur. Bell. & Pac. lib.* 2. *cap.* 7. §. 8.

Dices II. Per ejusmodi matrimonium ipsi quasi naturæ vis infertur, dum utriusque Sexûs liberi unà cum descendentibus & titulo & nobilitate paternâ abstinere coguntur, cùm tamen nobilitas generis præsertim privatis pactionibus nec acquiri, nec in præjudicium tertii tanquam Jus sanguinis adimi possit. Ergo. *Resp.* Sicut liberi ex privilegio supremi Principis maternam possunt assumere prosapiam, ut jam olim ex speciali privile-

vilegio Jlienſibus, Delphis, & Ponticis conceſſum fuit per *l. 1. §. 2. ff. ad Municipal.* Ita quoque approbatâ conſuetudine per pacta induci poteſt, ut filii matris, non patris conditionem ſequantur, vel patris quidem, ſed non omnimodâ gaudeant dignitate, quod in noſtro matrimonio ſæpiùs contingit, cùm pactionibus inter illuſtres perſonas conceptis ut plurimùm inſeratur, quod liberi ex hoc matrimonio procreati nobilium Ordinem obtinere debeant. Non igitur dignitas paterna liberis auffertur, ſed ob ſplendorem Familiæ conſervandum ſolummodò reſtringitur, ſubinde quoque, id quod etiam ſuadet Myler ab Ehrenbach *in Gamolog. cap. 6. n.* 30. ad tempus duntaxat ſuſpenditur, ut quam diu ex priori (vel etiam fratris) matrimonio liberi, eorumq; ſucceſſores maſculi ſuperſunt, alii filii minore dignitate & titulo contenti vivant, illis verò extinctis, & titulorum & dignitatum ſint ſucceſſores, velut de Comitibus VVartenbergenſibus ſupra retulimus.

Quær. IV. *An ejusmodi pactum matrimoniale etiam Conſenſum Imperatoris requirat?*

Reſp. Si per Pactum hoc Pater illuſtris de Bonis tantùm allodialibus diſponere velit,

lie, Consensum Imperatoris, ut in Pactis confraternitatum, non putamus exquirendum *arg. art.* 39. *Capitul. Leopoldi & art.* 38 *Capit. Josephi.* Si verò circa feudalia paciſci velit, Consensum Imperatoris ceu Domini feudi omninò necessarium existimamus per textum 1. *Feud* 8. *in Pr.* ibi: *nullâ ordinatione defuncti in Feudo manente vel valente*, scilicet absque Consensu Domini. Rhetius *in Inst. Jur pub. lib.* 1, *tit.* 21 §. 15. Strickius *d. cap.* 2 *n.* 40. *&* 41.

Quær. V. *An Pactum hoc stante matrimonio mutari, aut omninò tolli possit?*

Resp. Utrumque posse. Ita Myler ab Ehrenbach *in Gamolog. cap.* 6. *n.* 37. *& seq.* Rhetius *d. lib.* 1. *tit.* 21. §. 17. Strickius *dict. cap.* 2. *n.* 43. cùm enim Liberi Morganatici cæterà sint legitimi, ac matrimonium non tam in vim pacti, quam supremi judicii sustineatur *arg. l fin. ff de suis & legit. hæred.* quod ambulatorium est usq; ad ultimum vitæ spiritum, non video, cur id immutari, aut omninò tolli nequeat. Confirmatur illustri Domûs Luneburgo-Cellensis exemplo, ubi Serenissimus Dux Georgius VVilhelmus Pactum illud Morganaticum, quo Domini ab Olbreuze filiam, Madame de Haarbourg

dictam, sibi primùm copulaverat, in favorem filiæ ex ea susceptæ, postquam principali dignitate decorata fuit, consentiente Imperatore sustulit. Imhoff *in Notit. Sac. Rom. Imp. Procer. lib. 4. cap. 4. n. 32.* Strickius *dict. cap. 2. n. 44.*

Quær. VI. *An si filii, aut nepotes primi matrimonii, in quorum favorem parens matrimonium lege salicâ contraxit, decedunt absque hæredibus legitimè descendentibus, Filii ex matrimonio Morganatico nati: eorumq; descendentes in patris, aut avi bona succedant?*

Resp. In allodialibus filii ex secundo matrimonio, cœteris ex priori conjugio deficientibus, omninò succedunt, & hoc ex præsumpta patris voluntate, ut quem credimus voluisse, aliis liberis non extantibus, filios ex matrimonio Morganatico tanquam legitimos collateralibus præferre per *tit. 29. Feud. 2.* jung *Text. 2. Feud 11.* Circa feudalia referre putem, utrum pactum à patre illustri solummodò in favorem liberorum ex primo matrimonio oriundorum conceptum sit, an verò ita ut filii hujus matrimonii omnimodò ac perpetuò excludantur; priori casu successionem in feudum obtinebunt, & meritò: cùm remotum sit obstaculum succedendi per mortem liberorum primi matrimonii

monii per Textum 2. *Feud.* 29. §. *Filii nati.* Posteriori casu etiam extincta lineâ liberorum ex primo matrimonio genitorum à feudalibus Bonis liberi Morganatici exclusi manebunt. Ita Struvius *in Syntagm. Jur feud. cap.* 9. *aphoris.* 5 *n.* 8. Myler *in Gamolog cap.* 6. *n.* 34 *& seq.* Strickius *dict. cap.* 2. *n* 41. *&* 42. Rhetius *d. lib.* 1. *tit.* 21. §. 16.

§. III.

De Causa efficiente Matrimonij.

CAusa efficiens Matrimonij duplex est, remota & proxima.

Causa efficiens remota est Jus Naturale, & Positivum, hocque tam Divinum, quàm humanum.

Naturale per *Can.* 7. *dist.* 1. & *pr. Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civil.* Videtur enim Jus hoc hominibus, non quidem singulis, sed universis obligationem quandam ad Matrimonium contrahendum indidisse, ne eo omisso vel desineret animal nobilissimum, cujus causâ omnia reliqua sunt procreata, vel saltem per scelera & libidines excresceret in opprobrium naturæ rationalis.

Divinum, quoniam DEUS in nascentis mundi primordio Matrimonium velut officium naturæ, ut docet Catechismus Romanus,

nus, *part.* 2. *cap.* 8. instituit, & Christus in ipsius mundi restauratione ad sacramenti dignitatem elevavit *cap.* 9. *de Hæret. Trident. Sess.* 24. *de matrim. in princ. & Can.* 1.

Humanum. Scilicet Canonicum & Civile, si formam, solennitates, & adjuncta quædam extrinseca consideres.

Quær. *An Legislator sæcularis per Leges suas politicas possit validè quidquam statuere circa matrimonium.*

Resp. Quamvis spectatâ rei naturâ quilibet Princeps sæcularis, gaudens potestate nomotheticâ, circa Contractum matrimonialem validè quid statuere possit v. g impedimenta dirimentia suis etiam fidelibus subditis ex justa Statûs ratione indicere, cùm matrimonium sit Contractus Civilis, adeoque non minùs, quàm alii Contractus politicæ potestati subjectus, quatenus boni publici necessitas, aut utilitas id efflagitat. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *Disp.* 3. *n.* 2. Hodie tamen S. Pontifex circa matrimonium disponendi facultatem sibi reservavit, & meritò quidem: cùm enim matrimonii Contractus hodie limites naturæ excedat, & ad esse supernaturale sacramenti elevatus sit, dedecet ut tanti sacramenti dispositio ad Principes sæcu-

fæulares pertineat, per *cap.* 3. *de Ordin. cognit.* Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *Disp.* 3. *n* 2 *& seq.* Pirthing *lib.* 4. *Decretal. tit.* 1. *sect.* 6. §. 1. *n.* 150.

Causa efficiens proxima matrimonii est vel principalis vel instrumentalis.

Causa efficiens proxima principalis sunt ij, qui contrahunt nomine proprio, possunt autem contrahere omnes, qui non prohibentur.

Prohibentur 1. furiosi & mente capti, *Can.* 26. *caus.* 32. *quæst.* 7. *cap.* 24. *de sponsal.* Quia ob defectum intellectûs in matrimonium consentire non possunt, nisi habeant furoris inducias; tunc enim, quia consentire queunt, etiam validè nuptias inire possunt, quamvis id plerumque illicitè faciant, quia idonei non sunt ad prolem educandam. Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *Disp.* 8. *n.* 18.

Prohibentur 2. Surdi, muti, & cœci simul à nativitate, cùm moraliter sit impossibile, ut ejusmodi homines matrimonii requisita, eiq; annexas obligationes sufficienter intelligant. Sanchez *Dict. lib.* 1. *Disp.* 8. *n.* 13.

Prohibentur 3. Impuberes, quia in his plerumque deficit potestas generandi *cap.* 10. *&* 11. *de Desponsat. impub.* Si tamen vis generativa antevertat annos, etiam ante tempus

pubertatis ad nuptias ineundas admittuntur *cap. 3. & 9. de Desponsat. impub.*

Prohibentur 4. de Jure Civili nuptiæ inter Præsidem & Provincialem ob metum concussionis *l. 38. ff. de rit. nupt. l. 6. C. de. nupt.* item inter tutorem ejusq; filium ac pupillam, ne rationes tutelæ intercipiantur *l. 60. 66. & 67. ff. de ritu nupt. t. t. C. de Interdict. matr. inter pupill. & tutor.* Sed utrumque hoc impedimentum & Jure Pontificio & moribus nostris sublatum est.

Prohibentur 5. Jure Civili veteri quidam ob inæqualitatem dignitatis. Sic olim non licebat viris senatoriæ dignitatis in thalami Consortem sibi adsciscere fœminam vilem v. g. libertinam, scenicam, aut scenicæ filiam *l. 16. 23. 44. & passim ff. de rit. nupt.* Sed id Jure novissimo immutatum fuit per *Novell. 78. cap. 3. & Nov. 117. cap. 6.* quod & Jus Canonicum *can. 2. caus. 32. quæst. 4. cap. 2. & ult. de Conjug. servor.* & quotidiana praxis sequitur; conformiter sacro Codici, ubi inæqualis dignitatis matrimonia frequenter contracta deprehendimus: Sic Saul Davidi nondum ad regium fastigium evecto Merobem filiam promisit, sed cùm illum postmodum fefellisset, mox Micholem alteram filiam legitimis ejus nuptiis consecravit. 1. *Regum* 18. *v.* 20. *&* 21. eodem modo David jam

in

in Regem unctus cum Abigaele Nabalis fordidissimi hominis vidua nuptias contraxit. 1. *Regum* 25. *v.* 40. *& seq.* Salomon mortalium Sapientissimus filiarum alteram Abinadabis filio, alteram Ahimaazi præfectis suis desponsavit. Sacerdotem quoque Jojadem Jorami Regis uxorem duxisse 2. *Chronic. cap* 22. *v.* 11. proditum est. Et Estherem Virginem rei & spei satis egentem regium Assueri thalamum conscendisse legimus *Esther. cap.* 2. *v.* 16. ut secundarias Regum Israeliticorũ, imò etiã ipsorum Patriarcharum conjuges, aliarumq; Gentium exempla silentio prætereamus.

Quær. *Sitne hoc improbandum, si personæ illustres ad humiliorum subinde vota sese dimittant, ac cum inferioris conditionis viris fœminis-vè connubia celebrent?*

R *Esp.* Ejusmodi matrimonia Personis illustribus ferè indigna haberi. Betsius *de Pact. famil. illustr. cap.* 6. Myler ab Ehrenbach *in Gamolog. cap.* 5. *n.* 1. *& seq.* Strickius *de Matrim. ex rat. stat. cap.* 2. *n.* 19. *&* 20. quia 1. vergerent in totius Ordinis ignominiam *l.* 43. *&* 49 *ff. de rit. nupt.* 2. quia splendor familiæ antiquæ inæquali connubio imminuitur ac contaminatur, cujus tamen dignitatem conservari publicè interest *l.* 1. *§.* 13 *ff de agnosc. &*

 alen.

len. lib. 3. Ex ejusmodi matrimoniorum inæqualitate inevitabilis quasi discordia conjugalis nascitur; sicut enim firmissima est inter pares amicitia, ita inæqualis conjunctio haud concors & stabilis esse solet juxta Arist. *lib.* 8. *Eth. cap.* 1. 4. Conjux dignitati alterius impar vix sannas & contemptum conjugis, præcipuè inflatæ uxoris, cognatorumque effugere potest, unde prudenter Juvenalis:

Malo Venusinam, quàm te Cornelia Mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande Supercilium, & numeras in dote triumphos.

Nec tamen in hac connubii paritate personarum illustrium requirimus proportionem arithmeticam, ut Dux Ducis, Comes Comitis filiam ducat, sed sufficit proportionem geometricam observari juxta consilium Plutarchi, qui parentes jubet suis filiis uxores quærere, quæ ipsos generis nobilitate non multùm exuperent, ac ne uxor multùm sit inferior viro. Plutarch *de educat. liber.* Et hæc regulariter vera existimo; verùm si ratio Statûs in conservatione familiæ se fundans talia matrimonia exposcat, ut si Princeps angustiâ rei familiaris, belli, ac temporis injuriâ, aut gravi ære alieno pressus, vel curtè apanagiatus in ejusmodi matrimonium, modò

Persona non penitus abjecta sit, inclinet, non video, cur illud tantoperè improbandum veniat. Confer Betsium *dict. cap.* 6. Myler *dict. cap.* 5. *n.* 16 & 45. Strickium *dict. cap.* 2. *n.* 21.

6. Prohibentur Cives Romani cum exteris contrahere matrimonium *Princ. Inst. de Nupt.* sed & hæc dispositio ab usu recessit, dum non tantùm privati cum peregrinis, sed & Status Imperii passim cum Regibus, aliisque Principibus exteris matrimonia pro lubitu celebrant, quod vel inde patet dum vix ulla illustris Imperii familia sit, quæ non aliquoties cum Regibus & Principibus exteris affinitates contraxerit? exempla plurima passim occurrunt in operibus genealogicis Henninges, Rittershusij, Speneri, Imhoffi & aliorum. Num autem æq; expediat saluti mperii, quod Status Imperii promiscuè cum exteris ineant matrimonia, multùm me dubitare facit vel unica Anno 1671. inter Charlottam Elisabetham Caroli Ludovici Electoris quondam Palatini filiam & Philippum Ducem Aurelianensem celebrata desponsatio nuperi belli Gallici plurimorumque inde subsecutorum damnorum malè fœcunda Genitrix.

7. Prohibentur, quicunque impedimento vel impediente vel dirimente laborant, de quibus explicatiùs infrà.

Causa efficiens proxima instrumentalis matrimonii sunt Procuratores & internuntii, qui nomine principalium matrimonia contrahunt. Id tamen ut legitimè exequantur, requiritur, ut habeant speciale mandatum cum certa persona contrahendi, idipsum per se ipsos expediant, ac tempore intermedio non sint revocati. *cap. ult. de procurat. in 6*, posse autem adhuc hodie post Synodum Tridentinam per internuntios celebrari matrimonium, satis constat ex recepto Ecclesiæ usu, præsertim inter Principes, ut totâ die videmus. Notissimum æque ac novissimum exemplum habetur in matrimonio inter Josephum Romanorum Regem semper Augustum & Wilhelminam Amaliam Natam Ducem Hannoveranam die 15. Januarii Anno 1699. Mutinæ per procuratorem contracto. Cùm verò ad Consummationem matrimonii etiam consensio thalami requiratur, ne aliquid perfecto matrimonio deesse videatur, teste Gobath *in Theolog. Experiment. Tract.* 10. *casu* 10. *n* 405. In Germania moris est, ut matrimonio rato per procuratorem inito addatur ab eodem procuratore aliquid consummationem matrimonij adumbrans, ut scilicet præsentibus aliis, nova conjux ac procurator in eodem lecto decumbant, illa integrè vestita, hic insuper

super cataphractus, totumque corpus ferro tectus. Quin hoc non solùm Germanis, sed aliis quoque Principibus usitatum testatur Maseníus *in anima Histor. lib. 7. n. 110. ad annum* 1554. ubi legationem, quam Philippus II. Hispanorum Rex destinavit in Angliam ad Mariam Reginam sibi destinatam Conjugem, describturus sic loquitur: *Lamoralis Egmundij Comes è Belgio Philippi nomine profectus, illius in desponsatione Mariæ vices obiit, ac de more Principum concubuit, donec Philippus Princeps octingenta triremium, & quadraginta onerariarum classe Hamtonium Angliæ portum 19. Junij teneret.* Sic quoque testatur Zouchæus *de Jur. & Judic. fecial. sive Judicio inter Gentes part. 2. sect. 4. quæst. 23.* quod, postquam Maximilianus 1. Imperator Annam Britanniæ Ducissam, postea à Carolo VIII. Galliarum Rege Maximiliano rursus ereptam, mediante internuntio, in uxorem duxerat, Ducissâ desponsatâ solenniter lecto impositâ, Legatus quoque Maximiliani, præsentibus quàm plurimis nobilibus, tibiam suam usque ad genu nudatam eidem lecto imposuerit. Quæ omnia nonnisi ex ratione Statûs adhiberi constat, ut scilicet sic matrimonium non tantùm perfectum, sed & plenè consummatum videatur, adeoq; si unam ex desponsatis personis, antequam ad alteram perveni-

ret, decedere contingeret, superstiti successio salva maneret. Strick *de Matrim. ex Rat. Stat. cap. 2. n. 83. & 84.*

§. IV.

De Objecto matrimonii.

OBjectum matrimonij duplex est, remotum & proximum.

Objectum remotum matrimonii sunt corpora contrahentium habilia ad generationem humanam, quemadmodum enim merx & pretium, quæ indubitatum emptionis, venditionis objectum remotum sunt, se habent respectu emptionis, venditionis; ita corpora contrahentium generationis gratiâ conjungenda se habent respectu matrimonii. ergo.

Objectum proximum matrimonii est jus in corpora ad usum humanæ generationis. Illud enim rectè dicitur objectum materiale matrimonii proximum, in quod consensus contrahentium immediatè tendit; atqui consensus contrahentium immediatè tendit in jus in corpora ad usum humanæ generationis. Ergo.

§. V.

De Forma matrimonij.

FOrma matrimonii stat in contrahentium con-

consensu mutuo, vero, & signis exterioribus in facie Ecclesiæ expresso.

Primò itaque requiritur contrahentium consensus per *cap. 26. de sponsal.* ubi ob defectum consensûs ex parte alterius matrimonium declaratur esse nullum, *quia* (ut ibi inquit Pontifex) *sine consensu cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.* Et quamvis spectato Jure Civili non tantùm contrahentium, sed & eorum, in quorum potestate patria sunt contrahentes, consensus requiratur. *princ. Instit. de Nupt. l. 2. 3. & 16. §. 1. ff. de Ritu nuptiar.* Jure tamen Naturali, Divino, & Canonico solus contrahentium consensus sufficit.

Jure Naturali, quia electio Statûs perpetui debet esse liberrima, nec ab ullius alterius voluntate dependens, ne quis absque culpa perpetuò miser esse cogatur.

Jure Divino per *cap. 7. Tobiæ*, ubi Tobias Junior de consilio Angeli sine parentum scitu & assensu legitimum matrimonium contraxisse legitur.

Jure Canonico per *Can. 2. caus. 27. quæst. 2.* ac *Concilium Tridentinum Sess 24. de Reform. matrim. Cap. 1.* ubi sacra Synodus anathemate damnat eos, qui falsò affirmant, matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.

Quær. *An Electores, Principes aliique Imperii Status cum exteris inituri connubia, etiam Consensum Imperatoris adhibere debeant?*

R*Esp.* Ut ut in Gallia, Anglia, Scotia, Sicilia, Regnoque Neapolitano potentioribus regnorum vasallis absque Regis arbitratu & concessione non liceat cum exteris contrahere nuptias teste Myler *in Gamolog. cap.* 2. *n.* 4. *&* 5. Imperii tamen Principes etiam inconsulto Imperatore (licet hic subinde contradixerit attestante Rhetio *in Inst. Jur. publ lib.* 1. *tit.* 21. §. 1.) cum externis Magnatibus fœdera conjugalia pangere possunt. ita Betsius *de Pact. famil. illustr. cap.* 4. Mylet *in Gamolog. cap.* 2. *n.* 7. *& de Princip. & Stat. Imp. cap* 31. *n.* 5. Rhetius *in Inst. Jur. publ. d. lib.* 1. *tit.* 21. §. 1. Strickius *de Matrim. ex Rat. Stat. cap.* 3. *n.* 32.

Constat inde, quod Virorum Imperii illustrium æq; ac privatorum matrimonia debeant esse libertima *arg. cap.* 17. *&* 29. *de Sponsal.* nec Leges Imperii hoc ullibi expressè vetent, pro pristina igitur libertate præsumendum est. Quodsi tamen contingat, ut extincta stirpe masculina Principatus aut Comitatus ad filiam devolvatur, eam nonnisi

cum

cum Statuum provincialium consensu sibi maritum quærere posse existimat Betsius *de Pact. famil. illustr. cap.* 4. Myler *de Princip. & Stat. Imper. cap.* 24. *n.* 3. Strickius *de Matrim. ex Rat. Stat. n.* 33. *&* 34. ex ratione, quod videatur indignum, ab unius fœminæ temeritate totius Reipublicæ salutem ita dependere, ut in quem fert vel cœcus amor, vel libidinosus impetus, eum populo invito Principem obtrudendi facultatem habeat.

Requritur 2. Ut sit consensus mutuus & de præsenti, non tamen necessariò requiritur simultas physica, sed sufficit moralis, patet in matrimonio per procuratorem aut literas contracto. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *Disp.* 32. *n.* 3. *& 7. cum multis ibidem allegatis.* Censetur autem consensus tamdiu moraliter perseverare, donec expressè vel saltem implicitè revocetur; quod tum ex intentione ac dispositione contrahentis, tum ex modo consentiendi ac variis circumstantiis discerni debet. Reiffenstuel *in Theolog. Moral. Tractat.* 14. *Distinction.* 13. *Quæst.* 3. *Conclusion.* 2.

Requiritur. 3. Consensus verus, & serius, fictus & simulatus matrimonium ipso jure nullum efficit, *cap.* 26. *de Sponsal. & Matrim.* in foro tamen externo adversus ejusmodi simulatorem stat præsumptio, nec ei fides haberi

beri debet, quamvis juret, se tantùm fidè iniviſſe conjugium *arg. cap.* 10. *de Probat. l.* 13. *C. de non num. pecun.* ne aliàs detur occaſio matrimonia etiam verè contracta diſſolvendi.

Requiritur 4. Ut conſenſus ſignis exterioribus v. g litteris, verbis aliisque ſignis his æquivalentibus exprimatur, partim quia matrimonium eſt contractus, qui celebratur inter homines interiora cordis ignorantes, partim quia eſt Sacramentum, de cujus ratione eſt, ut ſit ſignum ſenſibile. Reiffenſtuel *d. Tractat.* 14. *Diſtinction.* 13. *Quæſt.* 2. *Concluſion.* 2.

Requiritur 5. Ut conſenſus exprimatur in facie Eccleſiæ, id eſt coram Parocho & duobus vel tribus teſtibus *Concilium Trident. Seſſ.* 24 *de Reformat. matrim. cap.* 1. de hoc tamen requiſito infra plura trademus.

SECTIO II.

De Effectu matrimonii.

EFfectus matrimonii varii ſunt, alii ſunt communes utrique conjugi, alii tantùm marito, alii duntaxat uxori, alii ſolummodò liberis proprii. De ſingulis ſeorſim.

§. I.

§. I.

De Effectibus utrique Conjugi communibus.

EFfectus primus utrique conjugi communis est, quod matrimonium ut sacramentum conjugibus fidelibus conferat gratiam. Ita Fides Catholica per *Trident. Concil. Sess. 24. de Sacram. matr. Can. 1.*

Effectus secundus utrique conjugi communis est vinculum indissolubile contrahentium, ita ut propriâ eorum authoritate dissolvi nequeat. *Trident. Sess. 24. de Sacram. matim. in princ.*

Quær. *An matrimonium sit igitur planè indissolubile?*

R. 1. Matrimoniũ legitimum tantùm inter infideles contractũ dissolvi potest, si pars altera fidem orthodoxam amplexata fuerit, altera verò nolit converti, neque cohabitare conversæ sine contumelia Creatoris *per cap. 7. de divort.* ac sufficienter colligitur ex *1. Corinth. 7. v. 15.* ubi ita Apostolus: *Quodsi infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.*

Reip.

Resp. 2. Matrimonium ratum duobus duntaxat modis dissolvi potest. 1 Per ingressum alterius conjugis in religionem, subsecutamq; professionē, ita ut pars in sæculo relicta licitè ad secunda vota transire queat, *cap.* 2. & 7. *de convers. conjugat.* & *Trident. Sess.* 24. *de Sacram. matrim. Can.* 6. 2. Matrimonium ratum dissolvi potest per dispensationem S. Pontificis

Ita Sanchez *de Matrim lib.* 2. *Disp* 14. *n* 2. Zoesius *ad Decretal tit. de divort. n.* 9. Lessius *de Jur.* & *Just. lib.* 2. *cap.* 40. *dubitat.* 19 *n.* 146. Engel *in Colleg. Jur. Can tit. de divert.* §. 2. D. D. Konig *d. tit. de divort.* §. 5. *n.* 6. & Orthodoxi communiter.

Prob. 1. S. Pontifex juxta probabiliſſimam ſententiam poteſt diſpenſare in voto ſolenni religionis, teſte Sanchez *dict. Diſp* 14 *n.* 2. ergo & in matrimonio rato, cùm votum ſolenne ſit fortius vinculum matrimonio rato, utpote diſſolvens matrimonium ratum *Trident. Seſs.* 24 *de Sacram. Matrim. Can.* 6.

Prob. 2. Matrimonium ratum ſignificat duntaxat Conjunctionem Chriſti cum anima fideli per gratiam, quæ conjunctio non eſt indiſſolubilis, imò perditur per quodcunque piaculum mortale, ergo nec matrimonium ratum eſt diſſolvi neſcium,

Prob.

Prob. 3. De facto summi Pontifices sæpiùs dispensârunt in matrimonio rato, ac in specie id traditur de Martino V. Eugenio IV. Paulo III. Pio IV. imò Sanchez & Lessius *locis mox citatis addunt*, Gregoriũ XIII. uno die cum undecim dispensâsse. Quis autem dicet, in facto adeo gravi & arduo errâsse tàt Pontifices, quibus totius Ecclesiæ regimen incumbit, quibusq; Spiritus sanctus specialiter assistit?

Tertius effectus utrique conjugi communis est fides conjugalis, quæ in tribus consistit. 1. in eo, ne conjux, altero conjuge licet diutissimè absente, carnaliter cum alia persona commiscatur, *cap.* 19. *de sponsal. & Matrim.* 2. Consistit in eo, ut conjuges simul cohabitent in eadem mensa, tecto, & lecto, quæ obligatio descendit tum ex Jure Divino per illud *Genes.* 2. *v.* 24. *quamobrem relinquet homo Patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Tum ex natura contractûs conjugalis. patet ex definitione matrimonii, in verbis *individuam vitæ consuetudinem continens.* 3. Consistit in eo, ut conjugum alter alteri vel expressè vel tacitè rationabiliter petenti debitum conjugale exhibeat juxta illud Apostoli 1. *Corinth.* 7. *v.* 3. *Vxori vir debitum reddat: Similiter autem & uxor viro.*

Dixi

Dixi rationabiliter petenti. Nam si justa sese excusandi causa subsit, conjux ad id non tenetur. Quænam autem sint justæ causæ excusantes à redditione debiti conjugalis, præter Theologos morales omninò videri meretur Paulus Zachias *in Quæstionibus Medico-Legalibus lib. 7. tit. 3. quæst. 2. 3. 4. & 5.*

§. II.

De Effectibus matrimonii soli marito propriis.

Effectus primus matrimonii marito proprius est maritalis potestas in uxorem, vi cujus uxores omni Jure maritis subesse debent.

Jure Naturæ: Ratio enim naturalis dictat, imò præcipit, membra inferiora debere subesse capiti; sed vir est caput uxoris. 5. *ad Ephes. v.* 23. ubi ita Doctor Gentium. *Vir caput est mulieris, sicut Christus Caput est Ecclesiæ.*

Jure Divino Genes. 3. *v.* 16. ibi, *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Et ad Ephes. *d. cap.* 5. *v.* 22. ibi: *mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino.*

Jure Canonico per Can. 16. *cauf.* 35. *quæst.* 5. ibi: *cùm caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus, quæcunque uxor non subjicitur viro suo, hoc est, Capiti suo, ejusdem criminis rea est, cujus & vir si non subjiciatur Christo Capiti suo.*

Vir-

Virtute hujus maritalis potestatis maritò permissum est, in uxorem immorigeram & refractariam, etiam illustrem, moderatâ ac discretâ correctione animadvertere *arg. Nov. 117. cap. 14.* quemadmodum enim fluvius continetur intra alveum: ita coerceri debet voluntas uxoris. *Ecclesiastici cap 25. v. 34.* quamvis & hac coercendi potestate maritis competente sæpiusculè verum sit illud Poetæ Britannici:

Conjugis ingentes animos, linguamq; domare,
Herculis est decimus tertius ille labor.

Dixi moderatâ & discretâ correctione: Si enim uxor ingenua indignis verberibus excepta fuerit, à marito divertendi causam habet *per cap. 13. de Restit. spoliat. in fin.* Si Princeps aut Comes Imperii duriùs, quàm par est, uxorem tractet, Imperator ad Conjugis querelantis instantiam officium suum interponere potest, prout interposuit Ferdinandus III. Anno 1641 in litigioso matrimonio Joannis Georgii Comitis Palatini de Luzelstein & Susannæ familiæ Neoburgicæ. Myler *in Gamolog. cap. 7. n. 24.*

Utut ergo uxor per hactenus allegata marito meritò omni jure subesse debeat, docet tamen experientia, dominium subinde ab uxoribus vel vi, vel clam, vel precariò, quæ vitia possessionis sunt §. 6. *Instit. de Interdict.*

occupari, ut forsan non absque ratione nonnemo optaverit, daß in manch im Lande deß Ahasueri Königliches Außschreiben renovirt werden mögte / der Gebotte / daß ein jeglicher Mann der Ober-Herr in seinem Hauß seyn solte. *Esther. 1. v. 20. 21. & 22.*

Quær. *An Principibus, aliisque Imperii Statibus erga illustrem uxorem, uti Imperium domesticum, ita & jurisdictio competat?*

R*Esp.* Negativè. Ita Myler ab Ehrenbach *in Gamolog. cap. 7. n. 22. & de Princ. & Stat. Imper. cap. 34. n. 4.* Schubard *de Austreg. cap. 3. n. 103.*

Et hoc ex eo, quia uxor per conjugium non serva vel subdita, sed socia efficitur *l. 1. ff. de Ritu nupt. l. 4. C. de crim. expilat. hared.* qua de causa Martia Catonis uxor maritum in exilium secutura, apud Lucanum dixit:

Non me lætorum sociam, rebusq; secundis
Accipis: in curas venio, partemq; laborum.

Ac uxor Principis non minùs, quàm ipse Princeps maritus, persona immediata existit; si enim à natalibus immediata fuit, per conjugium talis esse non desinit; si verò à parentibus mediata fuit, opitulante matrimonio immediata efficitur *arg. l. pen. C. de Silentiar.* cùm igitur par in parem vel socius in socium nul-

nullum habeat imperium *l.* 4. *ff. de Receptis, qui arbitr. l.* 13. §. 4 *ff. ad SCtum Trebell.* ideo Princeps maritus uxori illustri tanquam subditæ imperare non potest, nec in eam Jurisdictionem exercere, sed siquis sive Princeps maritus, sive extraneus sit, uxori illustri litem movere velit, Cameram Imperialem, Consilium Aulicum Viennense, vel Austregas secundum qualitatem causæ adire debebit. Reinkging *de Reg. sæcul. & Eccles. lib* 3. *class.* 1. *cap.* 10. *n.* 50. Lymnæus *lib.* 4. *Jur. publ. cap* 8. *n.* 89. *& lib.* 9. *cap.* 5. *n.* 60.

Secundus effectus maritis proprius est patria potestas, de qua jam dictum in dissertatione præcedenti.

Tertius effectus maritis proprius est, quod matrimonium subinde viam sternat ad Imperia, regionesque connectendas, ac meliores fortunarum suarum accessiones faciendas. Sic Rudolphus I. Comes Habspurgicus, postea Electus Romanorum Imperator ob matrimonium initum cum Anna Alberti Comitis ab Hohenberg & Egesheim Landgravii Alsatiæ filia, & unicâ hærede, mortuo Alberto Patre, maximam partem Alsatiæ cum comitatu Hohenberg obtinuit. D. D. Kieffer *in Dissertat. de Serenissimâ Domo Habspurgico-Austriaco-Germanica Membr.* 2. *quæst.* 29.

Maximilianus I. Imperator cum Conjuge Maria ultimi Burgundiæ Ducis Caroli audacis filia consecutus est cum Burgundia inferiorem Germaniam. D. D. Kieffer *d. Dissert. membro* 1. *quæst.* 16. Filius ejus Philippus I. per Joannam Ferdinandi Catholici filiam totam posteris suis acquisivit Hispaniam. D. D. Kieffer *d. quæst.* 16. Philippus II. Caroli V. filius suis regnis adjecit Portugalliam, ex beneficio conjugii paterni, & Isabellæ Matris, Emanuelis Lusitaniæ Regis filiæ. Ferdinandus I. Rex Romanorum Caroli V. Frater cum Anna Uladislai Hungariæ Regis sorore ad se suamque lineam devolvit Hungariam. D. D. Kieffer *d. memb.* 2. *quæst.* 32. Similiter Eberhardus Junior Comes Wirtenbergicus, desponsatâ sibi Henricâ ultimi Comitis Montpelgardensis unicâ filiâ, principalem Comitatum Montpelgardensem Illustrissimæ Domui Wirtenbergicæ adjunxit. Pariter Henricus Landgravius Hassiæ ductâ in uxorem filiâ unicâ, Annâ Philippi Comitis Catimeliboci ultimi suæ familiæ, curavit se unà cum uxore, vivo adhuc socero, ab Episcopo Herbipolensi de eo Comitatu investiri, quem Comitatum postea, defuncto ipso Philippo Comite absque prole mascula, Henricus Landgravius Hassiæ plenè

nè jure connubii obtinuit. Eodem modo Dux Clivienſis felici matrimonio junctus Guilielmi Juliæ & Montenſium Ducis filiæ unicæ Mariæ, dotis Jure & nomine amplas & potentes provincias accepit. Et hoc ſuccedendi Jure & fundamento ex linea materna deducto, circa initium ſæculi 17. Elector Brandeburgicus Georgius Wilhelmus, & Comes Palatinus Neoburgicus VVolffgangus VVilhelmus prædictos Ducatus cum pertinentiis, quamvis non abſque gravibus contentionibus tum inter Brandeburgicum & Neoburgicum, tum nonnullos alios, præcipuè Electorem Saxoniæ occupârunt. Myler *in Gamolog. cap. 4. n. 2. & ſeq.* Et hic modus acquirendi provincias tantò eſt innocentior, & humanior illis modis, qui fiunt per lanceam ferro armatam, quantò amor violentiâ, & liberorum procreatio præſtantior eſt hominum ſtrage. Lymnæus *ad Capit. Caroli V. proœm. voce* Ertz-Hertzog.

§. III.

De Effectibus matrimonii uxori propriis.

EFfectus primus uxori proprius eſt, quod uxor participet de nobilitate & dignita-

te mariti, mariti luce & splendore clarescat, ejusq; radius illustretur. *l. 8. pr. ff. de Senator. l. 13. C. de dignitat. l. 10. C. de nupt Nov. 105. cap. 2.* & ideo si filia nobilis Principi aut Comiti matrimonio jungitur, pro qualitate mariti modò der Durchleuchtigen/modò der Hochgebohrnen titulo gaudet. Samuel Strick. *in usu mod. ff. tit. de Senator. §. 6.* Elias Augustinus Strick *de Matrim. ex Ratione Stat. cap. 2. n. 26.* Rhetius *in Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 22. §. 3.* nisi fortè uxor per pactum ad Morganaticam Juri suo renuntiavit, de quo supra.

Quæst. 1. *An fœmina illustrior nubens nobili, ei aliquid de dignitate innatâ communicet, ita ut uxor Ducissa, aut Marchionissa maritum Ducem, aut Marchionem efficiat?*

Resp. Negativè, nisi vel Statuto vel consuetudine vel pactis dotalibus aliud statutum sit, ex ratione, quia uxor quidem coruscat radiis maritalis dignitatis, non autem maritus dignitate uxoris, ne ordo naturæ turbetur. Deinde mulier est accessorium, maritus principale & caput mulieris *Can. 15. Caus.*

Cauſ 33. quæſt. 5. acceſſorium autem non veſtit principale *l. 44. ff. de Vulgar. & Pupill. Subſtit.* Appoſitè Martialis Anglicus:

Vir quamcunq; Comes duxit, Comitiſſa vocatur,
Non ſemper, nupſit cui Comitiſſa, Comes.
Sicà Sole ſuam derivat Cynthia lucem,
Solà ſe lucem, non aliunde, petit.

Quær. II. *An Principis filia inferioris conditionis marito nubens titulum illuſtriſſimæ dignitatis amittat?*

Reſp. Negativè. Sed talis dignitatem ſibi connatam, modò non penitus indigno nubat, retinet. Myler *in Gamolog. cap. 5. n. 25. & ſeq.* Strickius *in Vſu modern. tit. ff. de Senator* §. 10.

Prob per *l. 10. C. de Nupt.* ubi inter dignitatem ex nativitate, & ex accidenti quæſitam exactè diſtinguitur, & illam per nuptias non amitti aſſeritur. Et adhuc clariùs per *l. 1. C. de dignitat.* ubi ita Imperator Alexander: *ſi, ut proponitis & avum Conſularem & patrem prætorium virum habuiſtis, & non privatæ conditionis hominibus, ſed clariſſimis nupſeritis, claritatem generis retinetis.* Hoc autem adhuc hodie in Europa paſſim moribus obtinere, multis atque illuſtriſſimis exemplis compro-

bat Myler *in Gamolog. cap. 5. n. 28. & 29.* Quin & dignitatem ex accidenti quæsitam uxor, licet inferioris conditionis viro desponsetur, hodie retinet, recentissimum exemplum habemus in Eleonora Maria Josepha Ferdinandi III. Imperatoris filia, quæ Michaeli V Visniowzkio Regi Poloniæ nupta Regina effecta fuit, mortuoq; marito, titulum Reginæ utiq; ad ultimum vitæ Spiritum retinuit, licet tantùm Duci Lotharingiæ Carolo desponsata fuerit.

Effectus 2. uxori proprius est, quod uxor etiam Principis aut alterius Statûs Imperii, etiamsi antè, quam nuberet, alterius Principis Jurisdictioni subjecta fuerit, per connubium, amisso domicilio & foro pristino, immediatum mariti Principis forum sortiatur, nec alibi, quàm coram Austregis, Camerâ Imperiali, aut Aulico imperatoris Consilio, ut ipse maritus, conveniri queat. *arg. l. pen. C. de Silentiar. l. fin. C. de incol.* ibi: *Forum ex eorum persona statuimus.* Confirmatur, præter superiùs deducta, præjudicio Magni Hispaniæ Consilii, ubi tandem post longam concertationem decisum fuit, quod Uxor Equitis Militaris ex Ordine S. Jacobi in criminali quoque causa apud Judices mariti convenienda sit Franciscus de Amaya *ad l. fin. C. de incol. n. 12. & seq.*

Effe-

Effectus tertius uxori proprius est, quod uxor præcipuè Illustris iisdem ferè privilegiis, quibus maritus, gaudeat *arg. l. 2. §. 4. C. de Episcop. & Cler. l. fin. C. de Jnjur l. 6. C. de Professor. & Medic.* Hinc uxor non ligatur statutis à marito Principe promulgatis. *l. 31. ff. de LL.* ultimum elogium conscriptura non adstringitur ad Juris Civilis solennitates, sed Juris gentium ei observâsse sufficit. *arg. d. l. 31. ff. de LL. junct. l. 3. C. de Testam.* Potest uxori Principis, æque ac ipsi Principi insinuari testamentum *arg. l. 31 ff. de LL. junct. l. 19. C. de Testam.* Donatio à Principis uxore in privatum collata non indiget insinuatione, etiamsi ad aliquot millia ascendat *arg. d. l. 31 ff de LL. junct. l. 34. in Princip. C. de Donat* Officiales principissæ iisdem, quibus ministri Principis, privilegiis fori, exemptionis &c. utuntur fruuntur. *arg. l. 31. ff. de LL. junct. l. 3. C. de Præpos. sacr. Cubicul.* Bona principissæ eodem modo, quo Principis ab angariis, gabellis, aliisque oneribus exempta sunt. *arg. l. 6. in Princip. C. de Vectigal.* &c. adde Rhetium *in Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 22.*

Dixi suprà: *quòd Vxor illustris ijsdem ferè Privilegiis gaudeat, quibus Maritus;* Quod intellectum velim de illis privilegiis, quæ Princeps uxori salvo jure Principatûs tribuere potest, & quæ uxori illustri conveniunt.

Ideo uxor principis non potest leges condere, quia hæ non mulierum, sed virorum prudentum consulta sunt *l. 1. ff. de LL.* non judicandi munere fungi, cùm negotia forensia, cujusmodi judicandi munus est, mulieribus interdicta sint. *l. 2. ff. de R. J.* non in arbitram eligi *l. fin. C. de Recept. arbitr.* nec denique similia peragere, quæ Principi ratione personæ & dignitatis virilis tributa sunt. Lymn. *lib. 2. Jur. publ. cap. 13. n. 9.* nisi uxor illustris in dignitate posita jure successorio territorium, & cum eo regimen obtineat, vel tutelam illustrem susceperit Mynsinger *Consil. 32. n. 20.*

§. IV.

De Effectibus matrimonii solos liberos concernentibus.

Effectus liberis proprius 1. est, quod nati ex matrimonio vero & putativo sint legitimi. *cap. 8. 11. & 14. qui filij sint legit.* nati autem ante matrimonium per subsequens matrimonium legitimentur. *l. 10. & 11. de Natural. liber. Novell. 89. cap. 1. & seq. cap. 6. qui filii sint legit.*

Effectus 2. liberis proprius est, quod parentibus tam in feudalibus, quàm allodialibus succedant, commune namq; votum & naturæ

naturæ & parentum filios ad bona parentum invitat. *l. 7. §. 1. ff. si tab. testam. null. extab.*

Effectus 3. liberis proprius est, quod quantum ad dignitatem, familiam, gentem & cæteras præeminentias patris, non matris conditionem sequantur *l. 19. ff. de Stat. hom. l. 36. C. de Decurionibus.*

Quær. *Quidsi filius natus est ex patre v. g. Comite & matre plebeia?*

R*Esp.* Nihilominus sequitur patris præeminentias, ita ut iisdem ac pater insignibus, & armis potiatur. Betsius *de Pact. famil. illustr. cap. 6.* Bocerus *de Regal. cap. 2. n. 14. & seq.* Votum & Sessionem obtineat in Comitiis, aliisque conventibus publicis. Schubard *de Austreg. cap. 3. n. 102. & seq.* Patri & in bonis allodialibus, & in feudis succedat, licet cum liberis æquali dignitate natis concurrat, quod & Camera Imperialis in praxi observat. Bocerus *de Regal. cap. 2. n. 14. & seq.*

Verùm utut talis verè pro illustri habendus sit, nonnullarum tamen dignitatum incapax est, sic olim non admittebatur ad torneamenta, & hodie excluditur ab Ecclesiis Cathredalibus majoribus, in Hohen Fürst. Stifftern, nec non in Collegiis Equitum Joanniticorum & Marianorum. Imo nec ex utro-

utroque parente illustri natus, nisi quatuor generationes illustres probare possit, wann er nit viel schildig ist / oder beweisen kan / daß Er von vier vätterlichen und mütterlichen Adelichen Ahnen gebohren / und herkommen. Belold *in Thesaur. pract. voce* Ahnen. Docetque quotidiana experientia.

SECTIO III.

De Contrariis matrimonij.

CONtraria matrimonii sunt impedimenta impedientia & dirimentia.

Articulus Primus.

De Impedimentis Impedientibus,

§. I.

De Impedimentis impedientibus in genere.

IMpedimenta impedientia sunt, quæ matrimonium quidem faciunt illicitum, relinquunt tamen validum. Horum plura fuêre quondam hisce versiculis expressa

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum.
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum.
Incest-

Incestus, raptus, sponsatæ mors mulieris.
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis.
Aut si pæniteat solenniter, aut monialem
Accipiat. prohibent hæc conjugium sociandum.

Hodie horum pleraque exolevêre, & nonnisi quatuor supereſſe dicuntur, ſcilicet Eccleſiæ vetitum, tempus feriatum, ſponſalia, & votum.

§. II.

De Eccleſiæ vetito.

PRimum itaque impedimentum impediens matrimonii eſt Eccleſiæ vetitum, cùm ſcilicet Pontifex, Epiſcopus, aut Parochus certis perſonis ex juſta & rationabili cauſa prohibet, ne matrimonium ineant, v. g. ante trinas præmiſſas denuntiationes, vel quia impedimentum dirimens ſubeſſe creditur &c.

§. III.

De Tempore feriato.

SEcundum impedimentum impediens eſt tempus feriatum. Intelligitur autem per tempus feriatum hodie poſt Synodum Tridentinam tempus à Dominica prima adventus uſq; ad Feſtum Epiphaniæ, & à Die Cinerum uſque ad Octavam Paſchatis incluſivè

Con-

Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. matr. cap. 10. & licet hoc tempore non ipse matrimonii contractus, ejusque consummatio, sed tantùm solennis nuptiarum Benedictio, convivia, saltationes, festiva traductio sponsæ in domum sponsi, aliavè lætitiæ signa de Jure Tridentino prohibeantur, ut latè probat Pignatelli *tom. 6. Consult. 47.* usus tamen per omnem ferè Germaniam invaluit, ut hisce temporibus non assistant matrimonio Parochi, nisi urgeat necessitas, imò, etiam hac urgente, non aliter quàm habito Ordinarii consensu, ubi id fieri potest. Laymann *in Theolog moral. lib. 5. tract.* 10. *part.* 4. *cap. ult. n.* 1.

§. IV.

De Sponsalibus.

TErtium impedimentum impediens sunt sponsalia de futuro, quæ cum una legitimè contracta impediunt matrimonium contrahi cum altera ob jus ad rem sponsæ priori per sponsalia quæsitum *cap.* 22. *de Sponsal.*

§. V.

De Voto.

Quartum impedimentum impediens est votum scilicet simplex, v. g. castitatis, ingrediendi religionem, suscipiendi sacros Ordines

nes &c. Stante hoc voto illicitè quidem initur matrimonium, non tamen invalidè *cap. un. de vot. & vot. redempt. in* 6.

Articulus Secundus.

De Impedimentis dirimentibus.

§. I.

De Impedimentis dirimentibus in Genere.

IMpedimenta dirimentia sunt, quæ matrimonium & illicitum, & invalidum reddunt, comprehenduntur ea sequentibus versiculis:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis Affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

De his ordine

§. II.

De Errore.

CIrca hoc impedimentum principaliter

Quæst

Quær. *Qualis Error dirimat matrimonium?*

PRæmitto errorem esse duplicem, alium substantialem, alium accidentalem. Substantialis est, qui decipit circa prædicatum substantiale, Accidentalis, qui decipit circa prædicatum accidentale. Est autem prædicatum substantiale, ad quod ex communi hominum usu, vel juris dispositione implicitè saltem & virtualiter contrahentium intentio restricta est; accidentale, ad quod contrahentium intentio ita restricta non est. Hoc prænotato

Resp. 1. Error Substantialis dirimit matrimonium, non tantùm Jure Ecclesiastico, Sed & Jure Naturali, eoquòd de substantia matrimonij sit consensus in personam signis, vel verbis expressus *cap.* 26. *de Sponsal.* quando autem error circa personam intervenit, non adest consensus circa illam personam *l.* 15. *ff. de Jurisdict. ergo.*

Dices: valuit matrimonium Jacobum inter & Liam, licet Laban loco formosæ Rachelis Jacobo suppoluerit lippientem Liam. *Genes.* 29. *ergo* error circa personam matrimonium non annullat. *Resp.* Matrimonium inter Jacobum & Liam à principio fuisse nullum, ac modò postea, novo Jacobi consensu interveniente, fuisse convalidatum.

Resp.

Resp. 2. Error accidentalis, sive det causam contractui, sive in contractum incidat, non dirimit matrimonium, quia intactum & illæsum consensum relinquit. Si proinde matrimonium cum aliqua prostituta Poppæa, quæ casta Lucretia credebatur, iniisti, valet matrimonium, quia prædicato castitatis ex communi hominum usu non censetur alligata contrahentium intentio.

§. III.

De Conditione.

ETsi nomen conditionis varias habeat significationes, in proposito tamen statum servilem, seu servitutem propriè dictam denotat, & in hoc sensu accepta matrimonium annullat, si scilicet liber matrimonium contrahit cum serva, vel libera cum servo, ignoratâ ejus conditione servili *cap.* 2 3. *&* 4. *de Conjug. servor.* Ex ratione, quia æquitati naturali consentaneum est, ut contrahentes matrimonium æqualem sibi invicem tribuant corporum suorum potestatem in ordine ad generationem humanam; sed hanc persona servilis præstare nequit, cùm alterius dominio subjecta à domino vendi, in longinquas terras ablegari, domesticisq; negotiis, diu noctuq; jure occupari possit, non ob-

stante matrimonij vinculo. *cap. 1. de Conjug. servor.* non idem tamen dicendum de hominibus propriis, cùm enim, ut supra probatum, homines proprii suam, quamvis limitatam libertatem retineant, validè cum aliis plenissimè liberis, etiam ignoratâ eorum conditione connubia celebrant. Sanchez *de Matrim. lib. 7. Disp. 19. n. 9.* D. D. Engel *in Colleg. Jur. Can. Tit. de Conjug servor. n. 3.* D. D. König *Tit. eod. part. 1. §. 2.*

§. IV.

De Voto.

VOtum, ut sit dirimens impedimentum, debet esse regulariter solenne, ac in Religione per Sedem Apostolicam approbatâ legitimè emissum. *cap. un. de Vot. & Vot redempt. in 6.*

Dixi 1. votum regulariter solenne: excipiuntur vota simplicia in Societate Jesu post absolutum Novitiatûs biennium emitti solita: vota hæc, licet simplicia sint, ante legitimam è Societate dimissionem tamen non tantùm impediunt, sed & dirimunt matrimonium contrahendum. Constat *ex Bulla Gregorii 13. incipiente: ascendente Domino 8. Calend. Junii Anno 1584. edita.* Barbosa *ad lib. 4. Decretal. Tit. qui Clerici vel voventes, cap. 3. n. 3.*

Dixi

Dixi 2. in Religione per sedem Apostolicam approbatâ. Hinc qui professionem edidit in tertia regula D. Francisci, vel D. Dominici, aut in quarta regula S. Francisci de Paula, validè connubio jungitur, siquidem regulæ istæ non sunt approbatæ ad vovendum solenniter, sed simpliciter. Confer *cap. 4. qui Clerici vel voventes. cap. un. de Vot. & Vot. redempt. in 6.* & cum Sylvestro D. D. Konig *ad d. Tit. qui Clerici vel voventes part. 2. §. 3. n. 15.*

Dixi 3. legitimè emissum. Si quis proindè gravi metu adactus professionem emisit, cùm ejusmodi professio non teneat, matrimonium inire non prohibetur. D. D. Konig *dict. §. 3. n. 14.* idem dicendum, si professio ante annum decimum sextum, vel absolutum annum Novitiatûs fuerit elicita. *Trident. Sess. 25. de Regul. cap 15.*

Dirimit hoc impedimentum nuptias tantùm Jure Ecclesiastico, adeoque in eo, urgente causâ boni communis, à S. Pontifice dispensari potest, prout dispensatum legimus cum Casimiro Rege Poloniæ, qui è Monasterio Cluniacensi Parisijs à Polonis revocatus, ac dispensante S. Pontifice Throno impositus dignissimè sceptrum tractavit. Bussieres *in Flosc. Histor. areol. 14. pag. mihi* 315. Idem factum est cum Ramiro, qui è Monasterio ad Thronum eductus fuit, ut fratri

Alphonso Arragoniæ Regi in obsidione Fragæ peremptо substitueretur. Bussieres *d. areol.* 14. *pag.* 331.

§. V.

De Cognatione.

COgnatio triplex est, Naturalis, Spiritualis, & Legalis.

Cognatio naturalis est vinculum personarum ab eodem propinquo stipite descendentium carnali propagatione contractum.

Constat potissimùm tribus: stipite, lineâ, & gradu.

Stipes est, à quo reliqui consanguinei vel mediatè vel immediatè ducunt originem. Sic Pater & Mater sunt communis stipes duorum fratrum; avus & avia respectu duorum patruelium & consobrinorum &c.

Linea est series personarum ab eodem stipite descendentium gradus continens, & cognationes distinguens.

Dividitur linea in rectam & collateralem, sive obliquam, aut transversalem.

Linea recta est, quæ continet liberos & parentes. Subdividitur hæc in ascendentem & descendentem. Ascendens est, in qua rectè ascendimus à persona generata ad personam generantem, ut à liberis ad parentes, avos, proavos, aliosq; ascendentes; descenden-

dens, in qua progredimur à parentibus ad filios, nepotes, pronepotes, aliosque descendentes.

Linea collateralis est, quæ continet fratres & sorores, cæterosque agnatos & cognatos ab eodem stipite propinquo descendentes, quorum tamen nullus alterum genuit. Subdividitur in æqualem & inæqualem. Æqualis est, in qua personæ æqualiter distant à communi stipite, ut frater & soror, patruelis vel consobrini &c. Inæqualis, in qua alter est remotior à communi stipite, alter eidem propinquior, ut frater & sororis filia, fratris filius & sororis neptis, &c.

Gradus est intervallum sive distantia unius consanguinei ab altero vel alterâ. His præmissis,

Quær. I. *Quomodo gradus computari debeant?*

Resp. Aliter eos esse computandos de Jure Civili, aliter de Jure Canonico, cui hoc in passu tanquam in materia spirituali flexo poplite assurgendum est.

Jure Civili prodita est unica, eâq; universalis regula: scilicet *tot sunt gradus, quot sunt personæ stipite dempto.* Sic ascendendo primum gradum efficit pater & mater, secundum a-

vus & avia: tertium proavus & proavia: quartum abavus & abavia: quintum atavus & atavia &c. descendendo in primo gradu sunt filius & filia: in secundo nepos & neptis: in tertio pronepos & proneptis: in quarto abnepos & abneptis: in quinto atnepos & atneptis &c. excurrendo ad lineam transversalem deprehendimus duos gradus constituere fratrem & sororem: tres fratrem & sororis filiam: quatuor fratris filium & sororis filiam: quinque fratris filium & sororis neptem &c

Jure Canonico pro triplici consanguineorum linea tres extant regulæ, una pro linea recta: altera pro linea collaterali æquali: tertia pro linea transversali inæquali.

Regula pro linea recta coincidit cum regula Juris Civilis, quod scilicet *tot sint gradus, quot sunt personæ stipite dempto.*

Regula pro linea collaterali æquali hæc est: *tot gradibus distant inter se, quot quivis à communi stipite.* Hinc frater & soror tantum unico: patrueles vel consobrini duobus duntaxat gradibus à se invicem distant.

Regula pro linea obliqua inæquali hæc est: *quoto gradu remotior distat à communi stipite, eodem gradu à latere venientes distant inter se*; unde filius fratris distat à suo patruo in secundo gradu, nepos fratris à propatruo in tertio &c.

Quær.

Quær. II. *Ad quotum gradum cognatio naturalis matrimonium dirimat?*

Resp. 1. Cognatio naturalis in linea recta matrimonium dirimit in infinitum *Can.* 18. *cauſ.* 35. *quæſt.* 2. *&* 3.

Reſp. 2. In linea transverſali tam æquali, quàm inæquali nuptiæ irritæ ſunt uſque ad quartum gradum incluſivè *cap.* 9. *de Conſanguinit. & Affinit.*

Quær. III. *Poſſitne in cognatione naturali S. Pontifex diſpenſare?*

Reſp. In linea recta nullatenus, uti nec in linea collaterali fratrem inter & ſororem, in ſecundo gradu lineæ obliquæ diſpenſat quidem, ſed nonniſi inter magnos Principes, & hoc ex prægnante cauſa boni cõmunis; exemplum habetur in invictiſſimo noſtro Leopoldo, qui Anno 1666. 12. Decembris Margaretham Thereſiam Mariæ Annæ ſororis ſuæ, & Philippi IV. Regis Hiſpaniarum filiam ex indulgentia S. Pontificis in uxorem duxit. In gradu remotiori etiam cum privatis, juſtâ tamen cauſâ intercedente, diſpenſari ſolet, ut quotidianâ docemur experientiâ. Adde *Trident. Seſſ.* 24. *de Reformat. matr. cap.* 5.

Cognatio spiritualis est propinquitas orta ex Baptismo vel Confirmatione. Fuit olim extendebatur, ut videre est in toto titulo *de Cognat. spirit.* hodie non dirimit matrimonium nisi inter Baptizantem & Confirmantem, item patrinos ex una, & baptizatos, ac confirmatos eorumque parentes ex altera parte. *Trident. dict. Sess. 24. de Reformat. matrim. cap. 2.*

Cognatio Legalis est vinculum civile ex adoptione resultans. non tamen omnis adoptio hoc impedimentum operatur, sed illa tantùm, quâ inducitur patria potestas. Sanchez *de Matr. lib. 7 Disp 63. n. 9.* Laymann *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 7. n. 3.* Zoesius *in Comment. ad Decret. tit. de cognat. legal n 2* D. D. Engel *eod. tit. n. 3.* D. D. Konig *eod. tit. §. 5. n. 9.* contrahitur hæc legalis cognatio primò inter adoptantem & adoptatam, item inter adoptatum & uxorem adoptantis, ita ut neque durante adoptione, neque eâ solutâ inter hasce personas nuptiæ consistere possint. §. 2. *Inst. de nupt. l. 14. pr. & l. 55. pr. ff. de rit. nupt. l. 23. ff. de adopt.* Secundò inter adoptatum & matrem, uti & materteram adoptantis durante adoptione matrimonium subsistere nequit, bene verò illâ dissolutâ *d. l 55. §. 1 ff de Rit nupt.* Tertiò inter filium naturalem & filiam adoptivam invali-

validum est matrimonium durante adoptione, validum hac sublatâ. *l.* 17. *ff. de Rit. nupt.*

Quær. *An & unio prolium, quæ nunc passim in patria nostra frequentatur, adoptionis adinstar, inducat impedimentum dirimens?*

R *Esp.* Negativè ita D. D. *Konig ad tit. de Cognat. Legal.* §. 5. *n.* 10. Magnificus D. D. Philippus Braun *ad eund. Tit.* tum quia impedimenta dirimentia sunt odiosa, ideoque nequidem ex identitate rationis extendi debent, tum, quia unio prolium non operatur patriam potestatem, per tradenda inferius, adeoque sicut adoptio ab extraneo facta ex hoc defectu non dirimit matrimonium, ita nec unio prolium.

§. VI.

De Crimine.

QUintum impedimentum dirimens est crimen tum adulterii, tum conjugicidij.

Prius incurritur ab illis, qui durante matrimonio legitimo adulterium formale perpetrant, ac insuper sibi invicem promittunt matrimonium post mortem alterius conju-

gis contrahendum, aut matrimonium de facto attentant. *cap. 1. pen. & ult. de eo, qui duxit in uxor. quam poll. per adult.* posterius incurrunt illi, qui mutuo consensu conjugem interficiunt eâ intentione, ut post mortem perempti conjugis matrimonium inter se contrahere valeant *cap. 3. & 6. dict. tit. cap. 1. de Conversi infid.*

Dixi mutuo consensu: nam si facto unius conjugicidium commissum sit, impedimentum hoc non aliter inducitur, quàm si adulterium accesserit. *d. cap. 3. & 6.*

§. VII.

De Cultûs Disparitate.

SExtum impedimentum dirimens est cultûs disparitas, quæ est diversitas Religionis dirimens matrimonium fidelem inter & infidelem, & hoc præcipuè propter periculum perversionis juxta sacrum textum 3. *Reg.* 11. *v.* 3. ubi de Salomone sapientissimo hæc leguntur: *depravatum est per mulieres cor ejus, ut sequeretur Deos alienos.* & *v.* 2. *cap. eod.* ubi habentur consilia Israelitis data ex ore Divinæ Veritatis: *non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras, certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.*

Quæ.

Quær. I. *Quo jure cultûs disparitas matrimonium anullet?*

R *Esp. non Naturali*, quia diversitas Religionis non repugnat generationi prolis, mutuæ cohabitationi, & debiti conjugalis redditioni, quæ fines matrimonii sunt.

Non Divino: Licet enim Jure hoc matrimonium Christianorum cum gentilibus prohibitum sit juxta illud Apostoli 2. *ad Corinth.* 6. *v.* 14. *nolite jugum ducere cum infidelibus*: non tamen extat ullum Jus Divinum, quod ejusmodi matrimonium irritet. Nec denique *Jure Ecclesiastico scripto*, quia nec in hoc Jure Textum ejusmodi matrimonia annullantem reperies.

Superest igitur, ut dicamus, impedimentum hoc antiquissimâ Christianorum consuetudine fuisse introductum.

Dices: eccur ergo S. Monica Mater S. Augustini nupsit cuidam Ethnico, referente Reiffenstuel *in Theolog. moral. Tract.* 14. *Distinct.* 14. *Quæst.* 4 §. 8. & S. Clotildis Clodovæo Francorum Regi adhuc gentili, attestante Bussieres *in Floscul. Histor. arcol.* 13. *pag. Mihi* 253. & 254. *Resp.* cum Reiffenstuel *loco mox allegato* tum temporis vel necdum talem consuetudinem in Ecclesia fuisse introductâ, vel

vel prædictas personas justis ex causis legitimam obtinuisse dispensationem.

Quær. II. *Quid sentiendum de matrimoniis Catholicum inter & Hæreticam, aut Hæreticum inter & Catholicam.*

Resp. Hujusmodi matrimonia esse illicita *Can. 15. & 16. Caus. 28. Quæst. 1.* idque ob præsentissimum parti Orthodoxæ imminens seductionis periculum; quod enim lupus est in ovili, caper in horto, aper in vinea, hoc in Ecclesia est hæreticus, cujus sermo ut cancer serpit 2. *ad Timoth. 2. v. 17.* cujus verba, dum volant, violant; ut non absque ratione diceres hæresin basiliscum esse, cujus aspectus pectus inficit, & contactus animam exanimat. Quodsi tamen ejusmodi matrimonia celebrantur, valida sunt per *cap. 14. de Haret. in 6.*

§. VIII.

De Metu.

SEptimum impedimentum dirimens est metus, ut autem metus matrimonium dirimat

Requiritur 1. ut metus sit gravis, qualis est metus mortis, mutilationis, cruciatûs corporis, diuturni carceris, servitutis, stupri, in-

infamiæ, amissionis bonorum omnium, aut notabilis partis, insignis officij &c. *l.* 3. §. 4. & 22. *ff. quod metus caus.* Covarruv. *de Matr. part.* 2 *cap.* 3. §. 4. D.D. Konig *ad Decretal. lib.* 4. *tit.* 7. *part.* 2. §. 4. *n.* 19. Metus levis matrimonio impedimento non est, quia metum hunc passus sibi imputare debet, quod eundem non contempserit. Covarruv. *d.* § 4 *n.* 5. D.D. Konig *d.* § 4. *n.* 19.

Requiritur 2. ut sit metus ab extrinseco, id est à causa libera incussus, à causa necessaria, puta, morbo, tempestate &c. veniens matrimonium non vitiat, ex ratione, quia invaliditas matrimonii metu initi unicè profluit ex injuria metu illata, injuriam autem non patitur, qui metum sustinet à causa necessaria provenientem. Sanchez *lib.* 4. *de Matr. Disp.* 12. *per tot.*

Requiritur 3. ut sit metus injustè incussus. justè incussus matrimonium non facit irritum, quia qui metum patitur, cui suâ improbitate causam dedit, injuriam non sustinet.

Requiritur 4. ut metus sit per se directè incussus, ad matrimonium extorquendum. Si alio fine incussus sit, & metum passus ultrò, ut malum impendens effugeret, matrimonium tanquam medium elegerit, matrimonium subsistit *cap.* 15. *de Sponsal.* & hoc exigen-

to

te æquitate, quia alias metum passo sæpius non supereſſet remedium ſeſe liberandi à periculo & malo imminente, cùm alter ſciens matrimonij nullitatem per oblationem matrimonij non flecteretur ad deſiſtendum à violentiâ.

His omnibus concurrentibus irritum eſt matrimonium per *cap.* 14. 15. *&* 28. *de Sponſal. & Matrim cap.* 2. *de eo, qui duxit in uxor. quam polluit per adult.*

§. IX.

De Ordine.

OCtavum impedimentum dirimens ſunt ſacri Ordines majores, ſcilicet Epiſcopatus, presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus legitimè ſuſcepti. *Trident. Seſs.* 24. *de Sacram. matr. Can.* 9.

Dixi legitimè ſuſcepti. Hinc

Quær. *Si pueri ante uſum rationis ordinati ſint, aut jam puberes gravi metu adacti Ordines ſuſceperint, an vi ordinum receptorum ad matrimonium contrahendum inhabiles ſint?*

Reſp. Negativè. Eccleſia ejusmodi Ordinatos nec vult, nec valet ad cælibatum ad-

adstringere. Non vult, quia Ecclesia votum castitatis solùm annexuit ordinibus ordinario modo scilicet spontè & plenè liberè susceptis *Can. 1. Distinct. 31. Can. 11. & 12. Distinct. 32. cap. 9. de Ætat. & Qualit. Ordinand.* Non valet: cùm enim castitas perpetua sit onus gravissimum, & res consilli, non præcepti, voluntariè assumenda est. *Can. 13. Caus. 32. Quæst. 1.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. Disput. 30. n. 3.*

§. X.

De Ligamine.

NOnum impedimentum dirimens est ligamen, vi cujus conjux, altero conjuge superstite non potest decurrere ad alias nuptias. *cap. 1. & 2. de Sponsa. duor.*

Quær. *Quo Jure impedimentum ligaminis matrimonium dirimat?*

Resp. Omni Jure.

Jure Naturali, quia Jure hoc nemo potest validè tradere alteri, quod suum non est; at vir accipit potestatem in solidum corporis suæ uxoris, & è converso uxor in solidum corporis sui mariti juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth. 7. v. 4. Mulier sui corporis potestatem non*

non habet, sed vir. similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Ergo.

Dices: Abraham habuit duas uxores, Saram & Agar: *Genes.* 16. Jacob duas Liam & Rachelem *Genes.* 29. Elcana duas, Annam & Phenennam 1. *Reg.* 1. *v.* 2. Saul duas Achinoam & Respham 2. *Reg.* 3. *v.* 7. David duas Achinoam Jezraelitē & Abigail; 1. *Reg.* 25. *v.* 43. præter has accepit David alias quatuor 1. *Paralipom.* 3. Salomon habuit uxores quasi Reginas septingentas, & concubinas trecentas. 3. *Reg.* 11. *v.* 3. ergo impedimentum hoc non profluit ex Jure Naturali, alioquin viri hi maximi ignominiosâ poligamiæ labe sese non contaminâssent. *Resp.* Deum post diluvium hac in re dispensâsse ex ratione duplici. 1. ut propagaretur genus humanum, quod est primarius matrimonij finis 2. ut esset figura seu typus multitudinis gentium, quæ Christo tanquam Sponso erat conjungenda. Ita unanimiter DD.

Jure Divino juxta illud Christi apud *Matth.* 19. *v.* 9. *quicunq; dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur*; Si ergo, uxore dimissâ, alia duci non potest, quantò minùs, uxore retentâ?

Dices Episcopus uniusuxoris vir esse jubetur 1. *ad Timoth.* 3. *v.* 2. ergo laicus plurium uxo-

uxorem vir esse non prohibetur. Adstipulatur Owenus canendo:

Vnius uxoris vir Episcopus esse jubetur;
Ergo licet laico nunquid habere duas?

Resp. Sensum Orthodoxum dicti loci esse, quod bigamus sit incapax Ordinis Clericalis, ac per consequens dignitatis Episcopalis ex communi Canonistarum sententia *ad tit. de bigam. non ordinand.*

Jure Canonico per cap. 1. & ult. de Sponsa duor.

Jure Civili privato per l. 2. C. de incest. & inutil. nupt.

Jure Civili Romano-Germanico per Ordinat. Crim Caroli V. *art.* 121. ubi polygamis poena gladij dictatur.

§. XI.

De publica Honestate.

DEcimum impedimentum dirimens est publica honestas, quæ est inchoata affinitas ex Sponsalibus de futuro & præsenti resultans.

Contrahitur hoc impedimentum inter Sponsum ex una, & sponsæ consanguineos & consanguineas ex altera parte; item inter sponsam ex una, & sponsi consanguineos & consanguineas ex altera parte.

Dirimit publica honestas orta ex sponsalibus de futuro matrimonium tantùm ad primum

mum gradum. *Trident. Sess. 24. de Reformat. matr. cap. 3.* proveniens ex sponsalibus de præsenti ad quartum gradum inclusivè *cap. 3. 4. & 8. de Sponsal. cap. un eod in 6.*

Introductum est hoc impedimentum solo Jure Ecclesiastico, adeoque S. Pontifex in eo dispensare potest, sive ex sponsalibus, sive matrimonio rato natum sit, Illustre exemplum habemus in Julio II. qui dispensavit cum Henrico Rege Angliæ, & Catharina Austriaca, antea Arthuro Henrici Fratri nupta. Pignatelli *tom. 4. Consult. 14. n. 4.*

§. XII.

De Affinitate.

UNdecimum impedimentū dirimens est affinitas, quæ est vinculum personarum ex carnali copula sive licita, sive illicita resultans?

Quær. I. *Inter quas personas contrahatur?*

R*Esp.* Inter virum cognoscentem ac fœminæ cognitæ consanguineos & consanguineas; item inter fœminam cognitam ac viri cognoscentis consanguineos & consanguineas. Inter consanguineos autem consanguineasque viri & fœminæ affinitas nulla con-

contrahitur. *cap. 5. de Consanguin. & Affinit.* legitimè proinde etiam inconsulto S. Pontifice Joannes Wilhelmus modernus Elector Palatinus inivit matrimonium Viennæ cum Maria Anna Josepha Augustissimi Leopoldi Sorore Anno 1678. die 25. Octobris non obstante, quod priùs invictissimus Imperator Leopoldus Anno 1676. die 14. Decembris Eleonoram Magdalenam Theresiam moderni Electoris Palatini sororem Germanam in uxorem duxisset.

Quær II. *Quomodo gradus affinitatis computandi sint?*

R*Esp.* Pro computatione graduum in affinitate prodita est hæc unica regula: *quo gradu quis est consanguineus viro, eodem etiam est affinis fœminæ*; & vicissim, *quo gradu quis est consanguineus fœminæ eodem quoque viro affinis est. Can. 3. Caus. 35. quæst. 5.* Computatio facile patet ex paulo antè proposito § 4.

Quær. III. *Quousque affinitatis impedimentum excurrat?*

R*Esp.* Usque ad quartum gradum inclusivè, si oritur ex copula licita *cap. 8. de Consang. & Affinitat.* usque ad secundum, si ex con-

concubitu illicito. *Trident. Sess. 24. de Reformat. matr. cap. 4.*

Quæst. IV. *Quo Jure affinitas dirimat matrimonium?*

Resp. 1. Vivente utroque conjuge affinitas est dirimens impedimentum matrimonij Jure Divino *Matth. 14. & Marci 6.* ubi S. Joannes reprehendit Herodem, dicendo: *non licet tibi habere uxorem fratris tui*, scilicet adhuc viventis.

Dices: Si affinitas adhuc vivente utroque conjuge de Jure Divino matrimonium dirimit, eccur ergo Clemens IX. Anno 1668. cum Petro moderno Lusitaniæ Rege dispensavit, ut Mariam Franciscam Isabellam Fratris Alphonsi tum adhuc viventis (mortuus enim est modò Anno 1682.) uxorem sibi desponsare potuerit? *Resp.* S. Pontificem in hoc casu non dispensâsse, sed tantùm declarâsse, matrimonium ob impotentiam Alphonsi fuisse retrò nullum.

Resp. 2. Affinitas in linea recta saltem in primo gradu matrimonium de Jure Naturali dirimit. Sanchez *de Matrim. lib. 7. Disp. 65. n. 4.* Laymann *in Theolog. moral. lib. 5. Tract. 10. part.*

10. *part.* 4. *cap.* 6. *n.* 5. *per Text.* 1. *ad Corinth.* 5. *& Can. Si vir & uxor. Cauſ.* 35. *quæſt.* 3.

Reſp. 3. Nullus gradus affinitatis in linea transverſali de Jure Naturali, ſed tantùm Eccleſiaſtico dirimit matrimonium, adeoque etiam in primo graduà S. Pontifice diſpenſari poteſt, prout diſpenſatum ſcimus 8. Decembris Anno 1695. cum Franciſco Farneſio hodierno Duce Parmenſi, ut Dorotheam Sophiam, Natam Ducem Neoburgicam, Fratris ſui Odoardi I H. uxorem ſibi connubio jungere potuerit.

§. XIII.

De Impotentia.

DUodecimum impedimentum dirimens eſt impotentia, quæ nil eſt aliud, quàm inhabilitas exercendi copulã carnalem, aptam ad generationem humanam.

Ut autem impotentia dirimat matrimonium

Requiritur 1. ut ſit impotentia perpetua. Temporalis enim per media naturalia tollibilis, non obſtat valori matrimonij *cap.* 6. *de Frigid. & malefic.*

Requiritur 2. ut impotentia matrimonium præcedat. Si ſubſequatur, matrimonium ſemel legitimè contractum non dirimit *Can.* 25. *Cauſ.* 32. *quæſt.* 7.

Requiritur 3. ut impotentia sit absoluta, & generalis respectu omnium, alioquin matrimonium non annullat. *Arg. cap 6 de Frigid. & malefic. Can. fin Caus. 33. Quæst 1.* Confer tamen Paulum Zachiam *in Quæst. Medico-Legal. lib. 3. tit 1. Quæst. 6.*

Quær. *An ob sterilitatem saltem ex ratione Statûs apud Reges & Principes matrimonium rescindi queat?*

Resp. Negativè per Textum rotundum *in Can. 27. Caus. 32. Quæst 7.* & meritò: licet enim in conjugio sterili non attingatur finis primarius, qui est procreatio sobolis, attingitur tamen finis secundarius, qui est solatium humanitatis, & remedium concupiscentiæ *Can. 41. Caus. 27. Quæst. 1.* accedit, quod sterilitas sæpe progrediente tempore corrigatur, ut præter exempla Saræ, Rebeccæ, Rachelis, Elisabethæ, aliarumque, recentiora exempla comprobant, quorum pauca huc retulisse juvat: Sic Boleslao Poloniæ Regi uxor Adelheidis Henrici 4. Imperatoris, filia post decennij sterilitatem quinq; filios, unamque filiam peperit. Salome Gabrielis Basilij Magni Moschorum Ducis uxor post annum 21. adhuc enixa est Georgium filium. Quod ipsum Mariæ Theresiæ Ludo-

vici

vici XIII. Regis Galliarum uxori, moderniq; Christianissimi Regis matri contigisse constat. Confer Myler *in Gamolog. cap. 4. n. 8. & seq.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. Disp. 92. n. 11.* Paulum Zachiam *in quæst. Medico Legal. lib. 3. tit. 1. Quæst. 7. per tot.*

§. XIV.

De Clandestinitate.

DEcimum tertium impedimentum dirimens est clandestinitas, quæ dirimit matrimonium illorum, qui contrahunt matrimonium absque proprio Parocho, & duobus testibus in locis Concilij Tridentini promulgati, & per contrarium usum non aboliti. *Trident. Sess. 24. de Reformat. matr. cap. 1.*

Quær. *Quis hic veniat nomine Parochi proprij?*

RESP. Nomine Parochi proprij venit. *Primò* S. Pontifex, tanquam Ordinarius Ordinariorum. *Secundò* Cardinales in Ecclesijs suorum titulorum. *Tertiò* Legatus Sedis Apostolicæ in provincia, ad quam destinatus est, quia est Ordinarius in illa juxta *cap. 2. de Offic. Legat. in 6.* *Quartò* Archi-Episcopus in sua Diœcesi, quin & in sua provincia, si actu eam visitet, aut si, nolente suffraganeo

neo aliquos conjungere, causa per appellationem ad eum devolvatur *cap.* 11. *de Offic. Jud Ordin. Quintò* Episcopus in sua Diœcesi. *Sextò* Ejusdem Vicarius Generalis. *Septimò* Capitulum Sede vacante, quia succedit Episcopo quoad Jurisdictionem Ordinariam. *Octavò* Abbates exempti habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem. *Nonò* Parochus sponsi aut sponsæ. Confer Pirrhing *de Clandest. desponsat.* §. 3. *n.* 20. D. D. Konig *eod. tit.* §. 5 *n.* 14.

Illud circa Principes speciale est, quod, licet censeantur esse cives omnium urbium, & omnium pagorum sui Principatûs, non tamen nisi coram Parocho Palatij, ubi ordinariè residunt, validè nuptias celebrare queant. ita cum Lugone D. D. Konig *d.* §. 5. *n.* 13.

§. XV.

De Raptu.

ULtimum impedimentum dirimens est Raptus, qui est violenta abductio fœminæ è loco habitationis in locum moraliter diversum, matrimonij contrahendi gratiâ. ut igitur hoc impedimentum exurgat,

Requiritur 1. ut abductio fœminæ sit violenta, si consentiat impedimentum hoc non inducitur, licet parentes sint inviti, quia non his, sed libertati matrimonij consulere voluit

luit Concilium Tridentinum Sanchez *de Matrim. lib. 7. Disp. 13. n. 13.* Pirrhing *ad Tit. de Raptor. n. 27.*

Requiritur 2. ut puella sit abducta de loco in locum moraliter diversum, ubi scilicet rapiens raptam in sua potestate habere potest. Sanchez *d. Disp. 13. n. 7.*

Requiritur 3. ut puella matrimonij contrahendi gratiâ, non libidinis satiandæ, aut alio ex fine sit abducta. Sanchez *d. Disp. 13. n. 4.*

His concurrentibus raptus tamdiu matrimonium irritat, etiamsi postea consentiat mulier, donec loco tuto fuerit reddita, *Trident. Sess. 24. de Reform. matrim. cap. 6.*



DISSERTATIO VII.

De

LEGITIMATIONE.

ALter modus inductivus patriæ potestatis est legitimatio. Definitur legitimatio, quod sit actus, quo illegitimi efficiuntur legitimi. Alia fit per matrimonium subsequens, alia per Rescriptum Principis, alia per oblationem Curiæ

SECTIO I.

De

Legitimatione per matrimonium subsequens,

§. I.

De Definitione Legitimationis per matrimonium subsequens.

DEfinitur hæc legitimatio, quod sit actus quo liberi naturales per subsequens ma-

tr-

trimonium inter illorum parentes contractum efficiuntur legitimi, Lauterbach *Disput. special. de Legitim. per matrim. subsequens th. 9.*

§. II.

De Causa efficiente Legitimationis per matrimonium subsequens.

CAusa efficiens legitimationis est vel remota vel proxima.

Causa efficiens remota est Jus Civile & Canonicum: Civile: fuit enim hic legitimandi modus primò inventus à Constantino *l. 5. in princ. C. de Natural Lib.* sed cum nihil stabile sit inter homines, omnisq; noster Status perpetuo motu agitetur, *Novell. 7. cap. 2.* sic & hæc Constantini Constitutio à Zenone Imperatore in tantum immutata fuit, ut quidem in præteritis, non etiam in futuris casibus obtineret *d. l. 5. C. de nat. lib.* & licet Anastasius illam valori pristino restituerit, jusq; liberorum naturalium liberaliter auxerit *l. 6. C. eod. Tit.* tamen Justinus iterum id ad casus præteritos restrinxit, matrimonioq; quoad casus futuros vim legitimandi detraxit *l. 7. C. eod. Tit.* donec Justinianus totam rem ad normam Constantini reduxerit, exæquans liberos ante & post matrimonium procreatos *l.*

10. C.

10. C. eod. Tit. unde etiam evenit, ut Justinianus se hujus legitimationis Authorem dixerit in Nov. 89. cap. 8. scilicet quia abrogatam restituit, & variis constitutionibus declaravit, ut in d. l. 10. & 11. C. de natur. lib. Novell. 12. cap. 4. Nov. 18. cap. fin. Nov. 19. Nov. 74. in pr. Nov. 78. cap. 3. Nov. 89. cap. 8. Id quod postmodum etiam Alexander III. Pontifex Maximus approbavit in cap. 1. & 6. qui filij sint legit.

Causa efficiens proxima hujus legitimationis est matrimonium inter prolis hactenus illegitimæ parentes contractum, patet ex juribus modò relatis.

Quær. I. *An filius illegitimus etiam per matrimonium mediatum legitimetur? ut* ecce! Narcissus defloratFloram virginem vel viduam honestam, ex qua suscipit Filium Florimundum, Florâ verò neglectâ, sibi desponsat Rosam; hac rursus post aliquod tempus mortis falci succumbente, Narcissus redit ad Floram, ac eum ea connubio iungitur, *quæritur, an Florimundus legitimis Natalibus restituatur?*

R*Esp.* Intermediam hanc matrimonij parenthesin haud officere Legitimationi Florimundi. Ita Covarruv. *de Matr. part. 2. cap. 8. §. 2. n. 18.* Barbosa *ad Tit. qui filii sint legit.*

legit. cap. 6. n. 7. Zoesius *in Comment. ff. ad tit. de Concub. n. 11.* Lauterbach *d. Disput. de Legitimat. per matrim. subseq. th. 15.* & D. D. communiter.

Prob. 1. per *Novell. 74. cap. 2. §. Si vero. v. omninò enim suis existentibus, deinde naturalibus procreatis, aut antea natis.* ubi haud obscurè innuitur aliud matrimonium fuisse intermedium inter concubinatum & matrimonium cum concubina contractum, aliàs ibi non legeretur, quod nati sint legitimi post naturales legitimandos.

Prob. 2. Jura legitimationem per subsequens matrimonium concedentia non distinguunt inter matrimonium intermedium, & non intermedium, ut patet *ex l. 5. C. de natur. lib. Nov. 12. cap. 4. & cap. 6. qui filij sint legit.* ergo nec nostrum est distinguere *arg. l. 1. §. 4. ff. de Offic. præfect. urb.*

Quær. II. *An per matrimonium putativum Filius antea natus legitimetur? ut* ecce! Titius sub spe futuri matrimonij à Bertha soluta usum corporis eblandiri conatur, Bertha pro more puellarum ad nubendum facilis, ac spe futuri matrimonij lactata depereunti Titio illibatos virginitatis flores carpendos concedit; sed dum Titius non longè post Bertham imprægnatam advertit,

tit, se subducit, Berthâ interim parlente Pamphilum, denique tamen Titius remordente conscientiâ compulsus redit, ducitque Bertham, latente inter bonæ fidei contrahentes impedimento dirimente, *suboritur quæstio, an Pamphilus per matrimonium hoc putativè validum legitimatus sit?*

R. *Esp.* Negativè ita Covarruv. *de Matrimon. part.* 2. *cap.* 8. §. 2. *n.* 17. Molina *de Jur. & Just. tom.* 1. *tract.* 2. *Disp.* 172. Zoesius *in Comment. decretal. ad Tit. qui filii sint legit. n.* 13. D. D. Engel *ad Tit. eund. n.* 9. D. D. König *ad Tit. eund. part.* 2. *n.* 24. D. D. Woller *in Quæst. select. ex univers. Jur. de anno* 1698. *Quæst.* 1. *n.* 100. Lauterbach *d. Disp. de Legitim. per Matrim. subseq. th.* 7.

Prob. 1. Virtus ante illegitimè natos legitimandi tributa est à Jure efficaciæ matrimonii propriè dicti, nam verba Legum & Canonum utique in sensu proprio accipienda sunt *arg. l.* 96. *ff. de Legat.* 3. donec constet de alia acceptione per consuetudinem & praxin rectè firmata D. D. Woller *d. Quæst.* 1. *n.* 100. Ergo & verba textus *in cap.* 6. *qui filii sint legitim. §. ult. Inst. & l.* 10. *ac* 11. *C. de natur. lib.* sed in matrimonio putativo non est virtus & efficacia matrimonii propriè dicti, ergo illi à Jure non est data vis ante illegitimè natos legitimandi.

Prob.

Prob. 2. Non oportet fictiones fictionibus cumulare absque saltem probabili textu, erubescit enim JCtus sine Lege loqui; atqui hic absque ullo textu cumularentur fictiones fictionibus, præterquam enim, quod matrimonium putativum fingeretur esse verum, etiam ipsi quoque liberi ante illud nati fingerentur in eo nati. Ergo.

Prob. 3. Quod de Jure nullum est, nullum sortitur effectum *arg. l. 4. §. 6. ff. de Rejudic.* sed matrimonium putativum de Jure nullum est; ergo & nullum adeoq; nec legitimationis effectum operatur.

§. III.

De Objecto Legitimationis per subsequens matrimonium.

OBjectum hujus Legitimationis de Jure constituunt liberi naturales, qui scilicet nati sunt ex concubina, sive tali fœmina, quã quis unicam sub schemate conjugij concubitûs gratiâ, domi retinuit citra affectum tamen maritalem *l. 144. ff. de V. S.* sed cum concubinatus non tantùm Jure Pontificio, sed & Jure Romano-Germanico reprobatus sit *per Reformat. polit Augustæ Vindel. de Anno 1530. Tit. 33. & 1548. Tit. 25. Francofurti de*

anno

anno 1577. *Tit.* 26. hodie illi liberi legitimationis hujus objectum constituunt, qui nati sunt ex personis ad ineundas inter se nuptias non impeditis. D. D. VVoller *d. Quæst.* 1. *n.* 6. & 14. D. D. Franz *in Prodrom. Justin. lib.* 1. *Tit.* 10. *part.* 3. §. 3. *n.* 4.

§. IV.

De Forma legitimationis per matrimonium subsequens

FOrma hujus Legitimationis desumitur à requisitis.

Requiritur autem 1. ut matrimonium cum illegitimorum liberorum matre contrahatur §. *ult. Inst. de nupt. l.* 5. & 10. *C. de natural. lib. Novell.* 89 *cap.* 8.

Requiritur 2. ut liberi in legitimationem consentiant, vel adulti facti eam non revocent, nam si patribus non est permissum, invitis filiis, jus patriæ potestatis solvere, multò magis injustum est, invitos liberos in patriam potestatem redigere *l. ult. ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris. Nov.* 89. *cap.* 11. *in princ.*

Quær. *An quoad consensum liberorum legitimandorum idem obtineat de Jure Canonico?*

Resp. Affirmativè, Ita D. D. Konig *ad Tit. qui*

qui filij sint legit. part. 2. § 4. *n.* 27. D. D. Gletle *part.* 1. *select. Quæst.* 8. *n.* 2. D. D. Franz *in Prodrom. Justin. lib.* 1. *Tit.* 10. *part.* 3. § 5.

Prob. Trita Juris regula est, quod Jus obscurum ex claro interpretari oporteat *cap.* 1. *de N. O. N.* cùm ergo de Jure Civili legitimatio per matrimonium subsequens non aliter procedat, quàm intercedente liberorum legitimandorum consensu, neque procedit Jure Canonico, cùm nullum in eo textum reperies, ubi Pontifex hoc in passu à Jure Justinianeo recessisset.

§. V.

De Effectu Legitimationis per matrimonium subsequens.

EFfectus hujus legitimationis est vel Generalis, vel Specialis.

Effectus generalis est, quod sic legitimati pristinæ ingenuitati restituantur, ac si ex justo & legitimo matrimonio nati fuissent *l.* 11. *C. de natur. lib. Nov.* 12. *cap. fin. Nov.* 18. *cap.* 8. *& cap.* 6. *qui filii sint legitimi.* unde hisce legitimatis tanquam vere legitimis dantur testimonia natalitia Geburts-Brieff / quod ex thoro legitimo & honestis parentibus nati sint, daß sie von frommen / ehrlichen Eltern / und auß einen rechtlichen / ohnbefleckten / ohngetadelten Ehe-Bette herkommen / und

gebohren. Carpzov. *in Jurisprud. forens. part.* 2. *Constit.* 6. *Definit* 15. *in fin.* Lauterbach *dict. Disp. de Legit. per Matr. subseq. th.* 32.

Effectus speciales potissimùm sequentes sunt: 1. Sic legitimati transeunt in patriam potestatem §. *ult. Inst. de Nupt. l.* 10. *C. de natural. lib.* 2. Patris, quantumvis illustris, nobilitatem consequuntur, & arma ac insignia paterna, seu familiæ deferre possunt. Myler *in Gamolog cap.* 24. *n.* 2. 3. Ad dignitates & officia in utroque foro admittuntur. Lauterbach *dict. Disp. th.* 33. exceptâ Cardinalatûs celsitudine, ad quam ascendere non possunt, prout statuit Sixtus V *in sua constit.* 50. *incipiente: postquam. de anno* 1590, *publicatâ.* Barbosa *ad Capit.* 6. *qui filii sint legit. n.* 25. 4. Recipiendi sunt in collegia opificum Carpzov. *dict part.* 2 *Conclus.* 6 *Definit.* 12. Berlich *part* 2. *pract. Concl.* 39. *n.* 18. 5. Præteriti in testamento paterno rumpunt testam. *arg. l.* 8 *ff de Injust. rupt. irrit. testam. Nov.* 12. *cap. ult.* 6. Injustè exhæredatis datur querela inofficiosi *arg.* §. 2. *Inst. de inoffic. testam.* 7. Parentibus aliisq; consanguineis cum liberis legitimè natis ab intestato ex æquo succedunt *l.* 10. *C. de natural. lib. Nov.* 12. *cap. fin. Nov.* 74. *cap* 2. *Nov.* 89. *cap.* 8. id quod in bonis allodialibus expediti juris est. Sed

Quæri

Quær. *An legitimatus per matrimonium subsequens etiam in feudis succedat?*

Resp. Affirmativè. Ita Rosenthal *de Feud. cap. 7. Concl* 11. Carpzov. *in Jurisp. forens. part. 3. Constit. 28. Definit* 17. Myler *in Gamolog cap. 24. n.* 2. Simon Van Lewen *in Censur. forens lib. 1. cap. 3. n.* 14. Struv. *in Syntagm. Jur. feud. cap 9. Aphor. 3. n.* 13. Strickius *in Exam. Jur. feud. cap.* 15. *Quæst.* 38. D. D. Ebbert *part. 1. select. Quæst. 19. n. 4. & seq.*

Prob. 1. Longè plus est esse capacem dignitatis Episcopalis, quàm successionis feudalis: atqui legitimatus per matrimonium subsequens admittitur ad Episcopatum *cap. 20. de Elect. & Elect. potest.* ergo multò magis ad successionem feudi admitti debebit.

Prob. 2. Stando in Jure Justinianeo certum est, quod ita legitimatus adinstar legitimi succedat, per Jura superiùs allegata; cùm igitur Jus feudale hac in parte nullibi clarè à Jure Justinianeo recesserit; dicere oportet, idem Jure feudali, quod Romano, hic obtinere. *arg. pr. 2. feud. 1.*

Prob. 3. In dubio contra eum facienda est interpretatio, qui apertiùs Legem condere potuit, & non condidit *cap. 57. de Reg. Jur. in* 6. ast Conditores Juris feudalis probè itiverunt, legitimatum ratione successionis eo-

dem Jure cum legitimis gaudere de Jure Romano, eique ex sua potestate nomothetica expressè derogare potuissent, quia igitur id factum non est, meritò contra eos facienda est interpretatio, ac dicendum idipsum, quod Romano, etiam feudali Jure, ratione successionis hìc obtinere.

Prob. 4. in dubio optima legum interpres est praxis & consuetudo *l. 37. & 38. ff. de LL.* sed opitulante matrimonio legitmati non tantùm de generali Germaniæ, sed & Italiæ, Siciliæ, Hispaniæ, Galliæ, Scotiæ consuetudine tam in feuda titulata, & dignitatis, quàm inferiora teste Mylero *in Gamolog. cap. 24. n. 3.* succedunt. sed hoc tamen ita nisi 1. Tenor formaque primævæ investituræ refragetur. Nisi 2. feudalis Curiæ consuetudo, aut illustris familiæ pacta reluctentur. Aut nisi 3. Princeps aut Comes ex persona nimis vili prognatum mediante matrimonio ingenuis natalibus restituat, quoniam vix est, ut filii per tam sordidum matrimonium legitimati in Curia Domini honestè comparere possint *arg. l. 1. C de natural lib.* Myler *dict. cap. 24. n. 3.*

7. Admittuntur ad Emphyteusin Ecclesiasticam Covarruv. *de Matrim part. 2. cap 8. §. 2. n. 27.* Barbosa *ad cap. 6. qui filii sint legit.* 19, 20, & 21.

Quæ-

Quær. *An Principis filius primogenitus per subsequens matrimonium legitimatus in successione Feudi titulati ac in Jure primogenituræ præferatur filio naturali & legitimo simul ex eadem matre nato?*

Resp. Affirmativè. Ita Covarruv. *dict.* §. 2. *n.* 28. Barbosa *ad cap.* 6. *qui filii sint legit. n.* 23. Paschalis *de Viribus patr. potest. part.* 2. *cap.* 4. *n.* 66. Hermes *in Fascic. Jur. publ. cap.* 18. *n.* 16.

Prob. Filius hic naturalis mediante conjugio per legitimationem jam est legitimus ante nativitatem fratris sui naturalis, & legitimi, sicq; utrumque vinculum & naturale & civile: ante illum acquisivit, ac consecutivè exinde effectus quoque hujus duplicis vinculi, præcipuè verò Jus succedendi obtinuit, quod ipsi per supervenientem fratris nativitatem adimi non potest, quod enim semel perfectum est, non debet ex post irritari. *l.* 3. *C. de Confir. tut. l.* 25. *C. de administrat. tutel.* Imò *fratres posteriores* (ut utar verbis legis) *priori gratias agere debent, quod hujus beneficio ipsi sint iusti filii: & nomen & ordinem consecuti. l.* 10. *C. de natural. lib.*

Major controversia presso pede sequitur, *an primogenitus filius naturalis excludat à succes-*

sione Ducatûs & primogenituræ Secundò Genitum natum ex uxore legitimâ, si hac mortuâ, pater filium primogenitum per concubinæ matris connubium legitimat?

Casus hujus quæstionis formari potuisset in Philippo ultimo Macedonum Rege, qui duos post se reliquit filios, Perseum natu majorem, sed pellice natum, & Demetrium quinquennio minorem, sed legitimè genitum, cui indubitanter regnum alias debebatur, *quidsi etiam per legitimum matrimonium Perseus legitimis natalibus restitutus fuisset, an Perseus Demetrio præferri debuisset?*

Resp. Negativè ita Covarruv *dict.* §. 2. *n.* 28. Rosenthal *de Feud. cap.* 7. *concl.* 18. 19. *n.* 9. Gail. 2. *Obs.* 141. *n.* 3. Bacchov. *ad Treutl. Vol.* 1. *Disp.* 2. *th.* 7. *lit. B.* Hermes *dict. cap.* 18. *n.* 16.

Et hoc ideo tum quia 2dogenitus legitimè natus habet priùs Jus quæsitum ad primogenituram eiq; annexa successionis Jura in Ducatu, aut Comitatu, quàm primogenitus naturalis, *arg. cap.* 8. *de Rescript. in* 6. nam qui prior est in legitimo nativitatis ordine, potior quoque est in Jure primogenituræ, *arg. cap. qui prior de V. S.* Harprecht *ad princ. Inst. de Succes. ab intestat n.* 111. *&* 112. quod Jus in ipsa legitima nativitate quæsitum, & in ea radicatum per casum supervenientis matrimonii ei absque injuria auferri nequit *l. fin. ff. de*

Pact l id quod nostrum est ff. de Reg. Jur & quanquã fictione Juris, juxta plures legitimatio ad tempus nativitatis (quamvis ego cum emunctioribus JCtis existimem tempus nativitatis ad legitimationis existentiam potius esse pertrahendum) retrotrahatur, hoc facto tamen etiã supposito ficta hæc retractio non potest extendi in præjudicium verè legitimi, cui hoc tempore intercalari Jus plenè quæsitum est, *l. bonorum ff. rem ratam haberi. l. si mulier divertit. ff. solut. matr.*, quoniam alias fictio præferretur veritati contra *l. 23. ff. de lib. & posthum.*

SECTIO II.

De Legitimatione per Rescriptum Principis.

§. I.

De Definitione Legitimationis per Rescriptum Principis.

DEfinitur hæc legitimatio, quod sit actus, quo Princeps liberos illegitimos jubet esse legitimos. *Auth. praterea, C. de natural. lib. Nov. 89. cap. 9.*

§. II.

De Causa efficiente hujus legitimationis.

CAusa efficiens hujus legitimationis est vel remota vel proxima.

Causa efficiens remota est Jus tum Civile, tum Canonicum. *Civile per Novell. 89. cap. 9. Canonicum per cap. 13. qui filii sint legitimi.*

Causa efficiens proxima est legitimans. Potest autem legitimare omnis, penes quem est summa potestas, totum enim legitimationis negotium à Majestate principis dependet. Bocerus *de Regal. cap. 2. n. 68.* Ziegler *de Jurib. Majest. lib. 1. cap. 10. n. 1.*

In specie legitimare potest

I. S. Pontifex, & quidem quoad spiritualia, puta sacros ordines, beneficia & dignitates Ecclesiasticas omnes omninò Christianos, cùm quoad spiritualia in universos obtineat potestatem. Quoad temporalia verò nonnisi politico dominio suo subjectos, cùm extra hos temporalis Pontificis potestas sese non extendat. Molina *de J. & J. tract. 2. Disp. 173. n. 2.* Sanchez *de Matr. lib. 8. Disp. 7. n. 1.* Haunold *de J. & J. tom. 1. Tract. 4. cap. 3. Contr. 1. n. 142.*

II. Legitimare potest Imperator in toto Imperio Romano-Germanico, & quidem

filio-

filiorum Principum, Comitum, Baronum aliorumque illustrium immediatorum legitimationem sibi ipsi reservare solet. Struv. *in Syntagm. Jur. Civil. Ex.* 3. *th* 54. Schweder *in Introduct. in Jus publ. part. special. sect.* 1. *cap.* 16. *n.* 9. aliis verò vel ipse immediatè legitimorum Jura restituit, vel dependenter ab Imperatoris concessione Comites Palatini, si hoc eis in diplomate concessum sit, secus id non possunt. Lymn. *lib.* 4. *Jur. pub. cap.* 4. *n.* 73.

III. Idipsum possunt Vicarij Imperii Buxtorff *ad A. B. Conclus.* 73. Mulz *in Repræsentat. Majest. part.* 2. *cap.* 3. §. 7 *n.* 44. Muller *in Jurispr. element. Disp.* 10. §. 10. *in exeg. lit. P.*

Prob. Omnia possunt Vicarij Imperij, quæ Imperator, nisi specialiter quid legatur exceptum *arg. l.* 1. *&* 2. *C. de Offic. ejus, qui Vicar. alt. Can. si Episcopus. Caus.* 2. *Quæst.* 6. Nihil autem specialiter exceptum demonstrari potest, quàm Feuda Principum. *Aur. Bull. cap.* 5. §. 1. ibi: *Feudis Principum duntaxat exceptis.* Exceptio ergo firmat regulam in casibus non exceptis *l.* 12. *in pr. ff. de Jud.*

Quær. *An Camera Imperialis legitimare possit?*

Resp. Negativè. Ita Sixtinus *de Regal. lib* 1. *cap.* 4. *n.* 8. *&* 107. Hermes *in Fascic. Jur. publ.*

publ. cap. 11. *n.* 127. Mulz *in Repræsent. Majest. part.* 2. *cap.* 3. §. 6. Schweder *in Introduct. in Jus publ. part. special. sect.* 1. *cap.* 16 *n.* 9. quamvis enim Judicium Cameræ Imperialis in plerisque concurrentem cum Imperatore habeat Jurisdictionem, illegitimè tamen genitos legitimæ ingenuitati restituere nequit, cùm hoc legitimandi negotium non ad Jurisdictionem, sed ad majestatem pertineat, cujus Augustum Cæsareæ Cameræ Judicium nullum commercium sibi vindicat.

III. Hodiernis moribus eadem potestate fruuntur Electores, Principes, Cœteriqúe Imperij Ordines, ut præter experientiam testatur Lymnæus *lib.* 4. *Jur. publ. cap.* 9. *n.* 142. Myler *de Princ. & Stat. Imp. cap.* 54. *n.* 1. Rhetius *in Instit. Jur. publ. lib.* 1. *tit.* 4. *n.* 63. Strickius *in Vsu mod. ff. Tit. de his qui sunt sui vel alien. jur.* §. 14. Horum tamen legitimatio ultra eorum territorium effectum non producit. Rhetius *dict. lib.* 1. *tit.* 4. §. 63. *& lib.* 2. *tit.* 9. §. 11. Strick *dict.* §. 14. Nisi fortassis Princeps aliusvè Status Imperij vi specialis Privilegij ab Imperatore indulti Jure legitimandi gaudeat, uti gaudent Archiduces Austriæ D. D. Kieffer *de Domo Habspurgico-Austriaco-Germanica membro* 3. *quæst.* 44. Comes Schwarzenburgicus Thulemarius *in Tract. de Bulla Aur. Argent. &c. cap.* 2. *n.* 4. ac Illustri-

lustrissima Familia Schonborniana, quæ vigore Comitivæ ab Augustissimo Leopoldo Anno 1663. Philippo Erwino Baroni de Schonborn omnibusq; ejus descendentibus masculis clemētissimè concessæ non tantùm legitimare, sed & alios Comites Palatinos creare potest. Hisce privilegiis muniti Principes aliiq; Imperii Status absque dubio per universum Imperium legitimare possunt. Strickius *d. tit.* §. 14.

Quær. *An Princeps liberos proprios legitimare possit?*

Resp. Affirmativè. Ita Covarruv *dict. cap.* 8. §. 7. *n* 49 Bocerus *de Regal. cap.* 2. *n.* 103. Mulz *in Repræsent. Majestat. part.* 2. *cap.* 3. §. 5. Ziegler *de Jur. Majestat. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 12. Schweder *dict. cap.* 16. *n.* 9.

Prob. *arg l.* 3. *C. de natural. lib.* ubi ita habetur: *Indignum est, ut qui sacratissimæ urbis ubere gloriatur, naturales suos non illustris ordine civitatis illuminet.* Et certè si hoc non posset Princeps, liberi ejus forent deterioris conditionis, quàm subditorum, cùm horum non etiam Principis liberi à Principe ingenuis natalibus restitui possent. Confirmatur assertio variis tum antiquis, tum novissimis exemplis. Antiqua recenset Mulz *in Repræsent. Majestat.*

jestat. dict. p. 2. cap. 3. §. 5. Ziegler *de Jurib. Majestat. lib. 1. cap. 10. n. 12. & seq.* Novissima suppeditat aula moderna Regis Christianissimi.

§. III.

De Objecto legitimationis per Rescriptum Principis.

OBjectum hujus legitimationis constituunt liberi naturales, si Princeps utatur potestate suâ ordinariâ *Nov. 74. & Novell. 89. cap. 9. & ult.* qualescunque verò, si extraordinariâ. Struv. *in Syntagm. Jur. Civil. Ex. 3. th. 53.* D. D. Gletle *in Compend. method. Instit. lib. 1. tit. 10. n. 51.* de quo, hodiernis Germaniæ moribus inspectis, tantò minùs dubitandum est, quantò certiùs constat, etiam ipsis Comitibus palatinis ex quacunque prohibitâ conjunctione natos legitimandi potestatem ab Imperatore tribui solere. Strick. *in Vsu mod. ff. ad tit. de his, qui sunt sui vel alien. jur. §. 15.* ubi id per propriam à Leopoldo invictissimo Imperatore Anno 1672. 10. Aug. clementissimè sibi concessam Comitivam confirmat.

§. IV.

§. IV.

De Forma legitimationis per Rescriptum Principis.

FOrma legitimationis hujus desumitur à requisitis, quorum plura sunt.

1. Requiritur, ut filius naturalis non possit legitimari per matrimonium subsequens lege, morte concubinæ, aut alio obstaculo interveniente *Nov. 74. cap 1. & Nov. 89. cap. 9.* hodie tamen, utut concubina superstes sit, duciq; possit, tamen legitimatio hæc concedi solet. Strick. *dict. Tit* §. 17.

2. Requiritur, ut deficiat proles legitima, huic enim in dubio non censetur Princeps præjudicare velle. *Nov. 74. cap. 1. & 2. Nov. 89. cap. 9.* hodie tamen etiam liberis legitimis existentibus illegitimi per Principem legitimari possunt, modò illis in legitima præjudicium non contingat, si enim pater bona, quæ ultra liberorũ legitimam possidet, cuivis extraneo liberè relinquere valeat, quid obstabit, quominus à Principe impetret, ut liberi naturales tanquam legitimè nati in bonis reliquis sint successores. Struv. *in Syntagm. Jur. Civil. Ex. 3. th. 53.* Strickius *dict. Tit. §. 16.*

3. Requiritur, ut vel ipse pater Principi supplicet, vel eo mortuo liberi producto patris

tris testamento paternum liberos legitimandi desiderium edoceant *Nov.* 74 *cap.* 2. 9. 1. *Nov.* 89 *cap.* 9. §. 1. *& cap.* 10. hodie illegitimi sæpiùs ipsi Principem adeunt, & legitimationem patre vel ignorante vel mortuo efflagitant; hujus tamen legitimationis effectus tantùm ad legitimatum restringi, non autem in patris aliorumvè præjudicium extendi debet. Schweder *in Introduct in Jus publ. part. special. sect.* 1, *cap.* 16. *n.* 11. Strickius *d. t.* §. 18. nisi Princeps eum ex plenitudine potestatis legitimaverit Gail. 2 *obs* 42 *n* 5 Zoesius *in Com. ad ff ad tit de concubin. n.* 20

4. Requiritur, ut liberi in legitimationem consentiant, vel adulti facti eandem non revocent, per ea, quæ in sectione præcedente tradidimus.

Quær. *An ad legitimationem filii illegitimi etiam consensus agnatorum & cognatorum requiratur?*

Resp. Negativè Bocerus *de Regal. cap.* 2. *n.* 87 Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. cap.* 54 *n.* 3. tum quia neque *Novell* 74. *neque* 89 quarum utraque de hac legitimatione, ejusque requisitis tractat, ullpiam consensum agnatorum vel cognatorum desiderata; tum quia agnatis & cognatis nullum Jus quæ-

quæsitum est in bonis agnati & cognati adhuc viventis; tum quia pater carens prole legitimâ, universam suam substantiam liberis suis naturalibus, vel ultimâ voluntate, vel actu inter vivos relinquere potest, *Nov 29. cap. 12. §. Si verò filios.* tum denique, quia ad adoptionem agnatorum, cognatorumq; consensu opus non est *l 7 ff. de Adopt.* ergo nec ad legitimationem.

§. V.

De Effectu legitimationis per Rescriptum Principis.

EFfectus hujus legitimationis est vel generalis vel specialis

Effectus generalis est, quod hujus legitimationis adminiculo liberi illegitimi efficiantur legitimi *Nov. 89 cap. 9 in fin.*

Effectus speciales sunt vel affirmativi vel negativi.

Effectus affirmativus primus est, quod legitimati à S Pontifice habilitẽtur ad officia, honores & dignitates Ecclesiasticas, nisi ubi de Jure statutario, aut consuetudine specialiter requiritur, aliquem esse legitimè natum. Hinc taliter legitimati arcentur ab Episcopatibus *cap 7. de Elect. & Elect. potest.* repelluntur itidem à Prætorio Rotæ Romanæ, D D. König *ad Tit. qui filii sint legit part 3 §. 5 ad*

5. ad successionem tamen bonorum patentum non admittuntur, nisi Pontifex temporali suæ Jurisdictioni subjectos legitimet. Zoesius *in Comment. ad ff. Tit de concubin. n.* 16. aut in casu, quo quis non habens superiorem eidem se subjicit, vel Reip. necessitas id postulet, *Cap. novum de Judic.* aut denique nisi S. Pontifex in radice matrimonii dispenset, quod. an, & in quantum possit, latè deducit Sanchez *lib.* 8. *de Matr. Disp.* Barbosa *ad cap.* 13. *qui filii sint legit. n.* 4.

Effectus affirmativus secundus est, quod legitimatus à Principe sæculari idoneus reddatur ad officia, dignitates, opificia &c. nisi speciali statuto & consuetudine obtentum sit, ut quis ex legitimo Thoro procreatus sit. Qua de causa ejusmodi legitimatus Assessoris officio in Camera Imperiali defungi non potest. *Ordinat. Cam. part.* 1. *tit.* 3 §. Deßgleichen 2. *ibi:* Deßgleichen sollen die Beysitzer alle eines ehrbahren Wesens/ auch rechter/ natürlicher/ ehrlicher Geburth seyn. Adde Blumium *in Proceff. Cam. Tit.* 7 *n.* 31.

Effectus affirmativus tertius est, quod Patri succedant in bonis allodialibus, si justi & legitimi liberi deficiant, vel legitimatio facta sit ante legitimè genitos *Novell.* 89. *cap.* 9. §. 1.

Effe-

Effectus negativus primus est, quod non comprehendantur statuto fœminas, masculis extantibus, à successione excludente. Schweder *dict. cap. 16. n. 14.*

Effectus negativus secundus est, quod non excludat substitutum sub conditione: si sine liberis decesserit. Covarruv. *d. cap. 8. §. 2. n. 11.* Myler *in Camolog. cap. 25. n. 1.*

Effectus negativus tertius est, quod arma & insignia familiæ deferre non possit: nisi specialiter ad id habilitatus fuerit, quo casu tamen ei delatio armorum nonnisi cum adjectione Barræ in medio per transversum ductæ competit. Myler *dict. cap. 25. n. 9. & 10.*

Effectus negativus quartus est, quod non admittatur ad Emphyteusin Ecclesiasticam. Covarruv. *dict. cap. 8. §. 2. n. 27.* Julius Clarus *verb. Emphyteusis. Quæst. 31.*

Effectus negativus quintus est, quod non succedat in feudis. §. *naturales 2. Feud. 26.* quoniam Princeps Jus agnatis quæsitum per legitimationem, saltem absque prægnanti causa aufferre non potest. *l. 2. C. de precib. Imperat. offerend. l. 4. & 5. ff. de Nat. restit.* Myler *de Princ. & Stat. Imp. cap. 54. n. 8.* nisi primò pater post legitimationem feudum acquisiverit. Rosenthal *de Feudis cap. 7. concl. 19. n. 6.* nisi secundò speciali Principis privilegio ad feuda legitimatus fuerit. Sixtinus

de Regal lib. 1. cap. 3. n. 34. quod Princeps potest ex causa necessitatis vel utilitatis publicæ. Pruckmann *de absoluta Principis potestate cap. 4.* nisi tertiò feudi Dominus & proximiores agnati, quorum præcipuè interest, consentiant. Simon Van Lewen *in Censur forens. lib. 1. cap. 3. n. 14.* Schvveder *dict. cap. 14. n. 12.*

SECTIO III.

De Legitimatione per oblationem Curiæ.

DEfinitur hæc legitimatio, quod sit actus, quo pater liberos naturales, vel defuncto patre liberi semetipsos Curiæ, seu Ordini Decurionum offerunt, aut quo pater filios fœminis Curialis conditionis copulat. §. *fin. Inst. de Nupt. l. 3. C. de natural. lib. Nov, 89. cap. 2.* cùm enim ferè omnes tum temporis onera Curiæ subterfugiebant, opus erat variis remediis, quibus homines ad ea sufferenda allicerentur, quæ inter non postrema fuit legitimatio per oblationem Curiæ. Verùm hæc hodiè planè ab usu recessit; eoquod homines modò non tam fugiant, quàm precepretioque ambiant Curiæ munera, ita ut non rarò videas plures unius officii procos, quàm

The-

Thebarum portas, & divitis ostia Nili.

licèt sollicitantium pars multa subinde sat improbè sciat, quod ea, quibus tam avidè inhiat, munia,

Non tam ferre queant humeri, quàm ferre recusent.

Cùm igitur legitimatio hæc per oblationem Curiæ à Curia hodierna penitus exulet, non est, quod de ea nobis ulteriùs quidquam curæ sit.

DISSERTATIO VIII.

De

ADOPTIONE.

TErtius modus inductivus patriæ potestatis est adoptio.

§. I.

De Definitione adoptionis.

ADoptio Germ. die Anwünschung der Kinder / oder die Auff- und Annehmung an Kindsstatt definitur, quod sit actus legitimus, quo ii, qui naturâ liberi non sunt,

in locum liberorum assumuntur per *l. 1. & 2. §. 1. ff. de Adopt.*

§. II.

De Divisione adoptionis.

DIviditur Adoptio in adoptionem in specie, & arrogationem *l. 1. §. un. ff. de Adopt.*

Adoptio in specie est, quando filius familias: Arrogatio, quando paterfamilias in filium assumitur. *l. 2. ff. d. tit.*

Adoptio in specie ulteriùs abit in plenam sive perfectam, & minùs plenam sive imperfectam.

Plena, sive perfecta est, cujus adminiculo adoptatus transit in familiam adoptantis, qualis est, quæ fit ab ascendentibus v. g. avo, proavo &c. minùs plena, sive imperfecta est, vi cujus adoptatus non inseritur familiæ adoptantis, cujusmodi est, qui fit ab extraneo, aut fœmina. Dicitur autem hìc extraneus, quicunque non est ex ascendentibus.

§. III.

De causa efficiente adoptionis.

CAusa efficiens adoptionis duplex est remota & proxima.

Causa

Causa efficiens remota adoptionis quoad originem est Jus gentium impropriè tale. Neque enim adoptio apud solos Romanos, sed & apud alias gentes frequentata fuit, uti patet in filia Pharaonis Moysen adoptante. *Exod.* 2. *v.* 10. aliisq; exemplis à Bodino *de Republ. lib.* 1. *cap.* 4. *adductis.*

Dixi adoptionem quoad originem esse Juris gentium impropriè talis, nam ratione formæ, seu quatenus certis legibus est circumscripta, rectè Juris Civilis dici potest.

Causa efficiens proxima adoptionis est adoptans.

Potest adoptare omnis, qui non prohibetur.

Prohibetur autem 1. Filiusfam. cùm enim ipse sit in patria potestate, alium in potestate habere non potest. *l.* 21. *ff. ad Leg. Jul. de adult.*

Prohibetur 2. adoptare, qui nec actu, nec potentiâ generare potest. Ex ratione, quia adoptio naturam imitatur §. 4. *Instit. de Adopt.* hinc spadones adoptare possunt, quia tantùm ob adversam valetudinem, aut vitium quoddam temporale, quod peritiâ Medicorum tolli potest, generare non possunt, castrati verò non possunt adoptare, quia nec per naturam patres esse queunt. §. 9. *Instit. de Adopt.*

Prohibetur 3. adoptare is, qui adoptandum non præcedit plenâ pubertate, id est 18 annis §. 4. *Inst. de Adopt.* quamvis enim quis spectatâ naturâ anno ætatis 14. nuptias inire, eoque tempore jam generare queat, *pr. Inst. de Nupt.* Justiniano tamen plenam pubertatem exigere placuit, eoquod & in aliis leges non ea, quæ perrarò, sed quæ frequentiùs eveniunt, considerent *l.* 3. 4. *& 5. ff de LL.* rariùs autem contingit, ut quis ante plenæ pubertatis ætatem generet.

Prohibetur 4. adoptare tutor vel curator pupillos vel minorennes, necdum rationibus redditis, tum ob rationum intercipiendarum periculum, tum ne sit in potestate tutorum & tutelam finire, & substitutionem à patre factam extinguere, nisi vel naturali cognatione, vel sanctissimâ affectione id faciant *l.* 17. *pr. & §. 1. ff de Adopt.*

Prohibetur 5. adoptare minor 60. annis, quia talis naturali potiùs, quàm Civili generationi studere debet, nisi fortassis adversa valetudo, aut causa similis intercedat, tum enim causâ cognitâ adoptio ei non denegatur *l.* 15 §. 2 *ff de Adopt.*

Prohibetur 6. adoptare is, qui jam habet liberos ex justis nuptiis procreatos, ne vel horum spes diminuatur quam unusquisque liberorum suo sibi parat obsequio, aut, qui

ad-

adoptatus fuit, minus percipiat, quàm dignum erit eum consequi. *l.* 17. §. 3. *ff de Adopt.* nisi fortassis adoptare volens habeat furiosos, mentis exilium patientes, corpore vitiatos, aut degenerantis naturæ liberos, tum enim suadente humanitatis ratione ipsi etiam ad adoptionem decurrere licebit. *arg. l.* 15. §. *ult. ff. de Adopt.*

Prohibetur 7. adoptare is, qui filium semel adoptatum, & iterum emancipatum rursus adoptare cupit. *l.* 37. §. 1. *ff. de Adopt.* & hoc ob levitatem & inconstantiam, quam leges oppidò aversantur.

Prohibetur denique 8. adoptare fœmina, eo scilicet effectu, ut consequatur patriam in liberos potestatem §. 10. *Inst. d. tit.* tum quia adoptio est è censu negotiorum civilium, à quorum exercitio fœminæ penitus arcentur *l.* 2. *ff. de Reg. Jur.* tum quia fœminæ nequidem naturales liberos in potestate sua habere possunt *d.* §. 10. *Inst. de Adopt.*

Hæc tamen Juris Civilis dispositio non stringit Reginas & supremas Principes, ut quæ legibus positivis, præcipuè civilibus Romanis, æque ac alii superiorem non recognoscentes, solutæ sunt. Hinc non obstante lege Romanâ Joanna I. Neapoleos Regina Ludovicum Ducem Andegavensem, Joanna II. ejusdem Neapoleos Regina Alphon-

sum Arragonium rectè adoptârunt. Hornius *in Orbe imperante de Regno utriusque Siciliæ Periodo* 1. *Can.* 5. *ibiq; in notis* Fellerus. Sic quoque Henricus Pomeraniæ Dux à Margaretha Wolmara Daniæ, Sueciæ & Norvvegiæ Regina legitimè adoptatus fuit. Hermes *in Fasc. Jur. publ. cap.* 18. *n.* 14. Schambogen *in Prælect publ. ad Inst. tit. de Adopt.* §. 10.

Quær. *An etiam tota aliqua Respublica quempiam in filium, vel quampiam in filiam adoptare vel arrogare possit?*

Resp Affirmativè. Si enim privata quædam persona hanc adoptandi arrogandivè licentiam obtinet, quidni & tota quædam Respublica ex innumeris quasi personis coadunata? Regium exemplum submininistrat Respublica Veneta, cujus prudentissimus Senatus sagaci plenè consilio Catharinam Marci Cornelij Patricii Veneti filiam, Jacobi Lusignani Cypri Regis viduam paulò post medium sæculi 15. solenniter arrogavit, primitúsque unà cum Catharina Cyprum per tria ferè lustra adversus inimicorum insultus generosè defendit, & administravit: donec tandem, utrùm Jure testamentario, an prævalente potentiâ Venetorum nescio, nam adhuc sub Historicis lis est, Regia hæc insula

plenè

plenè in Venetorum eminens dominium concesserit. Vide Hornium *in Orbe imperante de Italiæ periodo* 2. *Can.* 2. *thiq. in notis* Fellerum. Funccium *in Orbis imperantis Breviario part.* 4 *cap.* 1. *erotem.* 26 quæ etiam in supremo Venetorum Imperio permansit usque ad annum circiter 1570. quo Lunatus Tyrannus ex apertâ Porta Ottomannica magnâ comitante catervâ effusus in Regiam hanc insulam irruit, & centenarios hosce Cypri possessores sub futili planè prætextu rursus exesse commendavit. Confer omninò Funccium *d. cap.* 1. *erotem.* 27.

§. IV.

De Objecto adoptionis.

OBjectum adoptionis est ille, qui adoptari non prohibetur.

Prohibetur 1. adoptari servus §. *ult. Inst. de Adopt.* Si tamen de facto adoptetur, adoptio quidem in ordine ad filiationis effectum inutilis est, manumissionis tamen vim operatur *d.* §. *ult. Instit. de Adopt.* Ratio est tum favor libertatis, tum voluntas domini, qui quem filium facere voluit, multò magis voluit facere liberum.

Prohibetur 2. major adoptari à natu minore, adoptio enim naturam imitatur, pro

monstro autem est, ut major sit patre filius §. 4. *Inst. d. Tit.*

Prohibetur 3. adoptari filius naturalis à patre naturali *l. 7. C. de natural. lib. Novell* 74. *cap.* 3. *Novell.* 89. *cap.* 11. §. 2. ne sic videatur foveri libido paterna.

Prohibetur 4 Quis adoptari in fratrem *l. 7. C. de Hæred. instituend.* quia naturæ, cujus imitatrix adoptio est, repugnat, ut à fratre frater generetur.

Prohibentur 5. plures adoptari ab uno, nisi justa causa id tuaserit. *l.* 15. § *ult ff. de Adopt.*

§. V.

De Forma adoptionis.

FOrma adoptionis est vel communis & adoptioni in specie & arrogationi: vel utrique propria.

Forma utriq; speciei communis est, quod requiratur consensus eorum, quos negotium principaliter concernit, scilicet adoptantis & adoptandi *l. 5. & 24. ff. de Adopt.* cum hoc tamen discrimine, quod in arrogatione necessarius sit consensus expressus, in adoptione verò sufficiat tacitus *d. l. 5. ff. de Adopt.*

Forma adoptionis in specie est, quod intervenire debeat authoritas Magistratûs, apud quem legis actio est. §. 1. *& l. 4 ff. de Adopt.*

dopt. hodie coram quovis Magistratu ordinariam Jurisdictionem habente adoptio fieri potest. Strickius *in usu mod. ff. Tit. de Adopt.* §. 5. Hoppius *in usu hodierno* §. 1. *Inst. eod. Tit.*

Arrogatio est vel puberis vel impuberis.

Forma utrique arrogationi communis est, quod intervenire debeat authoritas Imperatoris, & causæ cognitio cum consilio propinquorum, ac consensu tutoris vel curatoris. §. 1. *Inst. l. 2. ff. in Princ. l. 8 ff. l. 2. pr. C. de Adopt. l. ult. C. de Auth. præstand.* hodie, quantum ad arrogationem attinet, in Romano-Germanico Imperio non ampliùs necessaria est Imperatoris authoritas, sed Electorum, Principum, aliorumque Imperij Statuum confirmatio sufficit, ob superioritatem, quâ hi gaudent, territorialem. Quin & Comites Palatini hodie ex speciali concessione arrogationes confirmare possunt. Strickius *d. tit.* §. 3. & 6. Hoppius *ad d.* § 1.

Forma arrogationi impuberis propria est, quod requirat satisdationem, cujus duo sunt capita. Vigore primi capitis cavere debet arrogator, quod, arrogato ante annos pubertatis mortuo, velit omnia ab ipso allata bona restituere illis, ad quos arrogatione non factâ fuissent perventura. §. 3. *Inst. de Adopt. l. 18. 19. & 20 ff. eod.* Ratio est, quia si ipse arro-

arrogator succederet defuncto impuberi à se arrogato, hac spe inescatus facile insidias struere potuisset vitæ impuberis, nam

Auri sacra fames quid non mortalia cogit
Pectora?

quod non metuendum erat in illo, ad quem nihil de bonis pupilli ante pubertatem mortui esset perventurum. Secundò cavere debet arrogator, quod arrogato, si eum absq; justa causa emancipaverit, vel exhæredaverit, præter bona ad se perlata, relinquere velit quartam suorum bonorum. §. 3. *Inst. de Adopt.*

§. VI.

De Effectu adoptionis.

EFfectus adoptionis alius est, si est adoptio in specie: alius, si arrogatio.

Effectus adoptionis perfectæ est, quod ex parte adoptantis operetur patriam potestatem §. 2. *Inst. & l. pen. in pr. C. de Adopt.* cùm hoc in casu & naturalia cognationis & civilia adoptionis Jura in unam eandemque personam concurrant.

Effectus adoptionis imperfectæ est, quod adoptatus patri adoptivo succedat ab intestato, si adoptio ad mortem adoptantis perduraverit, patriam potestatem autem non

ope

operetur. Colligitur ex §. 2. *Inst. de Adopt. &* §. 8. *Inst quib. mod. solv. patr. potest.*

Effectus arrogationis est, quod per illam arrogatus unà cùm liberis & bonis suis transeat in potestatem arrogatoris §. *pen. Inst. de Adopt. l.* 2. § *ult. l.* 15. *in pr. l.* 40. *in pr. ff. de Adopt.*

Quær. I. *An adoptatus etiam in regnis succedat?*

Resp. Negativè. Et hoc ideo, quia *primò* adoptivus non succedit in feudis §. *adoptivus* 2. *feud.* 26. *Secundò* non facit corruere fideicommissum, si pater ita instituit filium hæredem: filius meus emancipatus hæres esto, & si sine liberis decesserit, restituatur hæreditas Mævio. Licet postea filius quempiam adoptaverit, nihilominus fideicommissum valebit. *l.* 76. *ff. de Condit. Instit. Tertiò* non gaudet Jure retractûs Tiraquellus *du Droit de Lignage* §. 1. *Gloss.* 8. *n.* 26. ergo multò minùs Jure in regna succedendi gaudebit.

Dices: Julius Cæsar Augustum, Augustus Tiberium, Tiberius Caligulam, Claudius Neronem, Galba Pisonem, Ludovicus Hungariæ Rex ex fratre Nepotem Carolum Sigismundum in regnorum successores adoptâ-

optârunt, referent Speidelio *in speculo Juridico-politico-historico-philologicarum observationum*, *voce* angewunſchte Kinder. Ergo. *Resp.* cum eodem Speidelio *d. l.* talia facta fuiſſe, fieriqúe etiamnum in regnis electivis, aut Hæreditariis, deficiente familiâ regiâ, cum conſenſu Statuum, qui abſque dubio, etiam non factâ adoptione, hos ad thronum elevare potuiſſent.

Inſtas cum eodem Speidelio *d. l.* Micipſa Numidarum Rex, dum Jugurtham adoptaret, legitimam habuit prolem, nec Claudio Neronem adoptanti deerant utriusque Sexûs liberi ex juſto matrimonio procreati. Ergo, *Reſp.* cum Hermanno Hermes *in Faſc. Jur. publ. cap.* 18. *n.* 14. quædam vi & armis, quædam verò liberæ aſſumptioni eorum, quibus Jus aſſumendi competebat, ut Senatui Populoqúe Romano, vel exercitui, tribuenda.

Quær. II. *An adoptatus ignobilis à nobili fiat nobilis?*

Reſp. Affirmativè, inſpecto Jure Civili, ſi quis ab aſcendente adoptatus, vel ab extraneo arrogatus fuerit. Ita Wiſſenbach *ad ff. Vol.* 1 *Diſp.* 4 *th.* 35. D. D. Gerle *part.* 1. *ſelect. quæſt.* 11. *n.* 6. D. D. Franz *in Prodrom. Juſtit.*

stin. lib. 1. *Tit.* 11. *n.* 13. Hoppius *in Comment. ad Inst. Tit. de Adopt* §. 8.

Prob. 1. Adoptio perfecta (idem dixeris de arrogatione) tribuit Jura familiæ & consanguinitatis *l.* 23. *& l.* 44. *ff. de Adopt.* Ergo etiam nobilitatem.

Prob. 2. Per adoptionem quæritur dignitas patris adoptivi *l.* 13 *ff. eod. l* 5. *&* 10. *ff. de Senator. l.* 4. *Cod. de Decurion.* Ergo etiam nobilitas

Prob. 3. Fœmina plebeia ducta à nobili efficitur nobilis *l.* 13. *C. de Senator.* Ergo & plebeius adoptatus à nobili nobilis efficitur. Ideo enim fœmina talis efficitur nobilis, quia transit in familiam mariti: ergo idem dicendum est de plebeio, cùm & hic transeat in familiam patris adoptivi.

Dixi inspecto Jure Civili ejusmodi adoptatum vel arogatum nobilitari. Nam moribus ejusmodi adoptatus nullatenus nobilitatem consequitur, cùm nobilitas non amplius familiæ quà tali cohæreat, sed sanguini, cum quo ex speciali Imperatoris Privilegio, interveniente legitimo matrimonio, ad posteros propagatur, ut constat ex consueta nobilitandi formula: So haben wir ꝛc. gedachte N. N. sambt seinen ehelichen Leibs-Erben ꝛc. zu ewigen Zeiten in den Stand und Grad deß Adels ꝛc. erhebt / darzu gewürdiget / ge-

schöpfft /

schöpfft/geadelt/ &c. Add. Struvius *in Syntagm. Jur. Civil. Ex. 3. th. 65.* Strick. *in usu mod. ff. Tit. de Adopt. §. 8.* Hoppius *in usu hodierno d. §. 8 Inst. de Adopt.*

Et hæc de Adoptione. Cùm autem adoptioni affinis sit unio prolium. Hinc sit

DISSERTATIO IX.

De

UNIONE PROLIUM.

§. I.

De Definitione Unionis prolium.

UNio prolium, quæ alias etiam parificatio, pariatio, conjunctio prolium, adfiliatio &c. Germanicè ein Kindschafft appellatur; definitur à Strickio *in usu mod ff. Tit de Adopt. §.* 10. quod sit conventio parentum de liberis diversorum matrimoniorum ratione successionis exæquandis, ut tam quoad patrem, quam matrem pariter censeantur, ac si ex eodem matrimonio prognati essent.

§. II

§. II.

De Causa efficiente unionis prolium.

CAusa efficiens unionis prolium sunt consuetudines particulares locorum, atque statuta provincialia passim in Germania vigentia. Et licet Gailius 2. *obs.* 125. *in Pr.* asserat, uniones prolium passim in Germania aliisq; provinciis consuetudine receptas, vel statutis comprobatas esse, id tamen non ita accipiendum est, ac si notoriâ, ac universali Germaniæ consuetudine, quam probare necesse non sit, ubique locorum hæ liberorum pariationes introductæ sint, sed quod in multis Germaniæ provinciis per statuta, aut consuetudinem particularẽ uniones hasce pangendi subditis facultas concessa sit, ut proinde sub prætextu unionis prolium unà cum aliis liberis parentum hæreditatem prætendens probare debeat, hujusmodi parificationem liberorum juxta loci, ubi celebrata dicitur, statuta aut consuetudines receptas fuisse initam. Struvius *in special. dissertat. de Vnione prolium cap.* 2. § 5. potuisse autem ejusmodi uniones prolium legitimè introduci, vel exinde constat, quod vergant in finem & effectum concordiæ fraternæ, ac conjugalis

amoris nutrimentum. Adde omninò Gilken *de Præscript. part. 3 cap. 3. n. 67.* Gailium 2. *obs. 125. n. 5.* Rickium ab Arweyler *de Vnione prolium cap. 3. n. 42. & seq.* Struvium *d. cap. 2. §. 6. & seq.* D. D. Demeradt *in Fascic. different. Jur. Comm. & Francon. part. 4. different. 6. n. 5.* Schilter *Exercit. 3. ad ff. §. 17.*

§. III.

De Subjecto unionis prolium.

SUbjectum unionis prolium est vel activum, vel passivum.

Subjectum activum unionis prolium sunt personæ, quæ possunt hanc prolium unionem inire. Possunt autem omnes pactum hoc unionis & circa prioris, & circa posterioris matrimonii liberos conficere, idq; sive contracturi jam ambo ex prioribus diversis thoris liberos habeant superstites, sive alteruter tantùm, qui valido inter se matrimonio conjungi possunt. Rickius *de Vnione prol. cap. 4. n. 1.* Struvius *Tract. eod cap. 2. §. 1.* Ineunt autem hæc unionum fœdera potissimum ignobiles, nam inter Principes, Comites, aliosq; illustres utplurimùm obtinent Jura primogenituræ, prærogativæ majoratuum, fideicommissa gentilitia &c. quibuscum unio prolium vix in eadem sede morari potest.

Sub-

Subjectum passivum unionis prolium sunt liberi diversi matrimonii uniendi in ordine ad æqualem successionem parentum.

Quær. *An & liberi naturales tantùm veniant in unionem prolium, si jam extent liberi legitimi & naturales simul?*

R. *Esp.* Negativè quoad patrem, ex ratione, quia pactum hoc cederet in præjudicium liberorum naturalium & legitimorum simul jam Jus quæsitum habentium.

Aliud dicendum de matre, ut quæ sive legitimos jam liberos habeat, sivè non, de naturalibus liberis unionem rectè instituit, & si simpliciter in unionis instrumento filiorum meminerit, naturales quoque intellexisse indubitatum est, quia respectu ejus neutri liberorum generi præ altero prærogativa quædam est, aut ulla differentia *l.* 1. §. 2. *ff. ad SCtum Tertyllian. & Orphitian.* matrique, etiam legitimis liberis extantibus, filius naturalis succedit. *l.* 2. & 8 *ff. unde cognati l.* 5. *C. ad SCtum Orphit.* Rickius *de Unione prol. cap.* 4. *n.* 11. & 19. Struvius *Tr. eod. cap.* 3. §. 1. 2. & 3.

§. IV.

De Objecto unionis prolium.

OBjectum unionis prolium sunt illa bona, quæ vi unionis hujus veniunt communicanda, & æqualiter dividenda. Veniunt autem communicanda & æqualiter dividenda, quæcunque ex successione respectivè paterna & materna liberis sunt acquisita, quæ verò Jure communi ab onere conferendi exempta sunt, quæque filij unione etiam non factâ, in successione parentum haberent præcipua, ea quoque stante unione præcipiunt, nec unitis fratribus communicare tenentur. Hinc feuda, majoratus, primogenituræ, quæ regulariter à conferendi onere immunia sunt cùm non judicio parentum, sed Principis seu legis providentiâ & primi acquirentis ad liberos pertineant *arg. l. 22. §. 1. ff. de Adopt.* in unionem prolium non veniunt. Idem statuendum de peculio adventitio, castrensi & quasi castrensi, cùm nec hæc collationi obnoxia sint. *l. 1. §. 15 ff. de Collat.* Adde Rickium *de Vnione prol. cap. 5. n. 1. 2. & 3.* Struvium *de Vnion. prol. cap. 3. §. 5. & seq.*

(o)

quær.

Quær. *Quid dicendum de expensis à patre ob studia filiorum unitorum erogatis?*

Resp. Cùm sumptus studiorum regulariter collationi non subjaceant, in unionem prolium non veniunt, modò sint moderati, si verò justi moderaminis limites excedunt, parentumq; patrimonium notabiliter minuunt, utique eorum per collationem ineunda est ratio *arg. l.* 20. §. 1. ibi: *ne ex eo injustum oriatur. C. de Collat.* Si enim Germani fratres ex communi DD. assetto sumptus studiorum, si ad tantam summam ascendant, ut reliquis non maneat salva legitima, conferre debeant, cùm tamen ex legum dispositione succedendi commodum inter eos invicem obtineat, multò magis idipsum inter fratres unitos obtinebit, ut qui regulariter vi unionis sibi invicem non succedunt. Accedit, quod hoc in casu Vitricus & Noverca liberorum adscitorum negotium potiùs gerere, quàm ex suis donare voluisse præsumantur. *arg l.* 34. *ff. de Negot. gest.* & hoc tantò magis, cùm communis hominum opinio contra Vitrici & Novercæ benevolam in liberos privignos inclinationem militet, juxta illud:

Vix Vitricus bonus quis est, aut si contigit unquã.
Nulla Noverca bona quæ
Nescio, quo fato res mala facta bona est.

Adde Rickium *de unione prol. cap 5. n. 19.* Struvium *de union. prol. cap. 3. §. 7. & seq.*

§. V.

De Forma unionis prolium.

FOrma unionis prolium desumitur à requisitis.

Requiritur autem 1. consensus non tantùm parentum unientium, liberorumq; uniendorum, sed & tutorum curatorumvè: ac cognatorum. *arg. l. 8 ff & l. 2. C. de Adopt.* Gilcken *de præscript. part. 3. cap. 3. n 77. & 78.* Wehner *in Consil. Francon. 66 n. 1.* Rickius *d. cap. 6. n. 8. & 19.* Strickius *in usu moderno ff. Tit. de Adopt. §. 10.*

Requiritur 2. ut adeatur Judex *arg § 1. Instit de Adopt.* Gilcken *d. part. 3 cap. 3. n. 80.* Gail. *2. obs. 125. n. 5.* Struvius *de unione prol. cap. 4. §. 5.*

Quær. I. *Quis Judex adeundus sit?*

QUamvis non desint, qui existiment, hic sufficere quemcunque Judicem ad exem-

emplum actuum voluntariæ jurisdictionis, quos coram quocunque Judice expediri posse, notissimum est, crediderim tamen hìc competentem Judicem eligi debere, neque enim actus unionis est jurisdictionis voluntariæ simplicis, sed mixtæ & qualificatæ, cùm non vulgarem sed exactam causæ cognitionem requirat, cujusmodi actus absque dubio Judicis competentiam exigunt. Gail *d. obs.* 125. *n.* 5. Besold *in Thesaur. pract. voce* Ein-Kindschafft. Rickius *de unione prol cap.* 6. *n.* 4. Struvius *d. cap.* 4. §. 5. Hoppius *ad usum hodiernum princ. Instit. de Adopt.* Strickius *d. T.* §. 12.

Quær. II. *Quidsi personæ unientes & uniendæ ratione domicilii & rei sitæ diversis Magistratibus subsint?*

R*Esp.* Tutiùs hic adiri utrumque Judicem, diversimodè tamen, ita ut coram Judice domicilii Vitrici, cujus forum uxor sequi tenetur, principaliter unio conficiatur, Judex autem rei sitæ subsidiariè tantùm & ad pleniorem informationem, cujus scilicet pretii & valoris sint bona privignorum, adhibeatur. *arg l fin. in fin. C. ubi de ratiocin. agi oportet.* Rickius *de union. prol. cap.* 4. *n.* 33. *& seq.* Struvius *Tr. eod. cap.* 4. §. 3 *&* 4.

Requiritur 3. Exacta judicialis cognitio, ubi sedulò utriusque parentis ac prolium facultates excutiendæ, & num expediat ejusmodi unio, inquirendum. *arg. l. 17. in pr. & §. 2. ff. de Adopt.* Gailius *d. obs.* 125. *n.* 5. Gilcken *d. part.* 3. *cap.* 3 *n.* 81. VVehner *d. Consil. Francon.* 66. *n* 1 Rickius *d. Tr. cap.* 6. *n* 12 *& seq.* Schilter *Ex. ad ff.* 3. §. 18.

Requiritur 4. Magistratûs Ordinarii confirmatio Gailius *d. obs.* 125. *n.* 8. Gilcken *d. part.* 3 *cap.* 3 *n* 81. Rickius *d. cap.* 6. *n.* 43. Strickius *d. T.* § 11. Hoppius *in Vsu hodierno d. princ. Instit. de Adopt.*

Requiritur denique 5. Ut hujus comparationis tenor actis publicis insinuetur *arg. l.* 4. *& ult. C. de Adopt.* Gail *d. n.* 8. VVehner *d. Consil. Francon.* 66. *n.* 1. Rickius *d. cap.* 6. *n.* 30. Struvius *d. Tr. cap.* 4. §. 11.

His omnibus concurrentibus unio proliũ, nisi per statuta aut consuetudines provinciales aliud introductum sit, plenum vigorem obtinet, nullius autem momenti est, si vel unum ex his requisitis deficit, tum quia quoties plura copulativè exiguntur, omnium complementum requiritur, nec sufficit unius partis adimpletio *l.* 129. *ff. de V. O. l.* 5. *ff. de Condit. Instit.* tum quia qualitas requisita non potest à facto principali abesse. *arg. l.* 7. §. 2. *ff. quib. ex caus. in poss. eatur.* tum deniq; quia

in

in causa unionis majus vertitur periculum propter pacta futuræ successionis utroq; jure improbata *l. ult. C. de Pact. cap. 2 de Pact. in 6.* & ideò cautiùs agendum, ne liberi primi vel secundi matrimonij indebitè damnum sentiant. Gail. *d. obs.* 125. *n.* 8. 9. & 10. VVehner *d. Consil. Francon.* 66 *n.* 2. 3. 4. & 5. Struvius *de unione prol. cap.* 4. §. 15.

Per ordinationem provincialem Franconicam tripliciter, scilicet in ipso matrimoniali contractu, vel extra matrimonium per pacta & transactiones, vel stante contractu nuptiali coram Judicio provinciali vor dem Kayserl. Land-Gericht liberorum comparationem inire licet. Kayserl. Land-Gerichts-Ordnung deß Hochstifft Würtzburg *part.* 3. *Tit.* 108. §. *ult.* habetq; quilibet uniendi modus formam suam peculiarem & singularia requisita, de quibus videri potest die Kayserl. Land-Gerichts-Ordnung *d. part.* 3. *Tit.* 109. 110. & 111. Illud tamen cuivis uniendi modo commune est: quòd primò super quacunque comparatione liberorum vel proclama, si propinqui sub Jurisdictione provinciæ sint, & Parochos habeant; sive denuntiatio, si nimirum propinqui sint extra territorium, vel sint quidem in territorio, sed Parochis careant. Land-Gerichts-Ordnung *d.*

part. 3. Tit. 113. §. 1. *&* 2. Quod secundò omnes prolium uniones vel faciendæ sint coram Judicio provinciali, vel apud inferiorem Magistratum factæ à Judicio provinciali confirmandæ sint. Land-Gerichts-Ordnung *d. part. 3. Tit* 114. §. 1. *&* 2. Quod tertiò Protocollo Judicij provincialis inseri debeant, ut earundem exemplaria partibus imposterum fortè petituris communicari valeant. Land-Gerichts-Ordn. *d. Tit.* 114. §. *ult.*

§. VI.

De Effectu Unionis prolium.

EFfectus unionis prolium primus & primarius est, quod liberi uniti, ad parentum successionem admittantur æqualiter, ac si ex eodem patre & matre nati fuissent. Rickius *de Vn. prol. cap. 7. n.* 1. Struvius *Tr. eod. cap.* 5. §. 1. Strickius *d. Tit. de Adopt.* §. 13.

Quær. 1. *Quid juris si liberi primi vel secundi matrimonii, quorum numerus jam certus & definitus est, cessetq; spes suscipiendi plures liberos, sint facultatibus & fortunis majores?*

RESP. Hoc in casu in plerisq; civitatum & Pro-

Provinciarum Reformationibus, maximè in Jure statutario Ducatûs Franconiæ dispositum est, ut liberis hujus vel illius matrimonij ditioribus præcipuum aliquod (Germ. Vorauß) sive jam hoc consistat in quantitate pecuniariâ, sive specie quadam, ut fundo, domo &c. Assignetur & ante divisionem bonorum cum unitis fratribus factam ab iis præcipiatur Land-Gerichts-Ord. *d. part.* 3. *Tit.* 121. §. 1. *& seq.* Schilter *Ex.* 3. *ad ff.* § 15. D. D. Demeradt *in Fasc. different. Jur. Commun. & Franc. part.* 4. *different.* 6. *n.* 45. ubi plures Provinciarum, Civitatumq; similes ordinationes recenset.

Quær. II. *An vi unionis juxta regularem ejus naturam existente casu parentes succedant liberis?*

Resp. Negativè, & hoc *primò arg. l. pen.* §. 1. *& 2. C. de Adopt. Secundò* quia licet Successio regulariter sit reciproca, fallit tamen in conventionali, nisi specialiter id expressum sit. Betsius *de Pact. famil. illustr. cap.* 5. Strickius *d. Tit. de Adopt.* §. 14. *Tertiò* Pactum hoc est stricti Juris, quia est contra Jus commune, ergo ad casus non sigillatim expressos extendi nequit. *Quartò* Parentes tanquam arbitri hujus actûs clariùs utrumque successionis

onis

onis eventum exprimere debuissent *arg l 33. ff de contrah. Empt. l. 39. ff. de Pact.* quod cùm non fecerint contra eos facienda est interpretatio *arg cap. 57. de R. J. in 6. Quintò* denique per pactum hoc parificationis non parentum, sed liberorum unio efficitur es wird ein Ein-Kindschafft / nicht aber eine Ein-Vatterschafft auffgericht et Ergo. Adde Betsium *de Pact. Famil. illustr. d. cap. 5.* Strickium *d Tit. §. 14.*

Jure provinciali Franconico parentes per comparationem prolium facti liberis unitis, æq; ac naturalibus & legitimis simul succedunt, si iis necdum dederunt legitimam, secus si dederunt Land-Gerichts-Ord. *part 3. Tit. 85. §. 1. & 2.*

Quær. III. *An liberi uniti vi unionis simpliciter conceptæ sibi invicem succedant?*

Resp. Negativè. Rickius *de Vnione prol. cap. 7. n. 4.* Knipschild *de Fideicommiss. Famil. illustr. cap. 8. n. 433.* Struvius *de Vnione prol. cap. 5. §. 2.* Strickius *d. Tit. §. 14.* & hoc ob motiva sequentia.

1. Quia unio hæc prolium non confraternitas, sed adfiliatio nit Ein-Brüderschafft / sondern Ein-Kindschafft appellatur. 2 Quia casus omissus non continetur sub expresso,

sive

sive omittatur à Canone, Lege, vel Statuto. *cap. 21 de Jurejur.* sive à paciscente *l. ult. C. de Pact. convent. tam super dote.* Præcipuè si pactum, ut unionis est, sit stricti Juris. 3. ut pactum de futura successione in bona alterius valeat, necesse est, ut is, de cujus hæreditate agitur, expressè consentiat *l. fin. C. de Pact.* atqui hìc fratres in mutuũ futuræ successionis pactum non expressè consenserunt. 4. Non debet adstrui fictio fictionis absque expresso textu, atqui sententiâ contrariâ admissâ daretur fictio fictionis, præterquam enim, quod liberi uniti fingerentur esse legitimi parentum unientium liberi, fingeretur quoque fratres inter se unitos esse fratres germanos. Ergo.

Jure provinciali Franconico liberi uniti mortuis parentibus, vel his etiam adhuc viventibus, modò à parentibus divisi sint, suaque bona adhuc indivisa possideant, exclusis agnatis & cognatis, sibi invicem succedunt. Land-Gerichts-Ord. *part.* 3. *Tit.* 119. § 13.

Quær. 4. *An pactum unionis inducat patriam potestatem?*

R *Esp.* Negativè. Rickius *de Vnione prol. cap.* 8. *n.* 1 *& seq.* Strickius *d. Tit.* §. 15. Ex ratione, quia patria potestas non privatâ con-

conventione, sed modis Jure Romano receptis acquiritur, nisi statutum unionem prolium confirmans patriam potestatem comprehendat, uti comprehendit ordinatio politica Ducatûs Franconici Land-Gerichts-Ordnung *part.* 3. *Tit.* 118. §. 2.

§. ult.

De Contrariis unionis prolium.

COntraria unionis prolium sunt modi, quibus iterum dissolvitur.

Dissolvitur autem 1. Dissensu eorum, per quos facta est *l.* 35 *ff de R. J.* VVehner *in Consil. Francon.* 69 *n* 4. Rickius *de Vnion. prol. cap.* 10. *n.* 32. Struvius *Tr. eod. cap.* 7. *in pr.* Strickius *d. Tit.* §. 16.

Dissolvitur 2. Per actualem divisionem bonorum inter parentes & liberos factam durch die Grund-Theilung. Land-Gerichts-Ord. *d. part.* 3. *Tit.* 119. §. 12. & 13. VVehner *in Consil. Francon.* 94. *n.* 2. Struvius *d. cap.* 7. *in pr.* DD. Demeradt *in Fascic. different. Jur. Commun. & Francon. part.* 4. *diff.* 6 *n.* 62.

Dissolvitur 3. Per mortem conjugum, imo etiam unius exconjugibus, VVehner *in Consil. Francon.* 69. *n.* 7. Struvius *d. cap.* 7. *circa medium* & quidem digressione ad secundas nuptias necdum factâ in tantum, ut proprie-

tas

tas bonorum pro rata possessione statim ad liberos transmittatur, relicto usufructu superstiti parenti, quamdiu in viduitate permanet; si verò conjux superstes ad secunda vota deproperet, unio prolium penitus extinguitur. VVehner & Struvius *dd. LL.*

Jure provinciali Franconico, licet parentes mortui sint, aut à vivis parentibus liberi suam acceperint legitimam, inter liberos tamen unio prolium perdurat, quamdiu stant in communione bonorum Land-Gerichts-Ord. *d. Tit.* 119. §. 13.

Dissolvitur 4. Morte omnium liberorum unitorum. Est enim primarius finis parificationis prolium, ut fictitij liberi fictitiis parentibus ex æquo succedant, qui utpote cessat, filiis hisce defunctis, cessante proinde fine principali unionis, & ipsa unio cesset, oportet. D. D. Demeradt *d. part.* 4. *differ.* 6. *n. ult.*



DIS-

DISSERTATIO X.

De TUTELA in GENERE.

SECTIO I.

De Definitione, Divisione, Causa efficiente, Subjecto, Objecto, & Forma Tutelæ.

§. I.

De Definitione Tutelæ.

DEfinitur Tutela, quod sit vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, Jure Civili data ac permissa. §. 1. *Instit. & l.* 1. *ff. de Tutel.*

§. II.

De Divisione Tutelæ.

TUtela dividitur 1. à causa efficiente proxima

mâ in testamentariam: legitimam & dativam. *l.* 52. *C. de Episcop. & Cleric.* Testamentaria est, quæ à testatore in testamento: legitima, quæ immediatè à sola lege: dativa, quæ à Magistratu defertur. Hanc autem Jure Civili privato inductam tutelæ divisionem etiam inter Principes politicos (quid circa Electores sæculares hac in re statuti sit *Dissertatione sequenti Sectione* 1. §. 1. exponemus) obtinere, inde patet, quod circa eorum tutelam nec in Jure publico, nec feudali quicquam peculiare dispositum reperiatur, neque etiam per consuetudinem contrariam aliquid novi introductum sit, ergo & ab his dispositio Juris Civilis hoc in passu ceu filum quoddam Theseum, observanda erit. D. à Puhel *de Tutel. Elector. Princip. aliorumq. Imp. Stat. cap.* 3. *n.* 18.

Dividitur 2. Tutela à fine in onerariam, honorariam, & notitiæ causâ, *l.* 14. § 1 *ff de Solut.* Tutela oneraria est, quæ administrationis onus adjunctum habet; honoraria, quæ non tam oneris, quàm honoris gratiâ imposita est, ad aliorum administrationem gnaviter observandam, curandumque, ne quid damni pupillus inde sentiat, hinc & honorarius tutor in vernacula nostra ein Ober-Vormunder / Ober-Vogt / vocitatur, eo quod cæterorum administrantium tutorum

velut censor quidam, inspector & custos sit. Officium ejus, uti & pœna neglecti muneris breviter describitur *in l. 3. §. 2. ff. de Administ. & Peric. tutor.* Tutela notitiæ causâ est, quando quis eo fine datur tutor, ut tutores alios instruat & informet. Schuz *in Compendio Lauterbach. ff. Tit. de Tutel.*

Dividitur 3. Tutela à subjecto activo in regularem & irregularem. Regularis est, quæ servato Juris communis ordine defertur masculis; irregularis, quæ contra communem Juris ordinem defertur fœminis. Ideo irregularis dicta, quia tutela plerumq; virile munus est, & ultra sequioris sexûs capacitatem. *l. 1. C. quando mulier tutor. offic. fung. l. 16. ff. de Tutel.*

§. III.

De Causa efficiente Tutelæ.

CAusa efficiens tutelæ duplex est, remota & proxima.

Causa efficiens tutelæ remota est Jus. Sed

Quær. *Quale?*

R*Esp.* 1. Tutela non est Juris naturalis propriè talis. Probatur inde, quod ea duntaxat sint Juris naturalis propriè accepti, quæ habent evidentem, necessariam, & immutabilem veritatem honestatis, ita ut oppositum

tum essentialiter & manifestè turpe sit, ut ex alibi dictis hic supponimus. Sed habere tutorem non videtur esse essentialiter & evidenter honestum, nec oppositum ejus, carere scilicet tutore, necessariò & intrinsecè turpe; cùm non appareat sufficiens ratio hoc asserendi. Ergo.

Resp. 2. Tutela non est Juris gentium strictè dicti. Prob. Illud est Juris gentium stricte dicti, quod constitutum est à gentibus proximè & primariò ad salutem, felicitatem & convenientem communicationem gentium, quà talium, ut alibi fusiùs deduximus; sed tutela non est constituta proximè & primariò pro bono gentium quà talium, sed regulariter pro commodis privatis pupillorum, ut ex fine tutelæ manifestum est. Ergo.

Resp. 3. Potest tamen tutela referri & ad Jus Naturæ, & Gentium (si utrumque sumatur latiùs) & Civile regulariter privatum *ad Jus Naturæ*. Patet ex §. *pen. Inst. de Attil. tut.* ibi: *impuberes autem in tutela esse Juri Naturali conveniens est: ut is, qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutelâ regatur.* *Ad Jus gentium.* Quia teste Hahn *ad VVessenbec. Tit. de Tut. n 3.* Tutela apud omnes; aut ferè omnes gentes, & nominatim apud Hebræos, Græcos, VVisigothos, Longobardos, Burgundiones & alios in usu fuit. Denique *ad Jus Civile regulari-*

ter privatum, eo quod Jure hoc determinatum sit, quis sit dandus tutor, à quo, & cui, & quomodo, & quousque. Ergo.

Dixi ad Jus Civile regulariter privatum. Excipiuntur tutelæ Electorum, Ducum, Principum, Comitum, aliorumque Imperii statuum, quæ, quia immediatè Reipublicæ salutem, & felicitatem respiciunt, meritò ad Jus publicum reducuntur.

Causa efficiens proxima tutelæ est Testator, Lex, Magistratus. Testator testamentariæ, lex legitimæ, dativæ Magistratus.

§. IV.

De Subjecto Tutelæ.

SUbjectum Tutelæ duplex est, activum & passivum.

Subjectum tutelæ activum est tutor à tuendo sic dictus Germanicè ein Vormund/ Pfleg-Vatter/ Pfleg-Vogt/ Treuhalter/ Gerhaber ꝛc. Alias etymologias, vel allusiones potiùs peperit abusus & prava muneris hujus administratio, ex quibus tutores nonnullis dicuntur tollitores, nempe bonorum pupillarium, in vernacula nostra Gerhaber/ weilen sie der Pupillen Guth gern selber haben. Item Vormund/ quasi die vor dem Mund denen Pupillen das Brod hinweg nehmen.

men. Unde quidam non inscitè: Es machen es die Vormund/ daß dem Nachmund nicht viel übrig bleibt. Hinc quoque in proverbium abiisse videtur: Pfleger Treu würd nimmer new. Item sie haben Säugamen Arth an sich. Item es würd selten ein guter Vormunder gebohren/ &c. Wehner *in Obs. pract. voce* Gerhab. Harprecht *ad §. 2. Inst. de Tutel n. 5.* Naurath *in Addit. ad Zoesij commentarium ff. Tit. de Tutel.* Verùm noverint ejusmodi rapaces harpyæ, Deum aliquando severissimum vindicem fore injuriarum pupillarium, audiant & simul exhorrescant furorem Divini Numinis *Exod. 22. v. 22. & seq.* has ultrices omninò voces exspuentis. *Viduæ & pupillo non nocebitis, si læseritis eos, vociferabuntur ad Me, & Ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamq; vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli &c.* omni sanè irâ & indignatione prægnantia verba!

Describitur Tutor, quod sit persona libera, habens vim ac potestatem tuendi personam, & bona ejus, qui ipse ob ætatem se suaque defendere nequit. §. 2, *Inst. de Tutel.*

Quær. *Quisnam possit esse Tutor?*

R*esp.* Omnis, qui non prohibetur *arg. l. 1. §. 1. ff de Testib.*

Prohibetur autem 1. Furiosus & mente captus pro tempore exulantis rationis *l. 11. & l. 17. ff de Tutel.*

Prohibetur 2. Mutus *l. 1. §. 2 ff de Tutel.* Ratio est, quia authoritatem præstare non potest. *d l. 1 §. 2 ff. de Tutel.*

Prohibetur 3. Surdus *d. l. 1. §. fin. ff. de Tutel* Ratio est, quia non tantùm loqui, sed & audire tutor debet ad cavendas fraudes, quibus hæc ætas exposita est, ac elidendas, eludendasque insidias, quibus suppositа est.

Prohibetur 4. Cæcus *l. 3. C. qui dare Tutores.* Ratio est, quia cæcum in rebus gerendis multa fugere possunt, ut non facilè intelligat quâ mente, quâve fide quid geratur, adeoque quid in eo probare, quid improbare debeat.

Prohibetur 5. Perpetuò valetudinarius *l. un. C. qui morbo.* Ratio est, quia talis ne suis quidem rebus præesse potest.

Prohibetur 6. impubes §. 13. *Inst. de Excusat. tutor.* Ratio est, quia foret inconveniens, quod is, qui ipse adhuc est, & esse cogitur in potestate tutoris, alium in simili potestate habeat. *l. ult. C. de Legit. Tut.*

Prohibetur 7. minor 25 annis *d §. 13. Inst. de Excusat tutor.* Ratio est, quia incivile foret, eos, qui alieno auxilio in rebus suis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam

telam vel curatelam subire. *d. §. 13. Inst. de Excusat. Tut.*

Jure Provinciali Franconico prudens Judex arbitrabitur, utrùm minor ante annum vicesimum quintum è tutela dimittendus sit, tutorque dandus. Land-Gerichts-Ord. *part. 3. Tit. 9. §. 2.*

Quær. *An minor saltem impetratâ venia ætatis tutor esse queat?*

Resp. Negativè. Myler ab Ehrenbach *in Ætologia cap. 7. n. 3.* Finckelthaus *de Venia ætatis cap. 4. conclus.* 18. Lauterbach *de Tutore honorario th.* 17. & 18. Theophilus Majer *in Comment. ad Inst. Tit. de Tutel. §. 1. & 2.* D. D. Balthasar Braun *ad lib. 26. ff. Tit. 1. th.* 33. D. D. Sommering *in Semicenturia controversiarum Decad. 2. Contr. 6. n.* 11.

Prob. Venia ætatis minoribus ad hoc conceditur, ut de suis duntaxat rebus liberiùs disponere possint, non etiam, ut ad aliena negotia accedere valeant *l. 2. C. de his, qui veniam ætat. impetr.* ibi: *qui paternam frugem vel avorum patrimonia gubernare cupiunt*, accedit, quod bona eorum, qui ætatis indulgentias impetrârunt, non possint ipso Jure pupillis pro officio administrationis hypothecari *l. 3. C. d. T.* id quod tamen ad tutelam legitimè

suscipiendam omninò necesse est, *l. 20. C. de Administ. & Peric. Tut.*

Planè quin Princeps, præter simplicem veniæ ætatis concessionem, minorem speciali insuper beneficio ad aliorum tutelas gerendas habilitare possit, nulla nobis superest dubitatio, cùm enim prohibitio, ne minor 25. annis tutor esse possit, sit Juris positivi, meritò ei per voluntatem Principis derogari potest. Schweder *in Introduct in Jus publ part. speciali sect. 1. cap. 15. n. 7.* D. D. Braun *d. lib. 26. Tit. 1. th. 33.*

Verùm utut dicta hactenus non vera minùs, quàm communi Doctorum calculo approbata sint, tamen Camera Imperialis Anno 1641 Mauritio Friderico Comiti Hohenloico veniam ætatis anno 20. adepto tutelam in fratres & sorores confirmavit, licet in litteris indultæ veniæ nulla omninò de speciali ad tutelam aliorum administrandam habilitatione mentio facta fuerit Oldenburger *in Lymnæo enucl. lib. 1. cap 18. §. 29.* Schweder *d. Sect. 1. cap. 15. n. 7.* ubi uterque literarum ætatis veniam concedentium tenorem exhibet.

Prohibetur 8 Prodigus *arg. §. 13. Inst. de Excusat. tut.* Ratio desumitur partim *ex allegato §. 13.* partim ex eo, quod non credatur par-

parciturus personæ & bonis alterius, qui sibi ipsi non parcit,

Nam sibi qui malus est, cui, rogo, fidus erit?

Prohibetur 9. Debitor & creditor *Novell.* 72. *cap.* 1 *Novell.* 94. *in Præfat.* debitor ideo, ne Chirographis aliisque debiti probationibus subversis ab onere solvendi sese liberet; creditor ideo, ne suppressis apochis debitum jam solutum denuò exigat.

Jure Provinciali Franconico prudentiæ Magistratûs decidendum committitur, utrùm debitor vel creditor à tutelæ administratione arcendus sit, nec ne. Land-Gerichts-O. *part.* 3. *tit* 9. §. 8.

Quær. I. *Quid si quis igitur dissimulato debito vel credito tutelam suscipit?*

R *Esp.* Si creditor est, amittit creditum; si debitor, solvendo debitum non liberatur. *Novell.* 72. *cap.* 4. *Auth. minoris C. qui dar Tutor.* concordat Jus Provinciale Francon *part.* 3. *Tit.* 10. §. *un.*

Quær. II. *An d. Novella 72. etiam de Electoribus, Principibus, Comitibus, aliisque Personis illustribus exaudienda sit, ita ut & ipsi ob debita, quibus obligati sunt pupillis, ab eorum tutela repelli debeant?*

R *Esp.* Negativè. Licet enim *d. Novell* 72.

indistinctè loquatur, cessat tamen in Personis illustribus ratio illa, quæ tali constitutioni causam dedit, qualis fuit, ne tutor cautionem suffuretur, aliasvè minori competentes probationes supprimat. Quis verò adeo perfrictæ frontis erit, ut ejusmodi machinationes de nostris Imperii Principibus præsumere non vereatur? quorum in animis semper illud Caroli V. Imperatoris efficatum versari videtur: *Si fides in toto mundo exularet, attamen penes NOS firma semper & immota subsistere deberet.* Accedit, quod ipse modus circa tutelam Principum gerendam hujusmodi malam præsumptionem excludat, dum Tutor illustris nihil eorum, quæ ipsum pupillum, ejusq; bona concernunt, ad manus proprias sumit, sed cuncta suo loco relinquit, & propter notitiam Consiliariorum, quæ etiam efficit, ut debitum istud non pro clandestino, sed manifesto habeatur, difficulter chirographum aliaque instrumenta intervertere aut corrumpere potest. Ita cum Richtero D. à Puhel *de Tutel. Elect. Princip. &c. cap. 11. n. 55. 56. & 57.*

Prohibetur 10. Mulier *l. fin. ff. de Tutel. l. 1. C. quando mulier offic. Tutel. fung. pot.* Ratio est, quia tutela virile munus est, & ultra sequioris sexûs capacitatem *d. ll.*

Prohibetur 11. Miles §. 14. *Inst. de Excusat. tutor.*

tutor. l 4. C. qui dar. tutor. vel curator. Ex ratione ne vel à signis militaribus cum præjudicio boni publici abstrahatur, vel quia forte juxta Lucanum est

Rara fides, pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Prohibetur 12. Episcopus *Novell.* 123. *cap.* 5. Excipiuntur personæ miserabiles, harum enim tutelam, deficientibus aliis, etiam Episcopus non quidem per se, sed per alios Clericos suscipere tenetur. *Can.* 7. *Distinct.* 88.

Prohibetur 13. Clericus, scilicet esse tutor testamentarius & dativus *Can. ult. Distinct.* 88. *Can.* 4. *caus.* 21. *quæst.* 3. Imò Cyprianus *in dict. Can.* 4 asserere non dubitat, ne quidem orari debere pro dormitione ejus, qui Clericum tutorem dederit. Ratio prohibendi est, ne Clericus distrahatur à Divinis officiis. Potest tamen Clericus, si velit, esse tutor legitimus *Auth. Presbyteros C. de Episc. & Cleric.*

Prohibetur 14. Religiosus *Can fin. Dist* 86. tum ne Religiosus abstractus à spiritualibus distrahatur ad negotia sæcularia; tum quia Religiosus non habet, quod pro administranda tutela hypothecæ loco subjiciat.

Prohibetur 15. Qui capitales inimicitias cum pupilli parentibus exercuit absque secuta reconciliatione §. 11. *Inst. de Excusat. Tut.*

Jure Provinciali Franconico prudenti Judicis arbitrio ponderandum relinquitur, utrùm

trùm talis antea pupilli parentibus inimicus hoc in passu repellendus sit, nec ne. Land-Gerichts-Ord. *part.* 3. *Tit.* 9. §. 7.

Prohibetur 16. Infamis *l.* 17. §. 1. *ff. de Testament. tutel.* Ratio est quia periculum est, ne malè & malitiosè tutelam administret.

Prohibetur 17. Servus ut servus *l.* 22. *ff. de Testam. tutel. l.* 7. *C. qui dar. Tutor. vel Curator.*

Prohibetur 18. Peregrinus, & deportatus, cui hodie hoc in passu assimilatur banno Imperiali perculsus, ex ratione, quia nec servus, nec peregrinus, nec deportatus, nec bannitus, munerum civilium, è quorum censu quoque tutela est, administrandorum capax est.

Prohibetur 19. Excommunicatus vitandus, quia ob interdictam cum fidelibus communionem authoritatem præstare non potest.

Quær. I. Num Tutor diversæ cum pupillo Religionis constitui queat?

INfestis linguis ac calamis quæstio hæc agitata fuit Anno 1667. post obitum Georgij Reinhardi, Comitis Ortenburgici inter defuncti fratrem Christianum Religionis Romano-Catholicæ, atque ejus viduam Estherem Dorotheam Evangelicæ Religioni addictam,

ctam, dum Christianus tutelam pupilli tanquam proximus agnatus sibi vindicavit, graviter contradicente Matre Esthere Dorotheâ.

Resp. Cùm præter Religionem Catholicam in immemoriali possessione existentem, etiam Evangelici & Reformati (uti vocari amant) in Imperio nostro sint tolerati paribusque quoad politica negotia juribus cum Orthodoxis fruantur per *Instrum. Pac. VVestphalicæ art.* 5. *&* 7. Hinc & Catholicos ad Acatholicorum, & vicissim Acatholicos ad Catholicorum tutelas admittendos existimo, & hoc tantò magis, quod in proposita facti specie *d. anno* 1667. re ad Imperiale Judicium Aulicum delatâ pro Comite Christiano contra pupilli matrem pronuntiatum fuerit, referente Pfeffinger *in Annotat. ad Vitriar. in Inst. Jur. publ. lib.* 3. *Tit.* 20. *lit. A.*

Quær. II. *An Pupillo Principi, Comiti, aliive immediato etiam mediatus à Patre Testatore (idem quæsieris de Magistratu) tutor dari possit?*

Resp. Affirmativè. Gylmann *tom.* 3 *Symphorem. verb. tutor.* Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. cap.* 39. *n.* 13. Vitriarius *in Inst. Jur. publ. lib.* 3. *tit.* 20. *n.* 27. Ludolphus Hugo

Hugo *de Statu Region. German cap.* 6. §. 11. Ringler *de Tutel. person. illustr. cap* 1. §. 10. Ratio est, tum quia Principes Imperii, & suprema Imperii hac in re competentia dicasteria nullibi prohibentur mediatos dare tutores; tum quia interest plurimùm Reipublicæ, ut Principes Juvenes rectè educentur, ac tutelari administrationi Ducatuum, Principatuum, Comitatuum &c. saluberrimis consiliis prospiciatur, & re atque operâ juvetur à res bene intelligentibus, cujusmodi plerumque sunt Cancellarii, Consiliarii, aliivè Doctores, nativitate licet utplurimùm privati, doctrinâ tamen, justitiâ, prudentiâ, Statûsque publici regendi experientiâ verè illustres Et certè si hujusmodi Viri splendido legationis munere, ut totâ die videmus, fungi, Sicq; Principalem Personam repræsentare digni sunt, eccur non etiam tutorium officium obire poterunt, quod non tam honos, quàm onus? confirmat hoc præjudicium Camerale, quo Marchioni cuidam Badensi ex tabulis paternis tutor datus Cancellarius anno 1589. in Camera Imperiali confirmatus est. Gylmann *d. tom* 3. *Symphorem. verb. tutor.* Myler ab Ehrenbach *d. cap.* 39. §. 13.

§. V.

§. V.

De Objecto Tutelæ.

OBjectum tutelæ duplex est, Primarium & Secundarium.

Primarium est pupillus, qui est homo liber sui juris *l. 4. ff. de his, qui sunt sui vel alien. jur. l. 239. in pr. ff. de V.S.*

Secundarium sunt bona ac res pupilli *l. 1. pr. ff. de legit. tut. l. 12. §. 3. ff. de Administr. & Peric. tut.*

§. VI.

De Forma Tutelæ.

FOrmâ tutelæ stat in differentia specifica, per quam differt à curatela, differt autem 1. ratione causæ efficientis, tutela enim vel à testatore, vel à lege, vel à Magistratu constituitur: cura ordinaria verò de Jure Civili Romano tantùm à Magistratu §. 1. *Inst. de curator.* Extraordinaria etiam à lege §. 3. *Inst. d. Tit.* constituitur, nulla verò à testatore §. 1. *Inst. d. Tit.* differt 2. ratione objecti; tutore enim datur primariò personis impuberibus, §. 3. *Inst. de Tutel. pr. Inst. quib. mod. tutel. finitur* curator regulariter puberibus *princ. Instit. de Curat.* Differt 3. ratione causæ impulsivæ, quæ in tutela est sola ætas infirma; in cura etiam mentis vel corporis vitium, Differt 4. ratio-

ratione finis, qui in tutela evenit pubertate, *pr. Inst quib. mod Tut finitur* in curatela majorennitate vel cessante corporis aut animi vitio *pr. Inst. de Curat. l 1. ff de Curator. furios.* &c. Differt 5. in eo, quod pupillis etiam invitis dentur tutores, non curatores adultis recusantibus §. 2. *Inst. de Curat. l. 13. § fin. ff de Tut. & Curat.* exceptis quibusdam casibus, de quibus alibi. Differt 6 quod curator durante curâ de singulis rebus actione negotiorum gestorum conveniri possit *l 16 §. 1 ff de Tutel. & Rat. distrah l 26. ff de Administrat. & Peric. tut.* quod secus est in tutore § *ult. Inst. de Attil. tutor.* Differt denique 7 quod tutor datus ad universum patrimonium datus censeatur §. 4 *Inst. qui testam. tut. dar. poss.* Curator verò vel ad partem bonorum, vel ad certam causam dari potest. §. 2. *Inst. de Curator. l. 7. ff. de Tutor. & Curator.*

SECTIO II.

De Effectu tutelæ.

EFfectus tutelæ alius est, si tutela spectatur ut delata: alius, si ut suscepta. Effectum utrumque distinctim considerabimus.

Atri-

Articulus Primus.

§. un.

De Effectu Tutelæ delatæ.

EFfectus tutelæ delatæ est, ut tutor, ex quo scit, se esse tutorem datum, teneatur ad tutelam legitimè suscipiendam, Ut autem legitimè suscipiatur, varia requiruntur.

Primò requiritur satisdatio. *Princ. Inst de Satisdat.* per quam intelligitur datio fidejussorum tum per *l. 1 ff. qui satisdar. cog l. 1. & 7. ff. de Prætor. Stipulat* tum quia alias bona tutorum ipso jure pupillis hypothecata sunt. *l. 20. C de Administrat. & Peric tut.* tum denique, quia tutor obligatur ex incerto: quando autem obligatio certam mensuram non habet, fidejussoria cautio exigitur, eoquòd per pignora adversario sufficienter prospectum non esset. Struvius *in evolut contr ad Ex. 5. th. 21.* D. D. Balthasar Braun *ad lib. 26. ff de Administr. & Peric. tut. th. 4.* Eckold *ad ff Tit. eod. §. 1.*

Quær. *Quinam tutores debeant satisdare?*

Resp. Jure Civili Romano tantùm Tutor legitimus *l. 5. §. 1. ff. de legit. tut.* & dativus

à minore Magistratu datus §. 3. & 4. *Inst. de Satisdat. Tut.* non etiã Testamentarius & datus à Magistratu majore *pr. Inst. d. T.* Quia fides illius judicio testatoris: Hujus prævia inquisitione sufficienter approbata est. Jure Romano-Germanico verò sine discrimine omnes tutores & curatores satisdare tenentur per *Reformat. polit. de anno* 1548. *Tit.* 31. §. 2. & 3. & *de anno* 1577. *Tit.* 32. §. 2. & 3.

Secundò requiritur, ut præstetur juramentum fidelis administrationis *Nov.* 72. *cap. ult. d. Reformat. polit. de anno* 1548. *Tit.* 31. §. 3. & *de anno* 1577. *Tit.* 32 §. 3. Concordat Jus Franconicum *part.* 3. *Tit.* 11. §. *un.*

Moribus, inquit Pomeresch *ad pr. Inst. de Satisdat. tut.* Struvius *in Syntag. Jur. Civil Ex.* 31. *th.* 35. & *Ex.* 47. *th.* 103. Hoppius *in Vsu hodierno pr. Inst. de Satisd. tut.* Satisdatio usu non frequentatur, & juramentum rarò præstari solet, sed nuda tantùm promissio bey Verpfändung Haab und Güter / & sub admonitione homagij sufficit. Id quod an pariter in Ducatu nostro obtineat, noverint ij, qui in Dicasterio Provinciali Cæsareo-Franconico Sessionem obtinent, ac voto suffragioq; fruuntur.

Tertiò requiritur itidem de Jure Romano-Germanico Decretum Magistratûs *d. Reformat.*

format. polit. de anno 1548. *Tit.* 31. §. 2. *& de anno* 1577. *Tit* 32. §. 2. quo nomine Tutori à Magistratu tutorium (intellige mandatum) concedi solet. Consonat Jus Franconicum *part* 3. *Tit.* 11 §. *un. in fine.*

Quartò requiritur Inventarij confectio *l.* 24. *C. de Admin. & Per. tut. Reformat polit. de anno* 1548. *Tit.* 31. §. 3. *& de anno* 1577. *Tit* 32. §. 3. Consentit rursus Jus Franconicum *d. part* 3. *Tit.* 12. §. 1. *&* 2. ubi etiam varia specialia circa Inventarii confectionem disposita deprehendes. Ideo autem omni jure Inventarium confici præcipitur, quia Inventarium est caput & fundamentum reddendarum rationum, sine quo rationes vix suspicione carent.

Quær. 1. *An ea, quæ Jure Civili Romano, & Romano-Germanico circa tutelam privatorum legitimè suscipiendam statuta sunt, pariter in Pupillorum Principum, Comitum, aliorumque Illustrium tutelis rectè suscipiendis observari debeant?*

Resp. 1. Tutores Personarum Illustrium, quam primùm cognoverunt, sibi tutelam esse delatam, aut ad se legitimo jure successionis pertinere, Judicem competentem, qui hic est Consilium Aulicum Viennense, vel

Camera Imperialis, adire, ab eoque tutelæ confirmationem petere tenentur. Debet hæc confirmatio in omnibus Principum, Comitum &c. Tutelis intervenire, adeò, ut respectu Principatuum, aliorumvè bonorum Feudalium ne quidem ab ipso Testatore remitti possit, cùm hæc remissio attingat ipsam rem feudalem, circa quam Vasallo in præjudicium Domini, aut alterius cujusdam tertii nihil disponere licet, unde etiam testatur D. à Puhel illos, qui propriâ authoritate tutelam suscipere ausi sunt, ab ipsa S. Cæsarea Majestate ad tutelæ confirmationem impetrandam & consueta solennia eandem antecedentia præstanda seriò fuisse admonitos. D. à Puhel *d. cap.* 10. *n.* 41. *& aliquot seq.*

Tenentur 2. Tutores Personarum Illustrium præstare cautionem, non quidem fidejussoriam, uti de Jure Civili privato requiritur, sed juxta mores hodiernos cautio hypothecaria omnium bonorum Verpfändung aller Haab und Güter sufficit. D. à Puhel *d. cap.* 10. *n.* 59. Ringler *de Tutel. Person. illustr. cap.* 6. §. 2.

Tenentur 3. Tutores illustres præstare juramentum fidelis administrationis. Juramentum hoc juxta mores hodiernos ab ipsis Tutoribus illustribus in propria persona fere nunquàm, aut quàm rarissimè saltem, sed per legi-

legitimè constitutos mandatarios vel in Judicio Imperii Aulico vel Camera Imperiali deponitur D. à Puhel *d. cap.* 10. *n* 54 *& seq.* Ringler *d. cap.* 6. § 2. ubi etiam ab utroque consueta juramenti formula exhibetur.

Quær 2. *Cùm ad meliorem tutelarum principalium utilitatem Tutoribus illustribus ex usu recepto certi quidam Consiliarii Tutelares German.* Regiments- oder Vormunds-Räth *vel à Testatore, vel Judice, vel ex Pacto multarum Familiarum Illustrium per ipsorummet tutorum nominationem adjungantur, quibus præter pupilli educationem, ipsa etiam provinciæ gubernatio committitur, ita tamen, ut graviora negotia nonnisi, requisito principalium tutorum consensu, eorundemq; nomine expedire valeant, an & hi Consiliarii Tutelares ad cautionem juratoriam & hypothecariam præstandam adstricti sint?*

R. *Esp.* Consiliarios hosce tutelares adstrictos esse ad cautionem juratoriam, & quidem si ex pacto Familiæ ab ipsis Tutoribus principalibus fuerint ordinati, tunc his ipsis tantùm juramentum præstare renentur; si verò ab ipso Testatore, aut S. Cæsarea Majestate, aut Camera Imperiali fuerint constituti, tunc coram his juramentum deponere coguntur, & quidem in persona propria, Im-

munes verò sunt à cautione hypòthecaria, idque fortassis ideo, vel quia illorum bona plerumque tanta non sunt, ut huic cautioni sufficiant, vel quia per eorum administrationem plerumque pupillo, ejusque bonis non tantum imminet periculum, cùm gesta eorum subjaceant inspectioni, & arbitrio Tutorum principalium, ad quorum requisitionem quotannis acceptorum & expensorum rationes reddere obligati sunt. D. à Puhel *d cap.* 10 *n.* 61 *& seq.*

Istis expeditis sequitur 4. Priùs petita tutelæ confirmatio. Consistit autem confirmatio in attestato quodam, quod duplex est, vel BREVE Germ. ein Schein zur Anzeig / quod nudam petitæ confirmationis mentionem facit, cum annexo mandato ad illos, quibus ex officio competit consuetum desuper expedire tutorium, sive curatorium. D. à Puhel *d cap.* 10 *n.* 71 *& seq.* Ringler *de Tutel. Person Illustr cap.* 6. § 1. *&* 2.

Acceptâ confirmatione tutelæ tenentur ultimò Tutores Illustres conficere inventarium. Est tamen hoc in passu ea inter Illustres & privatos Tutores differentia, quod Tutores privati juxta *Ordinationem politicam de anno* 1577. *Tit* 32 § 3. omnia pupilli bona tam mobilia quàm immobilia, item debita, & cre-

& credita &c. consignare debeant, econtra in tutelis Principum nec consignatio bonorum mobilium vel immobilium, nec debitorum vel creditorum &c. requiritur; idque ideo, quia Principatûs ratio difficulter permittit, ut omnes ipsius partes specialiter consignentur, cùm res istæ alioquin in Archivis tam secretioribus, quàm communibus consignatæ reperiantur, & hinc alienationis periculo minùs sint obnoxiæ. D. à Puhel *d. cap.* 10. *n.* 93. *& seq.* Jung. Ringler *d. Tract. cap.* 7. §. 1.

Articulus Secundus.

De Effectu tutelæ susceptæ.

EFfectus tutelæ susceptæ est vel proximus, vel remotus. Proximus est obligatio tutoris & pupilli. Remotus est actio tutelæ directa & contraria.

§. I.

De Obligatione tutoris.

OBligatur tutor ad quinque 1. ad pupillum bene educandum. 2. Ad ejus bona diligenter administranda. 3. Ad authoritatem præstandam. 4. Ad rationes reddendas. 5.

Ad damna per suam culpam pupillo illata resarcienda.

Primò itaq; obligatur tutor ad pupillū præcipuè illustrem bene educandū. Si enim reipublicæ interest, ut pupilli privati rite educentur; quantò magis boni publici interierit, ut illorum pupillorum singularis cura habeatur quibus partim universæ reipublicæ, partim unius aut plurium amplissimarum provinciarum regimen de Jure aliquando incumbet? Consistit autem hæc educatio 1. in eo, ut pupillo pro conditione Statûs sui digna alimenta cœteraq; necessaria suppeditentur per Textum elegantem in *l.* 12. § 3. *ff. de Administr. & Peric. Tut.* Si tutor ultra modum facultatum pupillarium subministraverit, excessus ille non pupillo, sed tutori nocebit *l.* 2 § 1. *ff. ubi pupillus educar. deb.* nec enim (ut referam verba legis) *permittendum est tutori tantum reputare, quantum dedit, si plus aquo dedit.* Consistit 2. in eo ut pupillus piè, honestè, & pudicè educetur *l.* 1. §. 1. *& l.* 5. *ff ubi pupill. educar. deb.* Consistit 3 in eo, ut pupillus ad artes mechanicas, liberales, vel alia negotia honesta, prout cujusque fert conditio, applicetur *arg. l.* 12. §. 3 *ff de Administr & Peric. Tut.* Quibus virtutibus, & scientiis Pupillus illustris ad provinciarum regimen destinatus imbui debeat, non eruditè minùs, quam

quàm sapienter tradit magnus ille politicus Didacus Saavedra *in Idea Principis Christiano-politici in sex Symbolis prioribus*, quæ dignissima sunt, ut à quovis cui cura & educatio Pupilli Reipublicæ clavo aliquando admovendi commissa est, plus vice simplici legantur, ac releg ntur.

Secundò obligatur tutor ad bonorum pupillarium administrationem, quæ in sequentibus consistit.

1. Ut tutor, quæ debentur pupillo, exigat *l.* 46. §. *fin. ff. & l.* 18. *C. de Administr. & Peric Tut.*

2. Ut quæ à pupillo debentur, maturè persolvat aliàs damnum ex mora solutionis resultans non pupilli, sed tutoris erit *l* 9 §. 5. *ff & l* 23 *C. de Administr & Peric. tut* si pecunia deficiat ad æs alienum expungendum, res pupillo minùs commodas adhibitis adhibendis tutor distrahat; & debita exsolvat *l.* 5. § 9. *& seq ff de Reb. eor qui sub tut. l.* 12. *C. de Præd & Reb. minor.*

3 Ut actiones pupilli nomine instituat, & ab alio contra pupillum institutas excipiat. *l.* 18 *&* 28. *C de Administr. & Peric. tut* Non tantùm in prima, sed & appellationis instantia *l.* 11 *C. de Admin. & peric. tut.*

4. Ut pecunias pupilli utiliter expendat, puta in emptionem prædiorum, vel ad aliud

honestum & securum lucrum, alioquin tutor in usuras illius pecuniæ tenebitur. *l. 7. §. 2. & seq. ff. de Admin. & peric. tut.* & quamvis dictum Jus Pandectarum correctum fuerit per *Novell. 72. cap. 6.* hodie tamen, cùm in Imperio nostro non solùm à tempore moræ, sed etiam ex pacto usuræ quincunces approbatæ sint, licitéque accipiantur tanquam verũ vel præsumptum interesse damni emergentis, aut lucri cessantis. Deputations-Reichs-Abschied zu Speyer *de anno* 1600. So viel nun 139. *R. J. Ratisbonæ de anno* 1654. §. anreichend die künfftige Zinß 174. creditur ferè in usum revocatum Jus antiquum, ut tutores juxta morem regionis ex pecuniis pupillaribus vel prædia emere, vel si pupillis utilius videatur, eas ex recepta & passim approbata consuetudine sub usuris quincuncibus mutuare teneantur, Covarruv. *var. Resolut. lib. 3. cap 2. n. 1.* Molina *d. J. & J. Tr. 2. Disp. 224. n. 18. & 19.*

5. Ut tutor ea, quæ in favorem pupilli alienanda videntur, alienet. Sed

Quær. *Quasnam res pupillares tutor alienare queat?*

Resp. 1. Tutor non potest alienare res immobiles, ut est fundus, hortus, ædes &c. aut

aut mobiles pretiosas, ut vasa aurea, argentea, monilia &c. nisi justâ causâ interveniente, & servatâ solennitate à Jure præscriptâ *l.* 22. *C. de Adm. & peric. tut.*

Justa causa est primò necessitas, uti est necessitas solvendi æs alienum *l.* 1. §. 2. *l.* 5 § 9. *ff. de Reb. eor. qui sub tut.* Necessitas constituendi dotem vel donationem propter nuptias *d. l.* 22. *C. de Adm. & peric. tut. &c.* Secundò Causa justa est major utilitas vel incommoditas rei pupillaris, ut si fundus sterilis sit, saxosus, pestilens &c. *l. pen. pr. ff. de Reb. eor. qui sub tut.*

Solennitas interveniens prima est cognitio Judicis, utrùm scilicet alienatio pupillo expediat *l.* 6. & 12. *C. de prad. & aliis reb. minor. &c.* Secunda est solennis interpositio decreti Magistratûs, quo concedatur rei alienandæ potestas *d. l* 6 *& ult C d. T.* Tertia est authoritas tutoris, si quem minor habet. *pr. Inst & l.* 9 *ff de Auth & Consens. Tut. l.* 13. §. 29 *ff. de act empt vendit.*

Jure Franconico insuper 4. requiritur consensus propinquorum pupilli Land-Gerichts Ord. *part* 3. *Tit* 15. §. 2. *& Tit.* 16. §. 2.

Resp 2. Res mobiles, quæ servando servari non possunt, uti sunt vestes usu detritæ, animalia superflua, frumentum, vinum &c.

Tutor

Tutor se solo & sine decreto Magistratûs alienare potest: *l. 22. C. de Adm. & peric. tut.* ex ratione, quia retentio harum rerum ferè semper damnosa foret pupillo propter periculum corruptionis aut interitûs.

Jure Franconico nulla alienatio subsistit, etiam rerum, quæ servando servari non possunt, sine consensu Judicis Provincialis, aut Officialium in præfecturis, proximorumque consanguineorum pupilli Land-Gerichts-Ord: *part. 3. tit. 16. §. 3.*

Tertiò obligatur Tutor ad præstandam authoritatem.

Definitur authoritatis tutoriæ præstatio, quod sit approbatio negotij à, vel cum pupillo gesti. *l. 3. ff. de Auth. & Consens tut. & Curator.*

Causa efficiens authoritatis tutoriæ est tutor præstans authoritatem. Potest autem eam præstare etiam unus ex pluribus, *l. 4. ff. de Author. & Consens. Tutor. & Curat.* Nisi agatur de tutela dissolvenda, ut si pupillus se arrogandum dare vellet, tum enim omnium consensus requiritur *l. ult. C. de Auth. & Consens tutor. & curator.* Quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Aut nisi tutela inter omnes divisa sit, nam & tunc quisque pro parte administrationis suæ Author fieri debet. *d. l. ult. C. d. T.* cùm alter in alterius

rius collegæ parte pro extraneo habeatur. *l.* 51. *ff. de Administrat. & peric. tutor.*

Quær. *An tutor honorarius pupillo Author fieri possit?*

Resp. Intereſſe, ſitne tutori honorario interdicta tutelæ adminiſtratio, an permiſſa. Priori caſu tutor honorarius authoritatem præſtare non poteſt. Sicq; intelligo *l.* 4. *ff. de Auth. & Conſenſ. tut. & curat.* Poſteriori caſu poteſt, & ita exaudio *l.* 49. *ff. de acquir. vel omitt. Hæred.* ad altercantes Textus hoſce ſic conciliandos moveor per *l.* 14. §. 1. *ff. de Solut.*

Objectum authoritatis tutoriæ ſunt negotia, quæ pupillus gerit.

Quær. *In quibus negotiis pupillaribus tutoris authoritas neceſſaria ſit?*

Resp. 1. Si pupillus gerit negotium cum proprio tutore, tutor hac in re tanquam in cauſa propria Author fieri nec poteſt, nec debet *l.* 1. *pr. & l.* 7. *ff. de Auth. & Conſenſ. tut.* tum, quia ſi negotium judiciale foret, idem eſſet actor & reus; Si extrajudiciale, idem debitor & creditor, quod repugnat. Tum quia credendum non eſt, quod tutor propriam

priam utilitatem utilitati pupilli sit postpositurus. Tum denique, quia turpe est, quod tutor eum, quem impedire debet, quo minùs obligetur, sibi ipsi possit obligare.

Resp. 2. Si pupillus gerit negotium cum tertio, unde suam conditionem meliorem facere potest (tum autem facit meliorem, quando alterum sibi obligat, sine mutua sui obligatione) tutoris authoritas necessaria non est *pr. Inst. de Auth tutor* Hinc potest pupillus stipulari, ut sibi quid detur, aut fiat *d. pr. Inst. de Auth. tut.* pacisci, ut debitum sibi remittatur, aut stipulari, ut acceptum feratur *l.* 28. *ff. de Pact. l.* 2. *ff. de Acceptilat.* acceptare legatum vel donatum *l.* 9. *pr. ff. de Auth. & Consens. tut. & curat.*

Resp. 3. Si pupillus gerit negotium cum extraneo, unde suam conditionem potest facere deteriorem (tum autem facit deteriorem, quando vel quid amittit, quod antea habuit, puta alienando aliquid ex bonis suis, aut actionem remittendo: vel omittit, quod acquirere poterat, veluti pinguem hæreditatem vel legatum repudiando: vel oneri, quod non licebat suscipere, se subjcit, puta obligando) omninò opus est authoritate tutoris *d. pr. Inst. de Auth. tutor.* Hinc pupillus non potest se solo mutuum accipere, vel stipulando quid promittere *d. pr. Inst. & l.* 9 *ff.*

de

de Auth. & Consens. tut. Non actionem sibi competentem remittere *l. 2. C. eod.* non adire hæreditatem §. 1. *Inst. eod* non celebrare contractum utrinque obligatorium *d. pr. Inst. eod.* Si tamen eiusmodi contractum init, is quidem, qui cum pupillo contrahit, obligatur, & ad contractum adimplendum cogi potest: at vicc versâ pupillus non obligatur *d. pr. Inst. de Auth. & Consens. tut. l. 13. §. 29. ff. de Act. empt. vend.* Et hoc partim ob favorem pupillorum, partim ut temeritas ejus castigetur, qui cum pupillo contrahit, cùm sciat vel saltem scire debeat, eum sine tutoris authoritate obligari non posse. *l. 19. ff. de R. J.*

Forma authoritatis tutoriæ stat in requisitis.

Requiritur autem 1. Ut tutor in ipso negotio præsens sit. Per nuntium vel epistolam interposita authoritas nihil agit. §. 2. *Inst. de Auth. tut. l. 9 §. 5. ff. eod.*

Requiritur 2. Ut tutor statim, & quasi calente adhuc negotio author fiat, post tempus authoritas superveniens nihil operatur. *d. §. 2. Inst. & l. 9. §. 5. ff. d. T.*

Requiritur 3. Ut sponte præsens sit, non invitus *l. 1. §. 1. ff. eod.*

Requiritur 4. Ut tutor purè Author fiat, non conditionatè *l. 8. ff. eod.*

Quod

Quod si unum ex his requisitis deficit, perinde est, ac si authoritas non fuisset interposita *l. 2. ff. eod.* nam nulla differentia est, non interveniat authoritas, an perperam adhibeatur.

Moribus tanta scrupulositas non attenditur, sed potest hodie tutor & ante & post negotium author fieri, imò negotia pupillaria tum publica tum privata passim hodie à solis tutoribus, non adhibitis pupillis, pertractari solent. Pomeresch *ad § 2. Inst. de Auth. tut.* Simon Van Lewen *in Censur. forens. lib 1 cap. 17. n. 10.* Struvius *in Syntagm. Jur. Civil. Ex. 31. th. 42.* Hoppius *in Usu hodierno § 2. Inst. de Auth. tut.* Schilter *Exercit. ad ff. 7. th. 127. & 131.*

Effectus authoritatis tutoriæ est, quod negotium legitimè interveniente authoritate ratum, firmumque sit, econtrà sine ea gestum nullius valoris.

Quartò obligatur tutor ad redditionem rationum, quæ consistit in eo, ut res pupillares juxta inventarium restituat *l. 13. C. arbitr. tut.* Collatis accepti & expensi rationibus, si quid penes tutorem residuum fuerit, restituat *l. 9. C. eod*

Q. I. *Quando sit reddenda ratio?*

R*Esp.* Jure Justinianeo nonnisi pubertate com-

completâ ratio reddi debebat. §. *ult. Inst. de Attil. tut.* absurdum enim videbatur rationem deposci ab eo, qui etiamnum administrat *l.* 9. §. 4. *ff. de Tutel. & rat. distrah.*

Jure Romano-Germanico Tutores singulis annis rationes deponere obligati sunt per *Reformat. polit. de anno* 1548. *tit.* 31. §. 3. *& de anno* 1577. §. 3. quod pariter cautum

Jure Provinciali Franconico, hâc tamen subjunctâ limitatione, quod, justâ causâ urgente, etiam ante annum finitum rationes exigi queant, econtrà etiam in alterum tertiumvè annum cum Superiorum tamen permissu differri, si modica sit pupillorum substantia. Land-Gerichts-Ord: *part.* 3. *tit.* 24. §. 1. 2. & 3.

Quær. II. *Coram quibus sit reddenda ratio?*

Resp. Licet officio Judicis (competentis sc) dicatur congruere, ut Ipsemet sit rationum calculator & reputator *l.* 2. *pr. ff. ubi pupillus educ. deb.* propter Judicum tamen varias occupationes solent plerumque viri, aut arbitri experti delegari, ut coram iis Tutor inventarium & rationes exhibeat. D. D. Balthasar Braun *ad lib.* 27. *ff. tit. de tutel & rat. distrah.*

Jure Franconico omnes rationes pupillares in urbe coram Præside Judicii Provincialis ejusdemq; Syndico; extra urbem coram Officialibus, præsentibus duobus, aut tribus loci Senatoribus, convocatis insuper, si absque notabilibus sumptibus haberi queunt, pupillorum proximis consanguineis, reddi debent Land-Gerichts-Ord. *part.* 3. *tit.* 24. §. 5. & 6.

Quintò obligatur Tutor ad damna per suam culpam pupillo illata resarcienda.

Quær. I. *De qua culpa teneatur Tutor?*

R*Esp.* Quamvis insistendo regulæ communi culparum gradus in contractibus vel quasi præstandos determinanti *in l.* 5. §. 2. *ff. Commodati.* Tutor de culpa duntaxat lata teneretur, ab ea tamen ob favorem pupillorum hac in parte discessum fuit, statutumq; ut Tutor culpam etiam levem præstaret per *l.* 7. *C. arbitr. tut.* Lex sic habet: *Quidquid tutoris dolo, vel latâ culpâ aut levi, seu curatoris minores amiserint, vel, cùm possent, non acquisiverint, hoc in tutelæ seu negotiorum gestorum utile judicium venire non est incerti juris.*

Quær. II. *De qua culpa teneantur tutorum hæredes?*

R*Esp.* De lata tantùm

Prob.

Prob. apertè per *l. 4 ff. de Magistrat. Conven.* ubi ita Ulpianus: *Non similiter hæredes Magistratuum, ut ipsi tenentur. Nam NB. nec hæres tutoris negligentia* (per quam intelligitur culpa levis) *nomine tenetur, nam Magistratus quidem in omne periculum succedit: Hæres ipsius culpæ dolo proximæ succedaneus est:* Et adhuc apertiùs per *l. 1. C. de hæred. tut.* ubi ita Imperatores Severus & Antoninus: *Hæredes tutorum ob negligentiam, quæ non latæ culpæ* (id est levi) *comparari possit, condemnari non oportet: si non contra tutorem lis inchoata est, neque ex damno pupilli lucrum captatum, aut gratiâ quæsitum sit.*

Et hæc de obligatione tutoris. Sequitur

§. II.

De Obligatione pupilli.

PUpillus obligatur 1. ad refundendas expensas, si quas tutor ex suis bonâ fide fecit, vel in ipsius personam, vel in res & rationes *l. 1. §. 4. & 5. l. 3. §. 8. l. 4. ff. de Contrar. tutel. & utili act. l. ult. C. de contr. tutel. judic.*

Pupillus obligatur 2. ad solvendas usuras illius pecuniæ, quam tutor in usum pupilli adhibuit. *l. 3. §. 1. ff. d. tit.*

Pupillus obligatur 3. ad liberandum tuto-

rem, si vel se ipsum, vel res suas pro pupillo obligavit. *l. ult. ff. d. T.*

Denique obligatur pupillus 4. ad præstandum omne id, quod tutori ratione tutelæ abest, vel abfuturum est. Nemini enim officium suum nocivum esse debet.

Quær. I. *An pupillus tutori etiam salarium solvere teneatur?*

Resp. Jure communi non teneri ita Schneidewin *ad §. 6. Inst. de Excusat. tut. n. 4.* Harprecht *ad §. eundem n. 7.* Carpzovius *in Jurispr. forens. part. 2. Constit. 11. Definit. 40.* Simon Van Lewen *in Censur. forens. lib. 1. cap. 18. n 20.* D. D. Demeradt *in Fasc. Different. Jur. Commun. & Francon. part. 1 Different. 4. n. 1.*

Prob. per *l. 33. §. ult. ff de Admin. & Peric. Tut & l. 38. v. nam illi ff. de negot. gest.* Ubi clarè habetur, quod tutor debeat gratuitam, & omni lucro abstinentem fidem ac operam præstare.

Moribus hodiernis à Magistratûs arbitrio dependet, an, & quantum tutoribus salarium assignare velit. Carpzov. *d. Const t. 11. Definit 40. in fine.* Simon Van Lewen *d. lib. 1. cap. 18. n. 20.* D. D. Demeradt *d. part. 1. Differ. 4. n. 12.*

Jure

Jure Franconico statutum & ordinatum est, ut, si facultates pupillorum ad mille florenos ascendant, vel utplurimùm in bonis immobilibus, ad quæ excolenda major diligentia & cura Tutoris exigitur, consistunt, licitum sit tutori vel curatori annuatim duos florenos in rationibus petere; si verò bona pupillaria maxima ex parte sint elocata, aut pecuniæ mutuo nomine aliis datæ, ita ut tutelæ administratio non magnam desideret diligentiam, annalis tutoris merces nonnisi florenus sit; Bonis denique pupillaribus infra summam mille florenorum existentibus, salarii determinatio Judicis Provincialis intra urbem, extrà verò Ordinarii Magistratûs arbitrio relinqui debeat. Land-Gerichts-Ord. *part.* 3. *tit.* 22. §. 2. 3. & 4.

Jure publico quoad tutores illustres videtur secundum communem observantiam distinguendum inter tutorem extraneum & legitimum.

Si tutor extraneus in ipso regiminis loco residet, & sic tutelæ gestionem non nudo Consiliariorum arbitrio relinquit, ei vel certum aliquod salarium constituendum est, vel ipsa alimonia pro conditione Statûs sui præstanda. Hoc enim nisi fieret, haud exiguo damno tutor iste afficeretur, cùm tamen nemini officium suum damnosum existere

debeat *l. 7. ff. Testam. quemad. aper.* Si verò tutor extraneus non ipsemet tutelam in loco, ubi decet, administrat, sed tutelâ hâc Consiliariorum prudentiæ commissâ, nudus quasi tutelæ inspector existit, tum nullum ipsi salarium debetur, nisi à testatore aliquid aliud fuerit ordinatum.

Tutorem legitimum quod concernit, si ipse in eodem loco habitet, in quo primaria Provinciæ gubernatio subsistit, tum ei nullum de Jure salarium constituendum est, nec alimentatio præstanda, eoquod non novas ac speciales, sed antiquas tantummodo & consuetas expensas facere compellatur. Ne tamen ejusmodi gratuita tutelæ administratio Tutorem reddat quodamodo segnem & bonorum pupillarium insidiatorem, sæpissimè evenit, ut, si hac de re in ipsa Familia nihil constitutum est, ab ipso testatore Tutori legitimo salarium assignetur. Si verò Tutor legitimus non in ipso regiminis loco, sed alibi degat, tum, sive ipse præsens tutelam & per consequens etiam Provinciam unà cum Consiliariis, sive alibi degens tutelæ gestionem quorundam præsentium Consiliariorum fidei demandet, ea obtinere censemus, quæ mox circa Tutorem extraneum obtinere statuimus. Ita nobiscum D. à Puhel *de*

tutel.

tutel. Elector. Princip. &c. cap. 10. n. 104. & seq.
Sed

Quær. II. *Cum Consiliarii Tutelares plerumque ex numero earum Personarum constituantur, quibus antea Provinciæ regimen est concreditum, habeantq; certum jam salarium annuum, num & his illud augere oporteat?*

Resp. Cum Consiliarii isti ob tutelam sibi delatam plerumque majoribus curis ac laboribus implicentur, fieri consuevit, ut ipsis salarium pristinum ex voluntate tutoris, nisi forsitan ipse testator aut Judex illos constituens quandam fecerit determinationem, moderatè augeatur, & meritò, ne ipsis officium suum damnosum existat contra *l. 7. ff. Testament. quemad. aper.*

§. III.

De Actione Tutelæ directa.

Quær. I. *Quid est actio Tutelæ directa?*

Resp. Est actio competens pupillo contra Tutorem ad consequendum ex tutela debitum.

Quær. II. *Qualis sit hæc actio?*

R*Esp.* Est civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, in solidum, perpetua.

Q. III. *Cui detur hæc actio?*

R*Esp.* Datur 1. pupillo, cujus tutela gesta est. 2. Ejus hæredibus *l.* 1. §. 17 *ff. de Tutel. & Rat. distrah. l.* 12. *arbitr. tut.* 3 Datur nomine pupilli tutori contra contutorem, in cujus persona tutela finita est *l.* 9. §. 6. *ff. de tutel. & rat. distrah.*

Q. IV. *Contra quem detur hæc actio.*

R*Esp.* 1. Datur contra tutorem. *Si plures* tutores sint, vel plures tutorum hæredes, diversis Jurisdictionibus subjecti, omnes coram supremo omnium Judice conveniendi sunt *l.* 5. *C. arbitr. tutel.* Ratio est, ne continentia causæ dividatur, & Pupillus magno suo damno in plures lites, & adversarios distrahatur. Adde Perez *ad dict. tit. arbitr. tutel. n.* 7.

Q. V. *Si plures sint pupilla tutores, quomodo conveniendi sint, an in solidum singuli, an in partes.*

VIdendum est priùs, an omnes Tutores simul

simul àdministraverint tutelam, an quidam tantùm. Si omnes simul? an administraverint pro indiviso, an pro diversis partibus. Si pro diversis partibus? an ipsi Tutores tutelam inter se diviserint, an testator, an Magistratus, his præmissis

Resp 1. Si omnes Tutores simul & quidem pro indiviso tutelam administraverint, tunc omnes ipso jure tenentur in solidum. *l.* 55. *ff. de Administr. & Peric. Tut.* Ex æquitate tamen gaudent beneficio divisionis *l.* 1. §. 10. *& seq ff. de Tutel. & Rat. distrah.*

Resp. 2. Si ipsi Tutores administrationem inter se diviserint, quilibet in solidum tenetur, & conveniri potest *l.* 2. *C. de Divid. tut. & l.* 46. §. 1. *& pen ff. de Administr. & Peric. tut.* Ratio est, quia Tutores privatâ suâ conventione neque pupillo, neque creditoribus nocere possunt. Priùs tamen excutiendus est, qui gessit *l.* 3. *C. de Divid. tut.* Et si is solvendo non est, & unus ex reliquis conveniatur, gaudebit beneficio divisionis *d. l.* 1. §. 11. *ff. de Tutel, & Rat. distrab.*

Resp. 3. Si omnes Tutores administraverint tutelam à testatore vel Judice divisam, quisque Tutor tantùm pro parte suæ administrationis convenitur, nec periculum pertinet ad contutores *l.* 2. *C. de Divid. tutel. l.* 1. *ff. de*

ff. de Administ. & Peric. tut. Exceptiones habentur in *d. l. 2. C. de Divid. tut. & l. 1. § 15. ff. de tutel. & rat distrah.*

Resp. 4. Si unus vel aliqui ex tutoribus tutelam administraverint, alii non, refert, an administratio gerentibus à testatore vel Judice commissa fuerit, an à contutoribus. Si priùs: tunc illi, qui non gesserunt, vocanturque tutores honorarii, non tenentur, nisi in subsidium ob neglectam debitam inspectionem *l. 3. §. 2. ff. de Adm. & Per. Tut.* Si posteriùs; tunc rursus quilibet in solidum conveniri potest. *d. l. 2. C. de Divid. tut.* ob rationem mox supra allegatam. Adde omninò Hunnium *ad Treutl. vol. 2. Disp. 9. th. 5. quæst. 22.* Perez *ad C. tit. de divid. tutel.* Wissenbach *ad C. tit. eod.* Struvium *in Syntagm. Jur. Civil. Ex. 31. th. 39.*

Q. VI. *An actio hæc etiam contra Tutores illustres moveri queat?*

R*Esp.* Cùm Tutores Illustres non ipsimet tutelæ administrationem in se suscipiant, sed à testatore, aut Judice, aut ipsis tutoribus Consiliarii tutelares ordinentur, quorum prudentiæ ac sollicitudini totius Provinciæ gubernatio, cura reddituum, eorumque distributio committatur, ita ut finitâ tutela Tutor illustris nullam rerum harum rationem

nem reddat, sed Minorennem vel etiam Majorennem ad Consiliarios tutelares remittat, contra eosdem proinde etiam, non autem Tutores Illustres actio hæc instituenda erit, Nisi fortassis Consiliarii tutelares durante tutelâ pupillo grave damnum intulerint, cujus reparationem pupillus ab iisdem consequi non potest, tum enim contra tutores ipsos, si, quam debuerunt præstare, inspectionem intermiserunt, actio hæc in subsidium intentari potest. D. à Puhel *de Tutel. Elector. Princ. & c. cap.* 12 *n.* 25. *& seq.*

Datur hæc actio 2. contra hæredes tutoris *l.* 1. §. 16. *ff. de tutel. & rat. distrah. & t. t. C. de hared. tut.*

Quær. VII. *Ad quid detur hæc actio?*

R *Esp.* Ad hoc, ut tutor rationem reddat administrationis suæ ratione eorum, quæ debuit facere, & omisit: quæ debuit omittere, & fecit: quæ aliter debuit facere, quàm fecit. *l.* 1. *pr. ff. de tutel & rat. distr. l.* 32. §. 2. *ff. de Adm. & peric tut.*

§. IV.

De Actione tutelæ contraria.

Q. I. *Quid sit actio tutelæ contraria?*

R *Esp.* Est actio personalis, quâ Tutor agit ad-

adversus pupillum, vel ejus successores, ut ratione tutelæ gestæ servetur indemnis: cùm nemini officium suum debeat esse damnosum. *l.* 61. §. 5. *ff. de Furt.*

Q. II. *Qualis sit?*

R *Esp.* Est civilis, personalis, rei persecutoria, bonæ fidei, perpetua.

Q. III. *Cui detur.*

R *Esp.* Datur tutori, esto, ut suspectus remotus sit *l.* 4. *ff. de Contrar. tut. & util act.* Et ejus hæredi, *l* 3. §. *ult. ff. eod.* competit hæc actio contraria ex paritate rationis etiam Consiliariis Tutelaribus, si forsitan sumptus quosdam in utilitatem pupilli, ejusvè Provinciæ sibi conereditæ fecerint, aut damnum aliquod occasione administratæ tutelæ perpessi fuerint. D. à Puhel *d. cap.* 12 *n.* 34.

Q. IV. *Contra quem detur.*

R *Esp.* Contra pupillum, licet ipse non agat actione directâ. *l.* 1. §. *ult. ff. eod.* & contra ejus hæredes. *l.* 3. §. *ult. ff. eod.*

Q. V. *Ad quid detur.*

R *Esp.* Ad id, ut tutor ratione administratæ tutelæ servetur indemnis.

SECTIO

SECTIO III.

De

Contrariis Tutelæ.

CONtrariæ Tutelæ sunt modi, quibus finitur tutela. Finitur autem vel ipso Jure, vel facto hominis. Et hoc ultimo modo rursus aut per excusationem, aut per suspecti remotionem. De singulis ordine.

§. I.

Quibus modis Tutela ipso Jure finiatur.

FInitur Tutela ipso Jure variè.

1. Finitur pubertate pupilli, quæ in masculo anno 14. in fœmella anno 12. completo evenit. *Princ. Inst. quib mod. tutel. finit.* cur autem fœmella citiùs pubescat, quàm masculus, Paulus Zachias *in Quæst. Medico-Legal. lib.* 1. *Tit.* 1. *Quæst.* 6. *n.* 52. Duplicem rationem affert. 1. Quia fœmina est imperfectior Mare juxta Aristotelem & Galenum. Quatenus igitur fœmina respectu maris imperfectior est, minus spatium requirit, ut suam integram perfectionem assequatur, quàm requirit vir: Patet hoc in homi-

homine, in quo primùm ea, quæ ad corpus ipsum pertinent, perficiuntur, dehinc ea, quæ ad animum, quia animus corpore multò perfectior est. 2. Quia fœmina temperamento humidior, corporeque mollior est, hinc citiùs, quàm Mas concrescit, ob id etiam corpora in omnes dimensiones faciliùs & citiùs sese extendunt, attestante Galeno apud Paulum Zachiam *d. lib. 1. tit. 1. quæst. 6 n. 52.*

Hodie ex recepta ferè ubique in Germania consuetudine tutela cum curatela continuatur, ita ut sit idem curator, qui fuit ante tutor. Gail. *lib. 2. obs. 96. n. 1.* Harprecht *ad pr. Inst. quib. mod. tut. fin. n. 7.* Zoesius *ad ff. tit. de tutel. n. 3. ad fin.* Struvius *in Syntagm. Jur. Civil. Ex. 31. th. 51.* Unde in Camera Imperiali tutorium decretum etiam ad curatoris officium extenditur. Gail *d. obs. 96. n. 6.*

Huic generali ferè consuetudini Germaniæ consonat Jus Provinciale Franconicum *part. 3. tit. 2. §. 5. & 6. tit. 20. §. 2 & tit. 25. §. 1.*

Hâc tamen consuetudine sive statuto non obstante, possunt tutores finitâ pubertate, tutelâ, & rationibus distractis, administrationem deponere, adulto curatorem petere, hâcq; ratione se à cura liberare juxta §. 18. *Inst. de Excusat. tut. & l. 20. C. eod.* cùm sufficiat,

ciat, amico vel in paucis consuluisse *l.* 20. *C. de negot. gest.* Unde aliquoties ita in Camera Imperiali judicatum fuisse refert Gail *d. obs.* 96. *n.* 6. adde D. D. Demeradt *in Fascic. differ. Jur. Commun. & Francon. part.* 1. *diff* 1. *n.* 10. Hoppium *in Vsu hodierno pr. Inst. quib. mod. tutel. fin.*

Secundò finitur tutela morte pupilli §. 3. *Inst. quib. mod. tut. finit.* nam mors omnia solvit. *Nov.* 22. *cap.* 20.

Tertiò finitur tutela quavis capitis diminutione pupilli §. 1, *Inst. quib. mod tut. fin.* Maximâ: Servus enim cùm sit in potestate dominica, in tutela esse non potest. Mediâ: quia tutela Juris Civilis est §. 1. *Inst. de tut.* deportatus autem (idem dixeris de bannito) amittit ea, quæ Juris Civilis sunt §. 2. *Inst. de Cap. diminut.* Minima: quia arrogatus in patriam potestatem redigitur §. 2. *Inst. de Adopt.* Nemo autem duabus potestatibus subesse potest.

Quartò finitur tutela morte tutoris. §. 3. *Inst. quib. mod. tut. finitur.* Nulla igitur tutela transit ad hæredes, quà tales, quia personæ industria electa est: quamvis ad eos transire possit, quà proximos agnatos & cognatos. *l.* 16. §. 1. *ff. de tutel. Novell.* 118 *cap.* 5.

Quintò finitur maximâ, & mediâ capitis diminutione tutoris § 4. *Inst. quib. mod tut. fin.*

Ratio

Ratio est, quia illi & libertas & civitas adimitur §. 1. & 2. *Inst. de Cap. diminut.* Tutela autem Juris Civilis est §. 1. *Inst. de tutel.* Minimâ capitis diminutione quondam tantùm tutela legitima peribat, quia hæc capitis diminutio tollebat agnationem, cui tanquam fulcro innitebatur tutela legitima. Sed hodie ne quidem legitima tutela amplius perit per minimam capitis diminutionem, cùm Jure Novellarum agnationis & cognationis differentia hac in parte sublata sit, ita ut cognati æq; ac agnati ad tutelas vocentur. *Nov.* 118. *cap.* 5.

Sextò finitur tutela existente conditione, vel tempore, ad quod tutor testamento datus est. §. 2. & 5. *Inst. quib. mod. tut. fin.* Quia sub conditione, vel ad tempus concessa, illis existentibus censentur negata.

Septimò suspenditur tutela, si tutor vel curator ab hostibus captus sit. Rectè suspenditur, si enim tutor postliminiò reversus fuerit, recipit antiquam tutelam §. 2. *Inst. de Attil. tut.* Si pupillus: recidit in pristinam tutelam *arg.* §. 5. *Inst, quib. mod. Jus. patr. potest. solv.*

§. II.

§. II.

De Excusatione Tutorum,

EXcusatio tutorum est allegatio justæ causæ, quâ quis onus tutelæ deprecatur.

Causa efficiens est excusans. Potest autem se excusare non tantùm tutor testamentarius & dativus, ut patet ex §. 16. *Inst. & l.* 13. *ff. de Excusat. tut.* Sed & legitimus per *l.* 1. *&* 4. *C. l.* 3. §. 8. *ff. de legit. tutel. l.* 9. *C. qui dar. tut. vel curat. Novell.* 118. *cap.* 5.

Id speciale est in tutore testamentario, quod se excusans amittat, quod ipsi in testamento, ubi tutor datus est, relictum erat *l.* 32. *ff. de Excusat. tutor.* concordat Jus Franconicum *part.* 3. *tit.* 3. § *ult.* Sed

Quær. *Utrùm proximus agnatus & cognatus, si sine justa causa tutelam legitimam suscipere detrectet, eo ipso quoque à successione impuberis defuncti excludatur.*

Resp. Affirmativè de Jure Franconico per *Textum expressum in tit.* 4. §. *ult. part.* 3. der Kayserl: Land-Gerichts-Ord: Jure Civili res dubio non caret.

Objectum excusationis est tutela vel jam suscepta vel suscipienda,

Forma excusationis stat in eo, ut legitimè proponatur, ut autem legitimè proponatur

Requiritur 1. Justa causa, cujusmodi sequentes sunt: Prima causa est polipædia sive Pluralitas liberorum. Si quis proinde Romæ tres, in Italia quatuor, in Provinciis quinque liberos habuit, à tutela, vel etiam cura, se se excusare potuit. *pr. Inst. de Excusat. tut.* Ratio hujus excusationis consistit partim in propriorum liberorum cura, & solicitudine, à qua non nimium pater distrahendus est, ne suis neglectis operam cogatur impendere alienis: partim in favore polipædiæ; Romanis enim magna semper cura fuit conjugiorum, & justæ sobolis, ut numerosam redderent Rempublicam, &, prole perpetuò succrescente, semper essent, qui ad bella, quæ bene multa Romani gerebant, sufficerent. Ut autem hæc excusatio sortiatur effectum, exigitur 1. Ut liberi jam sint nati, qui adhuc in utero sunt, non prosunt ad excusationem *l. 2. §. 6 ff. de Excusat. Tut.* Exigitur 2. Ut jam nati sint eo tempore, quo tutor petitur, vel datur. *d. l. 2. §. 4. & 8* Exigitur 3 Ut sint naturales & legitimi simul *d. l. 2. §. 3. ff. eod.* Naturales tantùm non prosunt, quia convenit legitimè natis patriam augeri, non etiam ex delicto sentire commodum, nec legitimi tantùm sive adoptivi prosunt, quia per commen-

mentitiam hanc generationem numerus civium non augetur. Exigitur 4. ut liberi sint superstites *d. pr. Inst. & l. 2. §. 4. ff. de Excusat. tut.* defuncti non prosunt, nisi bello, hoc est in acie amissi sint, hi enim, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *d. pr. Inst. & l. 18. ff. d. t.* Exigitur 5. ut sint cives, capti ab hostibus non prosunt *l. 2. C. de his, qui num. liber. excusat. meruerunt.*

Hodie in potiori Germaniæ parte quinq; liberos ad excusandum desiderari testatur Schulzen *in Synopsi Inst. tit. de Excusat. lit. A.* Schilter *Ex. 37. ad ff. th. 155.* Schuz *in Compend. Lauterbach. ff. tit. de Excusat. tut.*

Jure Franconico Magistratus pensatis probè circumstantiis æstimabit, quis liberorum numerus ad excusandum sufficiat. Landes-Gerichts-Ord. *part. 3. tit. 9. §. 8.*

Secunda causa est administratio rerum fiscalium §. 1. *Inst. de Excusat. tut.* Ratio est favor & utilitas tum fisci, tum pupilli, administratio enim fisci multa secum onera trahit, quantum itaque curæ & diligentiæ accederet uni, tantum alteri decederet.

Hodie huc posse referri die Rentmeister / Cammermeister / Steuer Buchhalter / Steuer-Einnehmer tradit Melonius *in Thesaur. Jur. Feud. Civ. & Crim. tit. 12. n. 19.* Muller *in Jurisp. Ele-*

Element' Tit. de Excusat. tut. Hoppius *in Usu hodierno* §. 1. *Inst. eod. tit.*

Jure Franconico prudens Judex arbitrabitur, quisnam ob gravitatem munerum sit excusandus. Land-Gerichts-Ord. *part.* 3. *Tit.* 9 §. 3.

Tertia causa est ætas sexagenaria *l.* 2. *pr. ff. de Excusat. tut.* Tum quia senectus est venerabilis *l.* 5. *ff. de Mun. & Hon.* & ob exantlatos pro republica labores otio donari debet: tum quia tantæ ætatis homines rursus incipiunt pueraſcere, ita ut ægrè propriis negotiis expediendis sufficiant: tum denique quia morbus excusat, ergo & Senectus, *quia morbus est senectus ascititia : Senectus autem est morbus naturalis* & juxta Ciceronem *Senectus ipsa est morbus.*

Jure Franconico prudenti Judicis arbitrio determinandum relinquitur, num quispiam ob senectutem excusandus sit, nec ne. Land-Gerichts-Ord. *part.* 3. *Tit.* 9. §. 2.

Quarta causa est absentia reipublicæ causâ §. 2. *Inst. de Excusat. tut.* Ratio est publica salus, cui privata tutelaris meritò cedit *l.* 10. *C de Excusat. tut.* Reversus tamen antiquam tutelam recipit *l.* 10. §. 2. *ff. d. Tit.* Quamvis à nova annuam vacationem habeat *l.* 4. *ff. de Vacat. mun.* Et hoc partim in compensationem operæ propter Rempublicam impensæ,

par-

partim ut reversus possit interim recolligere vires, & restaurare rem domesticam. Quinam autem dicantur reipublicæ causâ abesse, docemur in *l.* 32. 35. 36. & 38. *ff. ex quib. caus mai.*

Quinta causa est professio liberalium artium. Nam Grammatici, Rhetores, Philosophi, Medici, uti à muneribus reliquis, ita & à tutela & cura excusationem habent. §. 15. *Inst. l.* 6. §. 1. & 5. *ff. de Excusat. tut.* Econtrà hac immunitate carent LL. Doctores, nisi Romæ doceant *d. l.* 6. §. 12. *ff. d. Tit* Poetæ *l.* 3. *C. de Profes. & Medic.* Calculatores *l.* 4. *C. eod.* Geometræ *l.* 22. *pr. ff. de Excusat. tut.* Musici *l* 4. *C. de Vacat mun.* Hodie teste Schulzen *ad* §. 15. *Inst. de Excusat. tut.* & Hoppio *in Vsu hodierno d.* §. 15. *Inst. eod.* Omnes Professores, cujuscunque sint facultatis, à tutela vel cura vacationem habent, sive in Universitatibus publicè profiteantur, sive in gymnasijs approbatis; & porrò sive Ordinarii sint, sive Extraordinarii, cùm pro omnibus eadem militet ratio, quod scilicet bonis litteris imbuant Juventutem *l.* 6. *C. de Profes-sor. & Medic.*

Sexta causa est diversitas domicilii *l. ult.* §. *ult. ff. de Excusat. tut.*

Septima causa est disparitas Statûs. Sic ingenuus excusatur à tutela pupilli liberti *l.* 3 *C.* *de Ex-*

de Excusat. tut Senator à tutela liberorum non Senatoris *l.* 15. § 3. *ff. eod.* & hinc videtur mos fluxisse, quod hodie Nobiles sese excusent à tutelis liberorum plebeiorum. Ita cum Hahnio ad Wessenbecium D. D. Balthasar Braun *ad ff. Tit. de Excusat. tut. th.* 49.

Octava causa est potestas §. 3. *Inst. d. T.* Id quod tamen non de omni potestate, sed de majori seu de imperio, quale apud Romanos habebant Magistratus tantùm Majores *l.* 32. *in fine ff. de Injur* intelligendum est *l.* 17. §. 4. *ff de Excusat.* Idem beneficium competebat Magistratibus Municipalibus *l.* 6. §. 16 *ff eod.* Quamvis enim hi respectu Magistratuum Romanorum sint minores, sunt tamen pariter respectu aliorum in oppidis inferiorum superiores, quia præcipuam habent potestatem Confer Bacchov. *ad Inst. de Excusat. tut.* § 3.

Hodie omnes Magistratus à tutela excusantur, adeoq; nisi sponte tutores esse velint, non coguntur. Schulzen *in Synopsi Instit. d. T. lit. B* Schilter *Ex.* 37. *ad ff.* §. 161. Hoppius *in Usu hodierno* §. 3. *Inst. d. T.*

Nona causa est imperitia literarum conjuncta cum imperitia œconomica § 8. *Inst. & l.* 6 § *ult ff eod.* Melonius *in Thesaur. feudal civil & criminal. cap.* 12. *n.* 23. Maulius *de Tutel. cap.* 18. Ex ratione, quia ejusmodi

tutor

tutor uti potest operâ alienâ in conscribendis negotiis pupillaribus.

Decima causa est paupertas. Qui proinde ita cum egestate luctatur, ut operi & oneri tutelæ impar sit, ac vix ad suam suorumq; vitam sustentandam necessaria quærere valeat, à tutela & cura excusatur. §. 6. *Inst. l. 7. & l.* 40. §. 1. *ff, d t.* quæ autem & quanta paupertas ad excusandum sufficiat, Judex æstimabit, ita communis Doctorum sententia ad §. 6. *Inst. d. T.* concordat Land-Gerichts-Ord. *part.* 3 *Tit.* 9 §. 8.

Undecima causa est onus tutelarum, qui proinde tres tutelas, curasvè, omnes diversi patrimonii administrat eodem tempore, ad quartam vocatus excusatur §. 5. *Inst. d T.* Ratio est favor pupillorum, ne ipsorum negotia negligantur, quod futurum, si quis satis illorũ procuratione distractus novis denuò tutelis oneretur *arg l. pen.* § *ult ff d T.* modò 1. tutelæ hæ non sint affectatæ *d.* §. 5. 2. una aut altera ex illis non sit brevi finienda. *l.* 17. *pr ff. d. T.* 3. Nisi honorariæ sint: in his enim cùm cesset difficultas administrationis, ipsa quoque excusatio cesset, oportet *l.* 13. §. 9. *ff. d. T.*

Jure Franconico pendet à prudenti Judicis arbitrio, ob quot tutelas, curasvè quis ab

ulteriori tutela delata sese excusare possit, Land-Gerichts-Ord. *part.* 3. *Tit.* 9. §. 4.

Duodecima causa est onus tutelæ priùs gestæ. Si quis igitur tutelam alicujus gessit, invitus curator ejusdem esse non compellitur. §. 18. *Inst. d. T.* quia satis abundeq; sufficit, si cui vel in paucis amici labore consulatur. *l.* 20. *C. de negot. gest.*

Illud ab Inferioribus Ducatûs Franconici Magistratibus adhuc probè notandum est, quod, si in ponderatione excusationum dubitent, aut circa eas propositas nihil decidere valeant, Præsidem Judicii Provincialis desuper consulere, aut personas sese excusare volentes, ad eundem Præsidem mittere teneantur, Land-Gerichts-Ord. *d. Tit.* 9. §. *ult.*

Secundò requiritur ad excusationem legitimè interponendam, ut debito loco proponatur, proponi autem debuit, ubi olim major Magistratus, ut Romæ erat Prætor, Præses in provinciis &c. jus dicebat, ubi sedebat pro tribunali *l.* 3. 16. 18. & 23. *C. d. Tit.*

Hodie sicuti quivis Magistratus Ordinarius tutorem dare potest per tradenda inferiùs, ita & coram quovis hæc excusatio fieri potest.

Ter-

Tertiò ad excusationem rectè faciendam requiritur, ut debito tempore proponatur. Debet autem proponi intra 50. dies continuos, si excusare se volens habitat in urbe, vel intra 100. lapidem, id est 100 milliaria; ei verò, qui habitat ultra 100. lapidem tot dies dantur, quot necessarii sunt ad iter illud conficiendum, numeratis in singulos dies 20. milliaribus, & insuper adduntur 30. dies: ita tamen, ut semper, qui longiùs abest, non minùs habeat, quàm 50. dies. §. 16. *Inst. & l. 13. §. 1 & 2 ff d T.*

Hodie istæc milliarium dinumeratio vix ullum usum habere videtur, cùm de consuetudine & statutis locorum tutores rarò assumantur, nisi qui & domicilium & jus civitatis commune habent cum pupillo vel adulto. Præterea nec tempora excusationum præscripta hodie amplius observantur, alicubi enim statim excusatio alleganda est, alicubi intra triduum, alibi intra unum vel duos menses &c. vide Harpprecht *ad* §. 16. *Inst. d. T. n.* 8. Hoppium *in Vsu hodierno d.* §. 16.

Jure Franconico constitutum est, ut tutor quamprimùm post mortem patris pupilli in primo Judicio Provinciali intra urbem, extra eam proximè conveniente Magistratu se excuset. Land-Gerichts-Ord. *part.* 3. *Tit.* 8. §. 9.

Effectus excusationis legitimè factæ est, quod tribuat immunitatem à tutela.

§. III.

De suspectis Tutoribus.

SUspecti remotio est actus quo Tutor non ex fide administrans tutelam ab officio removetur.

Fit hæc remotio plerumque præviâ accusatione suspecti, quæ definitur, quod sit actus, quo tutelam non ex fide administrans eo fine apud Magistratum defertur, ut ab officio removeatur.

Causa efficiens hujus accusationis est Lex 12. Tabb. *Princ Inst & l. 1. §. 2. ff. h. t.*

Subjectum hujus accusationis est vel activum, vel passivum:

Subjectum activum est is, qui tutorem accusat velut suspectum. Potest autem accusare quilibet de populo §. 3. *Inst. h. t.* etiam mulieres *d. §. 3.* & puberes suos curatores, non tamen aliter, quàm cum consilio propinquorum §. 4. *Inst. l. 7. pr. ff. l. 6. C. eod.* Impuberes verò ob immaturi Judicii fragilitatem tutores suos suspectos postulare non possunt *d. §. 4. Inst. h. t.*

Quæ-

Quær. *Quidsi nullus tutorem suspectum arguat?*

R*Esp.* Tunc Judex ex officio tutorem notoriè suspectum à tutela removebit *l.* 3. §. 4. & 12. *ff. h. t. l.* 6. *C. qui dar. tutor.*

Subjectum passivum est, qui suspectus postulatur. Potest autem sic postulari cujuscunque generis tutor, etiam Patronus, aut is, qui necessitudine aliquâ pupillo conjunctus est, dummodo meminerimus famæ harum personarum parcendum esse. §. 2. *Inst. l.* 1. §. 5. *ff. h. t.* quod fiet, si tantùm actio in factum contra illos moveatur, adhibitis verbis modestioribus, & omissâ mentione doli.

Forma hujus postulationis stat in modo eam deducendi in Judicium, ut autem in id rectè deducatur, duo requiruntur.

Primò requiritur, ut coram competente Magistratu fiat. Sed

Quær. I. *Quis sit hìc Magistratus competens?*

R*Esp.* Tantùm Magistratus Majores & eorum mandatarii *l.* 1. §. 3. & 4. *ff. h. t. l.* 4. *ff. de offic. ejus cui mandat. est Jurisd.*

Quær.

Quær. II. *An Jus cognoscendi de suspectis tutoribus sit Jurisdictionis ordinariæ vel extraordinariæ?*

R*Esp.* Ordinariæ, Ita Vinnius, Bacchovius, Ludwell, Theophilus Majer *ad §. 1. Inst. h. t.* Struvius *in evolut. controvers. Ex. 4. th. 67. quæst. 2.* D. D. Braun *ad lib. 26 ff. h. t. th. 7.*

Prob. Quæ mandari possunt, & vi mandatæ Jurisdictionis transeunt in mandatarium, sunt Jurisdictionis ordinariæ *l. 1. ff. de Offic. ejus cui mandata est Jurisdict.* Sed Jus cognoscendi de crimine suspecti mandari potest, & vi mandatæ Jurisdictionis transit in mandatarium *l. 1. §. 4. ff. h. t. & l. 4. ff. de Offic. ejus, &c.* Ergo.

Hodie de crimine hoc cognoscere, hujusque criminis convictos à tutela removere omnes Judices, qui tutores dare, possunt. Schneidwin *ad §. 1, Inst. h. t.* Harprecht *ad §. eundem.* Zoesius *ad ff. h. t.*

Jure Franconico uti in urbe Judex Provincialis & in Provincia Magistratus Municipales tutores dare possunt, ita & removere. Si tamen remotio post se trahat infamiam, soli Præsidi Judicii Provincialis ea reservata est. Land-Berichts-Ordnung. *part. 3. tit. 25. §. ult.*

Secun-

Secundò ad postulationem hanc legitimè in Judicium deducendam requiritur, ut doceatur, quod tutor non ex fide tutelam administret §. 5. *Inst. h. t.* Quando autem tutor non ex fide tutelam administrare dicatur, latè exponit D. D. Braun *ad lib.* 26. *ff. h. t. th.* 19.

Effectus hujus accusationis alius est, dum pendet, alius postquam finita est.

Effectus accusationis pendentis est, quod operetur suspensionem officii tutorii §. 7. *Instit l.* 7. *C. h. t.* Ex ratione, ne tutor hoc judicio irritatus malitiosiùs in tutela versetur.

Effectus accusationis finitæ est remotio suspecti tutoris, quæ quandoq: infamiam irrogat, puta si ob dolum facta sit. Hoc tamen ita, si Judex dolum in decreto expresserit, ut si Judex sic pronuntiavit: Weil gnugsamb dargethan / daß Sempronius betrüglich / und seinen pupillis zu schaden / jhme aber selbst zum Vortheil die Vormundschafft verwaltet ꝛc. Tutor remotus infamis fit propter expressam mentionem doli in sententia factam. *l.* 4. §. 2. *ff. h. t.* Si verò ita dixit Judex: Weil gnugsam erwiesen / daß Beklagter ein und anders dem pupillo zu schaden versehen / und also zur Administration nit tauglich ist. ꝛc. tutor salvâ existimatione abit. *d. l.* 4. §. 2. *ff ht.*

Quan-

Quandoque remotio relinquit existimationem intactam, puta si fiat ob culpam §. 6. *Inst. h. t.*

Quær. *An saltem remotus ob culpam latam fiat infamis?*

R *Esp.* Negat Wesselenbec. *ad ff h t.* Schneidwin ad §. 6. *Inst. eod* Harprecht *ad §. eund.* Struvius *in Syntagm. Jur. Civil. Exerc* 31. *th.* 55. Affirmat Bacchovius; Vinnius, Schambogen *ad §. 6. inst. h. t.* Zoesius *ad ff. Tit. eod. n.* 9. Wisselenbach *part.* 1. *ff. Disp.* 51. *th:* 21. D. D. Braun *d. Tit. th.* 26. D. D. Franz *in Prodrom. Justin. lib.* 1. *Tit, ult.* § 6. *n.* 19.

Ego primas primæ sententiæ defero, ob unicum breve, sed, ut opinor, efficacissimum argumentum: in dubio benignior sententia præferenda est *l.* 56. *ff. de R. J.* & odiosa sunt restringenda *cap. Odia de R J in 6.* atqui hic vel maximè dubium est tam extrinsecum, quàm intrinsecum. Extrinsecum propter graves omninò Authores acriter utrinque pugnantes: Intrinsecum propter argumenta non ficulnea pro utraque parte militantia. Atqui benignior sententia est, asserens, quod ob culpam latam remotus non efficiatur infamis, odiosaq; simul restringuntur. Ergo. Contra opponi solita solidè refutant Harprecht, D. D. Braun & Franz *dd. ll.*

DISSER-

DISSERTATIO XI.

De TUTELA in SPECIE.

VIdimus, quid sit Tutela in genere, vadimus viâ rectâ ad Tutelas in specie. Cùm autem celebrior tutelæ divisio sit ea, quâ tutela abit in testamentariam, legitimam, & dativam, de quavis nunc ordine tractabitur.

SECTIO I.

De Tutela testamentaria.

§. I.

De Definitione Tutelæ testamentariæ.

PRincipalis tutelarum species est Tutela testamentaria, quia quamdiu adest, vel speratur Tutor testamentarius, excluditur legitimus

timus & multò magis dativus *l. 11. ff. de Testam. tut. l. 9, §. 1. ff. de Tutel & Rat. distrah.*

Definitur tutela testamentaria, quod sit illa, quam tutor in testamento constituit.

§. II.

De Causa efficiente Tutelæ testamentariæ.

CAusa efficiens tutelæ testamentariæ est is, qui tutorem in testamento dare potest. Potest autem dare omnis, & solus ille, qui liberos, quibus dare vult, proximè in potestate habet §. 3. *Inst. de tut.*

Quær. *Utrùm Parens Elector primogenito filio suo impuberi, excluso proximiore agnato, in testamento tutorem dare possit?*

ILlustris hæc Controversia circa Tutelam Electoralem anno sæculi præteriti 10. magnis animis, & Zelosis calamis agitata fuit inter Consiliarios Palatinos & Neoburgicos paulò post nominandos, dum Fridericus Elector Palatinus Filio suo impuberi testamento tutorem dedit Joannem Ducem Bipontinum excluso agnato seniore Philippo Ludovico Principe Neoburgico. Nobilitatæ huic Con-

Controversiæ causam dedit Aurea Bulla *cap. 7. §. 4. Si Principem Electorem, seu eius primogenitum, aut filium seniorem laicum mori, & hæredes masculos legitimos laicos defectum ætatis patientes relinquere contigerit, tunc frater senior ejusdem primogeniti tutor eorum & administrator existat, donec senior ex eis legitimam ætatem attigerit: quam in Principe Electore decem & octo annos completos censeri volumus, & statuimus perpetuò haberi; quam dum attigerit, Jus, vocem & potestatem, & omnia ab ipsis dependentia, tutor ipsi totaliter cum officio teneatur protinus assignare.* In verbis hisce, dixerunt Neoburgici, est adempta facultas Patri Electori designandi tutorem in testamento Filio Electorali impuberi, Palatini econtrà negârunt, asserentes, Auream Bullam loqui tantùm conditionatè, nempe si nullus testamento tutor datus sit.

Partes Palatinas masculè tum defenderunt Marquardus Freherus, & Dionysius Godefredus Consiliarii Palatini *totis Tractatibus eo fine editis.* Progressu temporis huic factioni accessêre Bacchovius *ad Treutlerum vol. 2. Disp 8. th. 3. lit. A.* VVissenbach *ad Inst. Disp 7. th. 20.* Vnrath apud Fritsch *part 1. Exercit. Jur. publ. Ex. 1 per tot* Eckold *ad ff. tit. de testam. tutel. §. 1.* Schulzen *in Synopsi*

nopsi Inst. tit. de legit. agnat. tutel. lit. A. Ringler *de tutel. person. illustr. cap. 3. per tot.* D. D. Balthasar Braun *ad lib. 26. ff tit. de testam. tutel. th. 18.* D. D. Gletle *in Tractatu Canonico-Civili de testamentis part. 2. cap 2. §. 1. n. 3* D. D. Franz *in Prodrom. Justin lib. 1. tit. de Testament. tut. §. 4. n. 10.* aliique plures.

Probant 1. Jure veteri tutela, etiam Electoralis, testamento deferri potest § 3. *& seq. Inst. de tutel. l. 1. in princ. & tot. tit. ff. & C. de testam. tut.* Ita ut per tutorem testamentarium excludatur tutor legitimus, seu proximus agnatus per *l. 9. §. 1. ff. de tutel. & rat. distrah.* cui concordant *l. 11 in pr. ff. & l. 3. C. de testam. tutel. l. 89. ff. de R. J.* Ergo idem dicendum de Jure novo Aureæ Bullæ, tum quia Jura juribus sunt concordanda, & eorum correctio evitanda *cap. 29. de Elect. in 6.* tum quia omnes leges posteriores juxta anteriores (si commodè fieri potest) declarari debent *l. 28.* ibiq; Godofredus *lit. B. ff. de LL.*

Probant. 2. Licet Jus vetus statuat agnatum proximum debere esse tutorem agnati impuberis, per hæc verba tamen non impeditur pater, quòminùs filio impuberi testamento tutorem assignare possit; Ergo licet quoque Aurea Bulla dicat fratrem seniorem debere esse tutorem Filii Electoris impu-

puberis, non tamen per hoc excluditur Tutor testamentarius.

Probant 3. Aurea Bulla non tantùm Filio Electorali, sed & aliis fratribus impuberibus, qui in Electoratu non succedunt, agnatum seniorem pro tutore assignat, & tamen reliquorum Principum Tutela in omnium sententia regulatur juxta Jus commune. Ergo & tutela Filii Electoralis.

Probant 4. Cœteri Imperii Proceres liberis suis impuberibus in testamento tutores constituere possunt *arg. l. 1. C. de tut. vel curator. illustr.* Ergo & Electores. Ideo enim illi possunt, ut bono publico, Principatui & posteritati suæ consulant, & si agnatum seniorem, vel proprii commodi plus æquo studiosum experiantur, vel aliàs suspectum habeant, per viam testamenti à tutela removere possint, quæ omnia cùm pariter militent ex parte Electorum, idem quoque Jus hoc in passu circa eos obtinebit.

Probant 5. Aurea Bulla in favorem Electorum introducta fuit, ut satis colligitur ex ejusdem Bullæ *cap. 13.* ergo non debet operari contrarium effectum, quem tamen operaretur, si ratione tutelæ Juri Electorum, quod iis non tantùm ex lege Civili, sed & ipso quasi naturæ, & gentium Jure competit, derogaret.

Probant 6. ab exemplis : Sic sæculo 15. Ludovicus Elector Palatinus, cognomento barbatus Joanne & Stephano fratribus natu majoribus præteritis, fratrem suum juniorem filio Ludovico II. tutorem testamento constituit, Idem ab initio sæculi 17. accidit in Friderico IV. qui (ut suprà diximus) Neoburgico Bipontinum antepositit. Plura exempla videri possunt apud Thulemarium *de Octoviratu cap.* 27. *n.* 14

Pro Neoburgico non minùs acriter pugnârunt Joannes Zeschlin & Zacharias Friedenreich Consiliarii Neoburgici *totis itidem commentariis hac super re editis* quibus ex post sese adjunxerunt Arumæus *ad A. B. Discurs.* 4. *th.* 10. Lymnæus *ad A. B. cap.* 7. §. 2. *obs.* 21. Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. part* 1. *cap.* 29. §. 16. Bechmann *ad A. B. cap.* 7. *Ex.* 5. *n.* 36. Hermes *in Fascic. Jur. publ. cap* 14. *n* 48. D à Puhel *de Tutel. Elect. & Princ. cap.* 7. *n.* 7. Blumblacher *de Tutel. cap.* 4. *n.* 15. D. D. Sommering *in semicenturia Controvers. Decad.* 2. *contr.* 5. *n.* 5. aliqui plures.

Probant 1. Ex Aurea Bulla *cap.* 7. ubi Carolus IV. expressè recedit à Jure communi, constituendo, ne tutela Electoralis testamento deferatur, sed indistinctè proximus agnatus

tus succedat. Verba Aureæ Bullæ mox ante recitavimus.

Probant 2 Mens Caroli IV. fuit novum Jus constituendi à jure privato diversum, eccur enim alias tanto conamine cum communi Procerũ consensu rem hanc tractâsset? Sed Jus novum non constituisset, si Aurea Bulla eundem sensum reciperet, quem recipit Jus Civile privatum, scilicet tum demum esse locum tutori legitimo, quando nullus in testamento tutor assignatus est.

Probant 3. Agnatus proximus jus ad tutelam Electoralem quæsitum habet à lege per *A. B. cap. 7.* & *Bullam Sigismundi itidem cap. 7.* Ergo illo privari nequit per testamentum, nemo enim facere potest, ne leges in testamento suo locum inveniant *l. 55. ff. de Legat 1.*

Probant 4. Nulla in feudis valet dispositio testamentaria 1. *Feudor. 8. in pr.* Ergo nec assignatio tutoris in testamento circa Electoratum, quia alias sic valeret dispositio testamentaria.

Probant 5. Illum sequitur onus tutelæ, quem comitatur successionis commodum *l. 1. ff. de legit. tut.* Sed proximus agnatus senior solus sperat successionis commodum *Aur. Bull. cap. 7.* ergo & hic solus oneri tutelæ subjacebit.

Probant. 6. Si tutela Electoralis non tantùm remotiori cognato, sed cuivis etiam extraneo Principi testamento deferri posset, Secreta Electoralia facilè propalarentur, id quod rationi statûs non parùm repugnare videtur.

Probant 7. Exemplis: sic Ludovici IV. Electoris Palatini frater Fridericus spretâ dispositione testamentariâ ejus filii Philippi tutelam Anno 1449 administravit, item mortuo Ludovico V. Electore Anno 1583 Joannes Casimirus ejus frater, non attentâ dispositione testamentariâ, tutelam Friderici Electoris suscepit vide Harpreeht *ad* §. 2. *Inst. de legit. agnat. tutel. n* 29. *& seq.*

Viam mediam ingressus est Henricus Cocceius *in Juris publici prudentia cap.* 29. *n.* 17. *& seq.* Eumque secutus D. D. VVoller *in quæst. select Jur. Controv. de anno* 1698. *quæst.* 6. *sect.* 2. *n* 22 volentes, quod Principes Novemviri filiis suis Electoralibus primogenitis testamento tutores dare possint, quoad ditiones gubernandas, administrationem autem functionum Electoralium proximo agnato lege delatam per testamentum aufferre non possint, quorum vestigiis insistere lubet juxta illud:

Inter utrumque vola, medio tutissimus ibis:

Proba-

Probatur membrum priùs. Nulla extat lex publica prohibens, ne filiis suis Archi-Principes testamento tutorem assignent ad Principatus administrandos, ergo possunt. Antecedens probatur. Si qua foret lex publica prohibens, foret Aurea Bulla *cap.* 7. Sed ne jota ibidem deprehendes circa Principatus administrandos aliquid statuens, cum totus, quantus textus est, de solis functionibus Electoralibus loquatur, ut *d. cap. 7. A. B.* attentè legenti ad oculum patebit. Ergo.

Probatur membrum posterius. Archioffi-cium & jus eligendi Imperatorem cùm non privata territorii, sed causa publica Imperii sit, non pendet ab arbitrio testatoris, qui quidem ultimo elogio de Familia sua, non etiam de re Imperii disponere, adeoque liberis suis in regimine Principatûs tutorem dare potest, non autem in jure constituendi caput Imperii, & cùm de hoc publico totius Imperii negotio certa norma ac forma in Aurea Bulla præscripta fuerit, eam legem de Jure Imperii publico disponentem privato arbitrio testator infringere non potest, & aliàs fœmina quoque v. g. mater tutrix dari, publicas officii Electoralis functiones peragere, & insignia gestare posset, quod vel cogitare dedecet.

Confirmatur 1. per Auream Bullam Sigismundi §. 7. à Cocceio *d. l.* relatam hisce verbis: *cui Juveni quàm citò ætatem debitam pertingenti NB. vocem, jus, dignitatem & potestatem prædictæ electionis: & omnia ac singula ab ipsis dependentia idem tutor tenebitur protinus assignare.* Et iterum: *ætatem debitam in hoc casu eligendi* (videlicet Romanorum Regem) 18. *annorum censeri volumus* &c. *NB. In Principatibus autem, Ducatibus &c. gubernandis, ætatem decernimus observandam, prout à Divis Romanorum Imperatoribus est sancitum.* Ex quibus luculenter apparet, aliud jus circa functiones Electorales, aliud circa territoriorum regimen obtinere.

Confirmatur 2. publico, legitimo, ac luculento exemplo Domûs Bavaricæ, ubi Maximilianus I. Elector liberis suis & provinciis quidem tutricem dedit Serenissimam Conjugem Mariam Annam Austriacam pupillorum matrem, sed ratione officii Electoralis Agnatum proximum Albertum Bavariæ Ducem, idque adeò publicè probatum est, ut in Comitiis Imperii Anno 1654. & Agnati Legatus Electoralis in Electorum, Tutricis Ducalis verò in principum senaculo recepti, voce, & sessione, atque postmodum etiam subscriptione distincti fuerint. Vide *Recess. Imper. de anno* 1654. in subscriptione, ubi in ordine

dine Electorum ita legitur: Albrechten in Ober- und Nider-Bayern / auch der Ober-Pfaltz Hertzogen / Pfaltz-Graffen bey Rhein / Land-Graffen zu Leuchtenberg / als deß Chur-Fürsten zu Bayern Administratoren ꝛc. Postea in ordine principum ita: Marien Annen in Ober- und Nieder-Bayern / auch der Obern-Pfaltz Hertzogin / Pfaltz-Gräffin bey Rhein / Chur-Fürstin / Land-Gräffin zu Leuchtenberg / verwittibten / und bevollmächtigten Regentin in Vormundtschafft ihres Sohns Ferdinandi Mariæ Hertzogen ꝛc. wegen der Hertzogthümber Ober- und Nieder-Bayern.

Quær. II. *An Principes non Electores in testamento liberis suis tutorem absolutè constituere possint?*

R*esp.* Affirmativè. Ita D. à Puhel *de Tutel' Elector. Princip. &c. cap.* 4. *n.* 3. Myler ab Ehrenbach *de Princip & Stat. Imp. cap.* 29. *n.* 3. Ludolphus Hugo *de Stat. Region German. cap.* 6. §. 11. Rhetius *in Instit Jur publ. lib.* 1. *tit.* 23. §. 1. Vitriarius *in Inst. Jur publ. lib.* 3. *Tit.* 20. *n.* 18.

Probatur inde, quod nulla lex publica extet dationis hujus prohibitiva, ergo æque

princeps, ac privatus, liberis suis testamento tutorem assignare potest, imò multò magis, quàm privatus; nam si quicquam est in politica administratione, quod diligentem, sedulamq; curam mereatur, tutela certè Filiorum illustrium hanc sibi vendicat, Betsius *de Pact. Famil. illust. cap.* 7. Merito igitur benignum parentis votum sequendum est, cùm nullus sit affectus, qui vincat paternum *l.* 8. §. 3. *ff. quod metûs causâ.* Quid multis? habemus hodiernam Imperii practicam, nihil enim frequentius est in Imperio Romano-Germanico, quàm Principum, Comitum, aliorumque Illustrium elogia ultima de tutela pupillorum illustrium disponentia. Tutor tamen testamento datus à Consilio Aulico Imperatoris, vel Camera Imperiali confirmari debet. Ludolphus Hugo *de Stat. Region. German. d. cap.* 6. §. 11. Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. d. cap.* 29. *n.* 4 Vitriarius *d. lib.* 3. *tit.* 20. *n.* 19.

§. III.

De Subjecto Tutelæ testamentariæ.

SUbjectum Tutelæ testamentariæ est, qui tutor testamento dari potest. Potest autem

tem dari omnis, qui non prohibetur. Quinam autem prohibeantur, superiùs dictum est.

§. IV.

De Objecto Tutelæ testamentariæ.

OBjectum Tutelæ testamentariæ sunt liberi in patria potestate dantis proximè constituti, & post mortem ejus in alterius potestatem non recasuri. §. 3. *Instit. de tutel.* Hinc

Infer 1. Patrem non posse tutorem dare filio emancipato, ita ut datio ejus valeat ipso jure §. *ult. Inst. de tutel.* Si tamen dederit, confirmandus est sine inquisitione *d.* §. *ult. Inst. de tutel. l.* 1. §. 2. *ff. de Confirm. tut.* præsumitur enim pater optimè consulere liberis.

Infer 2. Nec patrem rectè testamento tutorem dare filio naturali *l.* 7. *ff. de Confirm. tut.* Si tamen dederit, confirmandus est, & quidem sine inquisitione, si pater ei quid reliquit, cum inquisitione, si nihil ipsi reliquit *l.* 7. *ff. de Confirm. tut. l. ult. C. eod.*

Infer 3. Nec avum posse nepotibus, neptibusque suis aliter testamento tutorem assignare, quàm si post mortem ejus in potestatem patris sui recasuri non sunt, qui enim

pa-

patrem habet, à quo regatur, tutoris auxilio non indiget.

Infer 4. Nec matrem posse testamento tutorem dare liberis, ut valeat ipso jure, ob defectum patriæ potestatis *l.* 69. §. 2. *ff de Legat.* 2. Si tamen dederit liberis, quos simul hæredes instituit, datus tutor cum inquisitione à Magistratu confirmari debet *l.* 4. *ff. de testam. tut.* Si dederit liberis suis, quos non instituit hæredes, solet ex voluntate matris datus Tutor à Judice confirmari *l* 4. *Cod. eod.*

Quæs. *An pater filio exhæredato testamento tutorem dare possit?*

Resp. Affirmativè per *l.* 4. *l.* 10. §. 2. *in fine l* 31. *ff. de testam. tut.* tum quia patriam potestatem, à quâ pendet facultas dandi tutorem, non tollit exhæredatio *l. ult ff. unde legit. l.* 20 *pr. ff de bonor. possess contr. tab.* tum quia pater etiam bonâ mente filium exhæredare potest, non ut ei obsit, sed ut prosit *l.* 18. *ff. de lib. & posthum.*

§. V.

De Forma Tutelæ testamentariæ.

Forma Tutelæ testamentariæ est vel substantialis, vel accidentalis.

Forma

Forma substantialis stat in requisitis.

Requiritur autem 1. Ut tutor detur ab eo, qui habet patriam potestatem §. 3. *Inst. de tutel.* 2. Ut detur illis, qui sunt impuberes; existentes in patria potestate, & post mortem dantis non recasuri in alterius potestatem *d.* §. 3. *Inst. de tutel.* 3. Ut detur in testamento *d.* §. 3. *Inst. de tutel.* vel codicillis testamento confirmatis *l.* 3. *ff. de testam. tut.*

Forma accidentalis stat in eo, quod possit tutor testamento dari simpliciter, vel sub conditione, ex certo tempore, vel ad certum tempus §. 3. *Inst. & l.* 8. §. 2. *ff. eod.*

§. VI.

De Effectu Tutelæ testamentariæ.

Effectus Tutelæ testamentariæ ferè coincidit cum effectu tutelæ in genere.

§. VII.

De Contrariis Tutelæ testamentariæ.

Contraria sunt modi, quibus finitur tutela testamentaria, finitur autem eodem ferè modo, quo tutela in genere.

Quæ-

Quær. 1. *Valeatne tutoris datio, si testamentum, in quo tutor datus est, vel nullum sit, vel annulletur?*

Resp. 1. Si testamentū priùs validum ex post facto propter iniquam prætertionem, aut exhæredationem rescinditur, tutoris datio in suo vigore permanet, licet institutio hæredis corruat. *Novell. 115. cap. 4. in fine.*

Resp. 2 Si ex testamento legitimè facto nullus hæres extiterit, tutoris quoque datio nullius valoris est *l. 7. & 9. ff. de Testam. tutel.* Quia corruente principali, uti hìc est institutio hæredis, corruunt quoque accessoria, cujusmodi etiam tutoris datio est. Limitatur, nisi pater hæredi suo tutorem testamento adscripserit, licet enim hic à paterna hæreditate abstineat, tutoris tamen datio robur obtinet, cùm nuda hæredis sui existentia confirmet testamenti tabulas, *l. 41. & 42. ff. de acq. vel omitt. hæred.*

Resp 3. Si testamentum ab initio statim nullum sit vel ex defectu solennitatis, vel ex causâ qualibet alia, tutoris quoque datio nullius momenti est, ex modò dicta ratione, quia accessorium sequitur naturam sui principalis. Quamvis ejusmodi tutor à Judice causâ cognitâ confirmari soleat, *arg. l. 2. ff. de Confirm. tut.*

Quær.

Quær. 2. *Quid dicendum de datione tutoris in Prncipum aliorumq; Illustrium Immediatorum testamentis non habentibus omnes à Jure Civili præscriptas solennitates?*

R *Esp.* Ejusmodi testamenta nihilominus subsistere, adeoque & tutoris dationem in iis factam sustineri. Ita Harprecht *ad* §. 3. *Inst. de testam.* Gail 2. *obs.* 127. *n.* 9. Wehner *in Consil. Francon.* 1. Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imperii cap.* 26. *n.* 4. Rhetius *in Inst. Jur. publ. lib.* 2. *Tit.* 34. §. 1. Ringler *de tutel. Person. Illustr. cap.* 2. § 6. *&* 7. Aliique plures.

Prob. 1. Imperator in testamento condendo Juris Civilis solennitatibus non adstringitur *l.* 3. *C. de testam.* Ergo nec Imperii Princeps, aliusvè Imperii Status, cùm, juxta tritum publicistarum brocardicum, tantum possit Imperii Status in suo territorio, quantum Imperator in Imperio.

Prob. 2. Ordines Imperii in condendis ultimis elogiis utuntur Jure militari, ita cum Socino, & Zasio Gailius 2. *obs.* 127. *n.* 9. Sed milites testaturi non alligantur Juris Civilis subtilitatibus *t. t. Inst. ff. & C. de testam. milit.* Ergo nec Imperii Ordines. nec officit, quod

infe-

inferioris conditionis militibus tum demum hoc privilegium concedatur, quando in conflictu aut saltem in castris versantur *per Constit. Notariorum Maximil. I. de anno* 1512. *Rubrica* von Testamenten 9. und sollen 2. cùm majori splendore, & præeminentiâ gaudeant Testamenta Illustrium in Imperio propter feuda majora sive regalia; imò Principes Germaniæ semper Imperatori & Imperio militare existimantur, cùm sumptus bellicos quavis necessitate publicâ occurrente ex Lege Imperii præstare teneantur. Gail *d. obs.* 127. *n* 9.

Prob 3. Princeps aliiq; Imperii Status possunt Juri Communi circa tutelas, testamenta, contractus, successiones &c ut alibi fusè traditum, per sua statuta derogare, ergo legibus Civilibus varias solennitates hìc requirentibus non obligantur.

Confirmatur hæc assertio variis responsis facultatum Juridicarum, aliorumque Jurisprudentum ab Harprechto, Mylero, & Ringlero *dd. ll.* allegatis.

SEC-

SECTIO II.

De

Tutela legitima.

TUtelam testamentariam excipit legitima, inde sic dicta, quod proximè deferatur à sola lege.

Dividitur in veram & quasi talem. Vera est, quæ descendit ex verbis legis, uti est legitima agnatorum tutela, vel ex mente legis, uti est legitima patronorum tutela. Quasi talis est, quæ nec ex verbis, nec mente legis proximè oritur, sed ad exemplum veræ legitimæ per ulteriorem interpretationem recepta est, cujusmodi est legitima parentum, & fiduciaria tutela, de quavis seorsim.

§. I.

De legitima agnatorum tutela.

DIviditur legitima agnatorum Tutela, quod sit illa, quam lex 12. Tabb. expressis verbis defert proximis pupilli agnatis *t. t. Inst. ff. & C. de legit. tut.* Ratio deferendi fuit, tum Jus & charitas sanguinis, vi cujus quàmoptimè hæ personæ pupillis consulere præsumuntur, tum, quod, ubi est successio-

nis emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debeat *l.* 1. *pr. ff. h. t.*

Causa efficiens hujus tutelæ est lex 12. tabb. *pr. Inst & d. l.* 1. *pr. ff. h. t.*

Subjectum hujus tutelæ sunt ii, quibus defertur hæc tutela legitima. Defertur autem agnatis, masculis, gradu proximis, majorennibus.

Dixi 1. *Agnatis.* Sunt autem Agnati illi, qui per virilis sexûs cognationem nobis conjuncti sunt, seu qui idem gentilitiun nomen & familiam habent, vulgò die eines Nahmens Geschlechts / Schildes / oder Helms seynd. §. 1. *Inst. l.* 7. *ff. h. t.* cognati sunt, qui per fœminas nobis conjunguntur, vulgò der Mutter Bluts-Freund *d.* §. 1. *Inst. h. t. l.* 4. §. 1. & 2. *ff. de Grad. & Affin.* Solis igitur agnatis Lex 12. tabb. tutelam legitimam deferebat. *pr. Inst. h. t.* ut, qui sperarent commodum successionis, sentirent & onus tutelæ *l.* 1. *pr. ff. h. t. & arg. l.* 10. *ff. de R. J.* sed postquam Jus Novellarum sublatâ hoc in passu agnatos inter & cognatos differentiâ, non minùs cognatis, quàm agnatis hæreditatem pupillorum decedentium detulit, hodie tutela quoque ad cognatos, æque ac agnatos pertinet *Nov.* 118. *cap.* 5. & hoc expediti juris est, quoad bona allodialia. Sed

Quæt.

Quær. I. *Quinam in feudis sint legitimi tutores?*

R*Esp.* Cùm etiam in feudis, cujus qualitatis quoque sunt splendidissimi Germaniæ nostræ Ducatus, Principatus, Marchionatus &c. Fundamentum tutelæ legitimæ radicatum sit in Jure successorio *arg. l.* 10. *ff. de R. J.* soli autem agnati, non cognati (nisi fortassis feudum sit fœmineum, vel merè hæreditarium, vel speciali pacto cognatis hac in re provisum sit) feudorum sunt successores 2. *Feud.* 11. Hinc

Infertur 1. Quod soli agnati in bonis feudalibus tutores esse debeant. Ex eodem fundamento

Infertur 2. Cùm successionis feudalis quandoque etiam illæ personæ fiant capaces, quæ pupillum Principem v. g. consanguinitatè quidem non attingunt, sed vel per simultaneam investituram, aut impetrationem exspectativæ Jus quoddam præ agnatis sibi acquisiverunt, quod in feudis tantum novis fieri assolet, quod & tales simultaneè investiti, aut exspectativæ impetrationem consecuti, casu eveniente, ad tutelæ gestionem admittendi sint. Ex eodem fundamento

Infertur 3. Quia præcipuæ Principum familiæ certa quædam pacta confraternita-

tum Germ. Erb-Verbrüderung / Erb-Vereinigung / inter se confecerunt, inter quæ potissimùm excellit pactum illud celeberrimum Saxo-Hassiaco-Brandeburgicum, primò quidem inter solam Domum Saxonicam & Hassiacam Anno 1373. initum, postea Anno 1587. per accessionem sereniss. Domûs Brandeburgicæ auctum atq; renovatum. vide Arumæum *Disc. 6. ad A. B. Concl. 61.* vi quorum pactorum, deficientibus agnatis unius familiæ, reliquiæ alterius obtinent successionem, quod tali casu eveniente, ut una ex prædictis familiis usque ad unicum successorem masculum, eundemq; impuberem decresceret, tunc tutelæ administratio vi mutuæ illius successionis non ad extraneum aliquem, sive tutorem dativum pertineat, sed ad eos, qui proximi, pupillo mortuo, successores essent extituri. Adde D. à Puhel *de Tutel. Elect. Princip. &c. cap. 5. n. 4. & seq.*

Dixi 2. masculis. Excipitur Mater & Avia, quæ solæ si velint (nam invitæ non coguntur *l. 2. & 3. C. quando mulier tutor. offic. fung.*) ad legitimam liberorum tutelam, exclusis omnibus à latere cognatis, admittuntur *Novell. 118. cap. 5.* modò secundis nuptiis, SCto Vellejano, ac omni legum auxilio renuntient *l. 3. C. quando mulier tut. offic. & Auth. Sacramentum*

tum, Auth. Matri. C. eod. quod itidem in Matribus & Aviis Illustribus obtinet teste Mylero ab Ehrenbach *de Princip. & Stat. Imp. cap.* 29. *n.* 10. D. à Puhel *de Tutel. Elect. Princ. &c. cap.* 5. *n.* 26. *& aliquot seq.* Vitriario *in Inst. Jur. publ. l.* 3. *Tit.* 20. *n.* 20. ibique Pfeffinger *in Annot. lit. D. & E.*

Quær. *An Mater aut Avia Illustris etiam in tutela feudali, præcipuè si sint feuda regalem dignitatem annexam habentia, admittantur?*

Resp. Affirmativè. Ita Blumblacher *de Tutel. cap.* 13. *n.* 10. Vitriarius *d. lib.* 3. *tit.* 20. *n.* 21. *&* 22. ibique Pfeffinger *in Annot. lit. A.* Myler ab Ehrenbach *d. cap.* 29. *n.* 10. D. à Puhel *d. cap.* 5. *n.* 23. Ringler *de Tutel. Person. Illustr. cap.* 1. §. 7.

Patet assertio inde, tum quia affectus in liberos, ob quem Matri & Aviæ in allodialibus tutela defertur per *Novell.* 94. *cap.* 1. in feudis etiam Imperii majoribus idem est, tum quia quotidiana praxis nos ita docet. Sic teste Pfeffinger *in Annotat. ad Vitriar. d. cap.* 20. *n.* 21. *lit. A.* Amalia Elisabetha Wilhelmi Landgravii Hasso-Casellensis uxor, marito Anno 1637. mortuo, Filii Wilhelmi tutelam cum admiratione administravit. Idem de

Margaretha Elisabetha Matre Ludovici Philippi, Wilhelmi Christophori, Georgii Christiani, atq; Friderici, Landgraviorum Hassо-Homburgensium, quorum pater Fridericus Anno 1638. obierat, asserendum. Sic quoque Dorothea, vidua Ludovici Landgravii Hassо-Darmstadiensis Anno 1678. extincti, filiorum modernorum Landgraviorum tutelam ad annum usque 1687. strenuissimè gessit. De singulari prudentia, quâ Christiana Corola Ducissa VVurtenbergica, vidua Georgii Christiani Principis Ostfrisiæ posthumum filium Christianum Eberhardum Anno 1665. 11. Octobris in lucem editum educaverit, testatur Imhoff *in Notit. S. R. I. Procerum lib. 5. cap. 8. §. 11. & 12.* ut sileam exempla complura alia.

Illud tamen hìc notandum, quod etiam Matri vel Aviæ Illustribus Tutricibus ad earum petitionem, aut si hoc non fecerint ex officio à S. Cæsarea Majestate vel Camera Imperiali iisdem unus vel plures contutores, vel Consiliarii tutelares adjungantur, quorum ope ac consilio Illustrium Filiorum personas, eorumque ditiones tantò prudentiùs gubernare valeant. D. à Puhel *d. cap. 5. n.* 30.

Dixi 3 gradu proximis. Si plures sint gradu suppares, admittuntur omnes *l. 9. ff. de Legit. tut.*

tut. Quodsi non expediat, omnes admitti, nam

Segniùs expediunt commissa negotia plures. Judex magis idoneo, vel magis idoneis administrationem committet, periculo tamen omnibus imminente. *Novell.* 118. *cap.* 5.

In Electoratibus sæcularibus, si Regnum Bohemiæ fortè quondam exceperis, proximus agnatus senior Electoris impuberis tutor & postea curator est. *Aur. Bull. cap.* 7. §. 4. Ex ratione, quia & solus agnatus senior commodo successionis perfruitur.

Dixi: si Regnum Bohemiæ forte quondam exceperis. Nam ibi tutelam regiam non proximo agnato seniori, sed Regni Proceribus, quorum duodecim recensetur Imhoff *in Not. S. R. I. Proc. lib.* 2. *cap.* 5. §. 4. Deferendam existimavit Lampadius *de Republ. Romano-Germ. part.* 3. *cap.* 4. *n.* 24. Strauchius *Diss. Ex. Jur. publ.* 4. *th.* 2. Vitriar. *in Inst. Jur. publ. lib.* 3. *Tit.* 12. *n.* 3. Cocceius *in Jur. publ. prud. cap.* 29. *n.* 25. econtrà pro agnato seniore militavit Schuz *in Colleg. Jur. publ. vol.* 1. *Ex.* 7. *th.* 16. *lit. E.* Lymnæus *ad Aur. Bull. cap.* 7. §. 2. *obs.* 40. Schweder *in Introduct. in Jus publ. part. special. sect.* 2. *cap.* 3. *n.* 12. Sed quidquid horũ olim fuerit, hodie cùm sub Ferdinando II. Bohemiæ Status, expunctâ electione, introductâque hæreditariâ successione, penitus

mutatus sit, omninò pro agnato seniore concludendum est, etiamsi Bohemi privilegio speciali quondam gavisi fuerint. Nec deest præjudicium, quandoquidem Leopoldus Imperator tutelam vel potiùs curatelam patrui Leopoldi VVilhelmi, donec Anno 1658. Imperator eligeretur, reverenter habuit. Pfeffinger *in Annotat. ad Vitriar. lib. 3, tit. 11. §. 10. lit. A.*

Quær. I. *Cùm dictum caput 7. Aureæ Bullæ tantùm loquatur de sæculari impubere & minorenne, quid igitur faciendum, si minor 18. annis ad Electoratum Ecclesiasticum elevetur, num & in hoc casu proximus agnatus senior Electoris impuberis vel minoris tutor vel curator erit?*

QUamvis ejusmodi casum nunquam evenisse & fortassis etiam nunquam eventurum asseruerit D. à Puhel *de Tutel. Elect. Princ. &c cap 7. n. 4. & 5* Contigit tamen Anno 1688. Dum Josephus Clemens Dux Bavariæ jam tum Episcopus Frisingensis & Ratisbonensis, accepto à sede Apostolica Brevi eligibilitatis, annum ætatis decimum septimum agens Elector Colonien sis renuntiatus fuit. Simili proinde casu, *Resp.* Quod non proximus agnatus

natus senior Ipsi Electori minorenni ut curator, sed alius, si opus fuerit, idoneus ex capitulo Coadjutor adjungi debeat, idq; tum *arg. cap. 2. de atat. & qualit. ordin. &c.* ac *arg. cap. 27. de Offic. & potest deleg.* tum quia hìc defiet successio hæreditaria, in qua tamen unicè tutela hæc legitima radicatur. Tum quia quis Episcopus factus à patria potestate liberatur. *Novell. 81. cap. 3. Novell. 113. cap. 4.* ergo à potiori ratione Archi-Episcopi Electores minores à tutela & cura exempti erunt, licet antea iisdem fuerint obnoxij. Adde D. à Puhel *sæpius laudato Tr. cap. 3. n. 7. & cap. 7. n. 5.* Ringler *d. Tr. cap. 1. §. ult.*

Quær. II. *An sicut in Electoratibus sæcularibus solus agnatus senior tutor & curator est ob spem succedendi, idem obtineat in aliis Ducatibus, Principatibus, Comitatibus &c.*

R*Esp.* Quamvis Jus feudale prohibeat, ne feuda præcipuè majora dividantur per textum *in §. Præterea. 2. Feud. 55.* quod hisce versiculis expressit Guntherus *in Ligurin. lib. 8.*

Marchia seu Comitis possessio, sive Ducatus
Integra permaneant: Feudalia cætera multis
Participanda patent.

Hæc Juris Civilis disposítio tamen in principatibus Germaniæ non semper & ubique observatur, sed in quibusdam omnes agnati masculi (uti manifestum exemplum nobis præbet Serenissima Domus Saxonica) juxta Principia Juris Civilis Jus habent succedendi, ad tutelæ proinde gestionem etiam gradu suppares admittuntur; in illis Familiis verò, in quibus viget Jus primogenituræ, nisi certus circa tutelæ administrationem modus per pacta familiæ determinatus sit, ex identitate rationis à Tutela Electorali deductæ solum quoq; agnatum seniorem proximum tutelæ gerendæ obnoxium arbitramur.

Dixi 4. Majorennibus.

Quæritur: *Quid Juris, si proximus agnatus vel cognatus adhuc minorennis sit?*

R*Esp.* Si notabili quodam tempore ante pubertatem pupilli proximus consanguineus majorennis evasurus sit, Magistratus interim tutorem dabit *l.* 10. §. 7. *ff. de Excusat. tut.* Secùs, consanguineus proximè sequens admittetur Haunold *de J. & J. Tr.* 4. *cap.* 4. *Contr.* 3. *n.* 244. D.D. Braun *ad lib.* 26. *ff. Tit. de Legit. tut. th.* 19. & hæc quidem vera sunt in tutelis privatorum; in tutelis verò Prin-

Principum consultius putem cum D. à Puhel *de Tutel. Elect. & Princ. cap. 5. n. 17.* Si indistinctè agnatus proximè subsequens præferatur extraneo, ne huic copia præbeatur in secreta Serenissimæ Domûs alicujus inquirendi, eademque in maximum ipsius detrimentum usurpandi.

Objectum tutelæ legitimæ sunt agnati, hodie etiam cognati impuberes, carentes tutore testamentario, vel quia nullus datus est; vel quia is, qui datus est, vivo testatore decessit; vel supervixit quidem, sed mortuus est ante cœptam tutelam, vel ante pubertatem, & denique toties, quoties testamentaria finitur ipso jure. §. 2. *Inst. h. t. l. 6. ff. eod. l.* 11. §. 3. *ff. de testam. tutel.* Secùs si cesset facto hominis, puta excusatione, vel suspecti remotione *d. l.* 11. §. 1. & 2. *ff. de Testam. tutel.* disparitatem dat Vinnius *ad* §. 2. *Inst. h. t.*

Forma tutelæ legitimæ stat in differentia specifica, per quam distinguitur à reliquis tutelis. Desumitur autem differentia hæc ab eo, quod hìc tutor detur à sola lege, detur proximis agnatis, hodie etiam cognatis impuberibus tutore testamentario carentibus, dentur denique proximi agnati, hodie etiam cognati.

Effectus tutelæ legitimæ coincidit ferè cum effectu tutelæ in genere.

Con-

Contraria tutelæ legitimæ sunt modi & causæ, quibus cessat. Cessat autem vel ex causis communibus, de quibus suprà, vel propriis.

Causa propria prima est, si mater vel Avia tutrix decurrat ad secundas nuptias, quo casu ipso jure privantur tutelâ liberorum, *Novell.* 94. *cap.* 2. Ex ratione, quia constat experientiâ, quod uxores secundò nubentes maritorum blanditiis expugnatæ sæpiùs neglectâ liberorum suorum curâ omnem amorem & affectionem secundis maritis dedicent consecrentque.

Causa propria secunda est minima capitis diminutio, quia per eam agnatio, velut basis tutelæ legitimæ tollitur §. *ult. Inst. h. t.* Id quod tamen hodie immutatum, sublatâ hoc in passu differentiâ cognatos inter & agnatos. *Novell.* 118. *cap.* 5.

§. II.

De legitima patronorum tutela.

LEgitima patronorum tutela est, quæ ex mente legis 12. tabb. defertur patronis, eorumque liberis in libertos libertasque impuberes *t. t. Inst. de legit agnat. tut.* Ex ratione, quia ad exemplum agnatorum & cognatorum, patroni succedunt libertis, adeoque & eorum tutores existere debent.

Ho-

Hodiernis moribus, cùm non ampliùs dentur servi, consequenter nec liberti, & patroni, ideoque & legitima patronorum tutela cesset, oportet. Volunt tamen Doctores, quod adhuc hodie adinstar patroni, qui tutor legitimus erat libertorum ante pubertatem manumissorum, Dominus feudi sit tutor legitimus vasalli patre ante pubertatem orbati, si nullos habeat agnatos, quia deficientibus agnatis Dominus feudi, ut patronus in bona libertorum, succedit. Strickius *in Exam. Jur. feudal. cap. 7. quæst.* 21. Hoppius *in Vsu hodierno §. un. Inst. de legit. patron. tut.* Sciendum tamen 1. quod tutela hæc tantùm quoad bona feudalia Domino feudi incumbat, non etiam quoad allodialia, quia in hæc nulla ipsi competit successio; In his ergo vel cognati tutores erunt, vel his deficientibus tutor ab ordinario magistratu constitutus. Strickius & Hoppius *dd. ll.* Sciendum 2. hoc tantùm procedere in feudis minoribus, quæ immediatè ab Electore vel Principe dependent, non etiam in majoribus, sive regalibus, quæ immediatè ab Imperatore recognoscuntur, in his enim, teste experientiâ, supremus Dominus feudi nullam in se recipit tutelam, sed ob gravissimas curas & solicitudines, quibus sacra Cæsarea Majestas occupata est, ean-

eandem aliis demandare cogitur. D. à Puhel *d. Tr. cap. 6. n. 4.* Ringler *d. Tr. cap. 6. §. 3. circa finem.*

§. III.

De legitima parentum tutela.

LEgitima parentum tutela est, quæ ad exemplum tutelæ legitimæ patronorum defertur parentibus in liberos impuberes emãcipatos *t. t. Inst. de legit. parent. tut.*

Quid circa legitimam parentum tutelam, quæ in patria nostra frequentissima est, statutum sit, fusè exponit die Kayserl. Land-Gerichts-Ord. *part. 3. Tit. 4. §. 2. & multis seq.*

§. IV.

De fiduciaria tutela.

FIduciaria tutela est, quæ defertur patri in filium impuberem ab avo emancipatum. Fratri in fratrem ab avo emancipatum. Et denique patruo in patruelem à fratre emancipatum *t. t. Inst. de Fiduc. tutel.*

SEC-

SECTIO III.

De *Tutela dativa.*

§. I.

De Definitione Tutelæ dativæ.

TErtia & ultima tutelæ ſpecies, quæ deficiente teſtamentariâ & legitimâ ſubintrat, dativa eſt.

Definitur hæc tutela, quod ſit ea, quam Magiſtratus tutore teſtamentario & legitimo deficiente defert.

§. II.

De Cauſa efficiente tutelæ dativæ.

CAuſa efficiens hujus tutelæ de Jure Civili eſt Magiſtratus, cui jus dandi tutorē nominatim à lege, SCto, vel Principe datum fuit *l. 6. §. 2. ff. de Tutel. §. 4. & 5. Inſt. eod.* Hodie fere omnes Magiſtratus, etiam qui inferiorem ſive baſſam jurisdictioni habent, vi jurisdictionis ſuæ tutores dare poſſunt, & quidem ſi nemo ſit, qui petat tutores, Magiſtratus ex officio eos conſtituere tenentur *Ordinat. polit. de anno 1548. Tit. 31. & 1577. Tit. 32.* ibi;

ibi: Erstlich hiemit aufferleget Harprecht *ad §. 4. n. 2. & 6. Inst. de Attil. tut.* D. ab Andl. *in Jurisprud. quà publ. quà privat. lib. 2 Tit. 1. n.* 31. Schulzen *ad §. 5. Inst. de Attil. tut.* Struvius *in Syntagm Jur. Civil. Ex.* 31. *th.* 29. Theophilus Majer *ad §. 3. 4. & 5. Inst. de Attil. tut.*

Jure Franconico circa causam efficientem tutelæ dativæ *part. 3. tit. 8. in princ.* hæc statuta sunt: Setzen / ordnen / und wollen wir / daß in unser Statt Würtzburg die Auffnahm und Bestättigung der Tutorn und Curatorn biß wir dahero also auch ins künfftig alle wegen von unsern Landrichter geschehen solle §. 2. ausserhalb gemelder Unser Statt Würtzburg aber / solle solches unsern Jeder Orths habenden Beambten / mit Rath und Zuthun Schultheisen / Burgermeister / Raths oder Gerichts deß Orths / da die Gütter gelegen / biß auff 500. Gulden Vermögens ohngefährlich angeschlagen zugelassen seyn. §. 3. Wo aber die Pflegschafft solche Summa übertreffe / und höher wäre / auf solchen Fall solle die Datio, und Confirmatio der Tutorn, und Curatorn allhier vor unserm Landgericht geschehen. Und da ein solche hohe Vormundschafft / für sie die Beambte / gebracht würde / sollen dieselbige mit Benennung etlicher

dar-

darzu tauglichen Personen hiehero an Unser Land-Gericht weisen.

Quær. *Quis Magistratus Personis Illustribus det tutorem?*

R *Esp.* Si sunt Imperatori & Imperio immediatè subjecti, tum Consilium Aulicum Viennense, vel Camera Imperialis D. à Puhel *de Tutel. Elect. Princ. &c. cap. 6. n. 1.* D. ab Andler *in Jurisprudentia quà publ. quà privat. lib. 2. Tit. 1.* Maulius *de tutel. cap. 11. pag. 148.* Ludolphus Hugo *de Statu Region. German. cap. 6 §. 13.* Ringler *de Tutel. Person. Illustr. cap. 6. §. 1.* Et hoc ideo quia competens eorum Judex est Camera Imperialis, vel Aula Imperatoris. Si verò sunt Illustres mediati, ut passim sunt Comites & Barones in Bavaria, Saxonia, Austria &c. Dicasterium illius Electoris, aut Principis, quibus hæ personæ immediatè subsunt, tutores dabit. Maulius *d. cap. 11. pag. 152.* Ringler *d. cap. 6. §. 1.*

Nobilibus immediatis Franconiæ præter Imperatorem & Cameram etiam cujusque Equestris loci Capitaneus unà cum Consiliariis per modum commissionis perpetuæ tutores & curatores constituit per speciale à Leopoldo Anno 1688. concessum Privilegium. Datus tamen tutor vel curator ab Imperatore vel Camera confirmari debet.

§. III.

De Subjecto tutelæ dativæ.

SUbjectum tutelæ dativæ duplex est, activum & passivum.

Subjectum tutelæ dativæ activum sunt ij, qui possunt dari tutores à Magistratu. Possunt autem dari omnes, modò 1. à parentibus non sint dari prohibiti *l.* 21. §. 2. *ff. de Tutor. & Curator.* modò 2. Seipsos non ingerant, aut pretio tutelam mercari studeant. *d. l.* 21. § *fin.* modò 3. Jurisdictioni dantis subjecti sint *l.* 1. § 2. & 3. *ff. eod. arg. l. ult. ff. de Jurisdictione.*

Quær. *Quid si non reperiatur tutor idoneus sub Jurisdictione dantis?*

RESP. Tum potest Judex pupilli in alieno districtu idoneum virum eligere, electiq: Judicem literis reversalibus requirere, ut pupillo electum tutorem constituat. *l.* 24. *ff. de tut. & curat.* Theophilus Major *in Comment. Inst. de Attil. tut.* §. 3. 4. & 5. D. D. Franz *in Prodrom. Just. tit. eod.* §. 3. *in fine.*

Subjectum passivum tutelæ dativæ est pupillus carens tutore testamentario & legitimo.

§. IV.

§. IV.

De Forma tutelæ dativæ.

FOrma hujus tutelæ stat in differentia specifica ab aliis tutelis, quæ in eo sita, quod hic tutor à Magistratu in defectu tutoris testamentarii & legitimi constituatur.

§. V.

De Effectu & Contrariis tutelæ dativæ.

EFfectus & Contraria hujus tutelæ coincidunt cum effectu & contrariis tutelæ in genere.

DISSERTATIO XII.

De CURATELA.

§. I.

De Definitione Curatelæ.

TUtelam excipit Curatela, quæ definitur, quod sit vis ac potestas in capite libero ad administranda bona ejus, qui ob corporis vel animi vitium ea omninò non aut saltem non bene administrare potest.

§. II.

De Divisione Curatelæ.

DIviditur Curatela in ordinariam & extraordinariam.

Ordinaria est, quando masculi puberes, & fœminæ Viripotentes; extraordinaria, quando pupilli vel majorennes curatoribus subijciuntur.

Dividitur 2. in legitimam & dativam. Legitima est, quæ à lege 12. tabb. defertur proximis agnatis in majorennes, furiosos & prodigos §. 3. *Inst. h. t.* hodie etiam cognatis *Novell.* 118. *cap.* 5. dativa, quæ deficiente legitima à Magistratu constituitur.

§. III.

De Causa efficiente curatelæ.

CAusa efficiens curatelæ duplex est remota & proxima.

Causa efficiens remota curatelæ eadem est, quæ tutelæ.

Causa efficiens proxima est lex & Magistratus.

Lex legitimæ; Magistratus dativæ: Et quidem ab eodem Magistratu curatores, à quo tutores, constituuntur.

Quæri

Q. *An testator etiam in testamento curatorem dare possit?*

Resp. Negativè per §. 1. *Inst. de Curat. l. 7. C. de Testam. tut.* Ratio est, quia illa, quæ scribuntur in testamento, non possunt pendere ex alieno arbitrio *l. 32. ff. de hæred. Instit.* sed curatela data in testamento penderet ab arbitrio adolescentis, cui liberum est, num tutorem recipere velit, nec ne §. 2. *Inst. h. t.* Ergo.

Hodie Minorennibus etiam testamento curator dari potest Schnizen *in Synopsi Instit. h. t. lit. B.* Hoppius *in Usu hodierno* §. 1. *Instit. eod.* Theophilus Majer *in Comment. Inst. h. t.* §. 2. quia nunc etiam adolescentibus invitis curatores dantur per tradenda inferiùs.

§. IV.
De Subjecto Curatelæ.

Subjectum curatelæ duplex est activum & passivum.

Subjectum curatelæ activum est curator. Possunt autem curatores esse regulariter omnes, qui tutores.

Subjectum passivum curatelæ ordinariæ sunt masculi puberes & fœminæ viri potentes, necdum tamen majorennes, hi enim licet jam puberes sint, nondum tamen eorum

judicium ita maturuit, ut negotia sua commodè tueri possint. *pr. Inst. h. t.* Sed tamen nonnisi volentes accipiunt, invitis enim regulariter curator nō datur §. 2. *Inst. eod.* Ratio est, quia iniquum visum fuit, hominibus liberis, & jam puberibus non esse liberam rerum suarum administrationem. *l. 2. ff. si à parent. quis manumiss. sit.*

Dixi regulariter. Excipitur 1. Si minor litiget §. 2 *Inst. h. t.* Excipitur 2. Si, qui tutor fuit, rationes administrationis suæ reddere velit. *l. 7. C. qui pet tut. vel curat.* Excipitur 3. Si debitor minoris ei velit, aut cogatur solvere. *l. 7. §. 2. ff. de minor.* His enim casibus etiam invitis minoribus curator obtruditur.

Verùm cùm minoris consilium fragile sit & infirmum, multisque captionibus expositum per *l. 1. ff. de minor.* Ipseque etiam, describente Horatio, esse soleat

Vtilium tardus provisor, prodigus æris

Hinc prudentissimè constitutum est per *Reformat. polit. de anno 1577. Tit. 32. §. 1.* hisce verbis: So wollen wir ꝛc. daß denen Pupillen und minderjährigen Kindern jederzeit / biß sie zu ihren vogtbahren Jahren kommen / Vormunder und Vorsteher gegeben werden. Struvius *in Syntagm. Jur. Civil. Ex. 31. th. 7.* & *in Jurispr. Romano-German. forens. h. t. §. 3.* Hoppius *in Vsu hod. §. 2. Inst. eod.*

Sub-

Subjectum passivum curatelæ extraordinariæ sunt furiosi, mente capti, muti & surdi, prodigi juridicè tales, perpetuò valetudinarii, & uniuersim omnes, qui rebus suis præesse non possunt. §. 3. & 4. *Inst. h. t.* quin & pupilli subinde curatores recipiunt, si scilicet tutor eorum sit inidoneus ad administrationem v.g. ob senium, ægritudinem &c. §. 5. *Inst. h. t.*

§. V.

De Forma Curatelæ.

FOrma Curatelæ stat in differentia specifica, quâ curatela distinguitur à tutela, in quo autem distinguatur, diximus alibi.

§. VI.

De Effectu Curatelæ.

EFfectus curatelæ ferè coincidit cum effectu tutelæ superiùs explicato.

§. ultimus.

De Contrariis Curatelæ.

COntraria Curatelæ sunt modi, quibus cessat curatela. Cessat autem vel ex causis communibus cum tutela, de quibus supra; vel ex causis propriis.

Ex causis propriis curatela ordinaria duobus modis finitur & quidem

Primò finitur majorennitate, quæ inspecto Jure Civili anno ætatis 25. completo evenit *l. 1 §. 2. ff. de minor.*

In Electoribus sæcularibus ex speciali A. B. privilegio anno 18. majorennitas contingit. *A. B. cap. 7 § 4.*

Q. I. *An idem obtineat in aliis Principibus, ac Statibus Imperii?*

R*Esp.* Negativè, sed hi utuntur Jure communi, nisi speciali privilegio hac in re muniti sint. Cùm enim *A. B. d. cap. 7. §. 4.* tantùm Electores 18. Anno ætatis ad votum & Sessionem Electoralem idoneos asserat, ac proinde tanquam odiosa, quia Juris communis correctoria, ad reliquos Imperii Principes extendi neutiquam potest. Arum. *ad Aur. Bull Discurs. 4. Conclus. 15.* Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Stat. Imp. cap. 29. n. 5.* Strickius *in Vsu mod. ff. tit. de Min. §. 3.* Ringler *de Tutel. Person. Illustr. cap. 1. §. 9.*

Dixi nisi privilegio speciali hac in re muniti sint, uti sunt Archi-Duces Austriæ, Duces Pomeraniæ (Hos hodie Rex Sueciæ, & Borussiæ repræsentant) Duces Brunsuicenses, Luneburgenses, Principes Anhaltini, Landgravii Hasso-Darmstadiani, Comites ab Ortenburg, Comites Mansfeldiæ &c. Hi omnes ex singulari privilegio Imperatorum eodem

dem ætatis termino cum Electoribus majorennes efficiuntur, adeoque insimul cum illis à cura liberantur. Confer. Lymn. *ad A. B. cap. 7. §. 2. obs. 25.* Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Stat. Imp. d. cap. 29. n. 6.* Rhetius *in Inst. Jur. publ. lib. 1. Tit. 23. §. 3.* Strickius *dict. tit. de Minor. §. 3.*

Q. II. *Sufficiatne, quod Elector minorennis annum 18. inceperit, an verò complèsse necesse sit.*

COntroversia hæc graviter agitata fuit anno 1592. cùm Richardus Comes Palatinus Simmerensis, post fata Joannis Casimiri Administratoris, curatelam Friderici IV. Electoris Palatini ad se trahere conaretur, cũ tamen Principi huic nonnisi 59. dies ad majorennitatem usque deessent. Vitriarius *in Inst. Jur. publ. lib. 3. tit. 11. §. 6.* ibique Pfeffinger *in Annot. lit. A.*

Resp. Annum 18. debere esse completum. Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. cap. 3. Sect. 1. n. 34. & 35.* Bechmann *ad A. B. Tit. 7. Ex. 5. §. 38.* Rhetius *in Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 23. §. 3.*

Prob. per *A. B. cap. 7. §. 4.* ibi: So solle der älteste Bruder deß abgestorbenen Sohns Verweser/ und Vertretter seyn/ also lang biß der ältere Bruder under jhnen seine vollkommene Jahr erreichet/ die bey einen Churfürsten auff 18. *NB.* ganter Jahr sich erstrecken

ſollen. Idipſum clarè reddit textus latinus, ait enim: *quam* (ætatem ſcilicet) *in Principe Electore decem & octo annos NB. completos cenſeri volumus.*

Q. III. *An definitus curatelæ Electoris diſſolvendæ terminus à Patre Electore per teſtamentum reſtringi vel extendi queat?*

R*eſp.* Negativè. Ita D. à Puhel *de Tutel. Elect. & Princip. cap.* 11. *n* 88. *&* 89. Thulemarius *de Octoviratu cap.* 27. §. 9. Vitriarius *in Inſt. Jur. publ. lib.* 3. *tit.* 11. *n.* 7. ibiq; Pfeffinger *in Annot.* & hoc ex ea ratione, quia nemo poteſt impedire, quominùs leges in ſuo teſtamento vires obtineant, ſicut igitur privatis neutiquã permiſſum eſt in teſtamentis ſuis exſpirantis minorenitatis terminum in *l.* 1. §. 2. *ff. de Min.* præſcriptum propriâ authoritate immutare; ita nec Electoribus conceſſum eſt, tempus evenientis majorennitatis in *A. B. d. cap.* 7. §. 4. definitum pro ſuo arbitrio abbreviare, vel prorogare, cùm ſicut privati privatis, ita Electores aliiq; Imperii Principes publicis Imperii legibus obſtricti ſint.

Q. IV. *An elapſis* 18. *annis præter jus expediendi functiones Electorales etiam adminiſtratio Electoratuum, Ducatuum, Principatuum Comitatuum Electoribus concedenda ſit?*

C*O*lliſit hæc quæſtio anno 1592. ruſſus Richar-

chardum Comitem Palatinum, & Friderici IV. Electorem Palatinum. Richardus administrationem ditionum Electoralium usq; ad annum 25. Fridericii IV. sibi relinquendam acriter urgebat, etiam publicis scriptis eo fine editis, cui fortiter restitit Fridericus IV. & interim ferventé controversiâ proprias ditiones gubernavit.

Ego à partibus Richardi milito, ac defendo, non esse administrationem Electoratûs, aliarumque ditionum ante annum 25. completum Electori concedendam. Moveor per *A. B. cap. 7. §. 4.* ubi tantùm fit mentio resignationis quoad jus, vocem & potestatem eligendi Regem Romanorũ, de administratione Electoratûs autem, cœterarumq; provinciarum altum est silentium. Manet igitur quoad hanc Jus Civile privatum in suo antiquo vigore, quod enim non mutatum, cur stare prohibeatur? *l. ult. C. de Jur. delib.* Confirmatur clarissimè ex *Bulla Sigismundi* §. 7. cujus verba jam supra recitata nunc repetimus, quæ talia sunt: *ætatem debitam in casu NB. eligendi* (videlicet Regem Romanorum) *18. annorum censeri volumus. In Principatibus autem NB. Ducatibus &c. ætatem observandam decernimus, prout à Divis Imperatoribus est sancitum.* Confer Cocceium *in Juris publici prudentia cap. 29. §. 17. & seq.* D. D. V Voller *in quæst. select. ex uni-*

univers. Jur. de anno 1698. *quæst.* 6. *sect.* 2. *n.* 22.

Finitur 2. Curatela ordinaria impetratâ veniâ ætatis.

Q. I. *Quid sit venia ætatis?*

R *Esp.* Venia ætatis, Germanicè die Jahr-Gebung/ est privilegium, quo Princeps Jus legitimæ ætatis tribuit, ita ut impetrans tanquam major agere, resq; suas ipse absque curatore liberè administrare possit.

Q. II. *Quisnam possit concedere veniam ætatis?*

R *Esp.* In Imperio Romano-Germanico indubitanter omnibus subditis tam immediatis, quàm mediatis ætatis veniam concedere potest Imperator, & quidem hujus veniæ concessio, quæ fit Personis Imperii Illustribus Immediatis ad capiendam Ducatuũ, Comitatuum &c. suorum administrationem ita propria est Imperialis culminis, ut reservatis Imperatoris annumeretur, nec Camera Imperialis in hoc negotio sese intromittere possit. Finckelthaus *Diss. de ven. ætat. cap.* 2. *Concl.* 5. Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. cap.* 29. *n.* 7. *& cap.* 57. *n.* 2. Schweder *in Introduct. in Jus publ. part Special. sect.* 1. *cap.* 15. *n.* 2 *&* 3. Pfeffinger *in Annot. ad Vitriarium lib.* 3. *Tit.* 2. *n.* 20. *lit. A.* Aliis autem inferioribus sibi subjectis, quin Electores cœteriq; Imperii Principes eandem quoque virtute superio-

rioritatis territorialis eo cum effectu, ut in territoriis ipsorum pro majoribus habeantur, indulgere queant, nos non dubitare sinit quotidiana praxis. vide Myler in *Ætolog. cap. 2. per tot. & de Princ. & Stat. Imp. d. cap. 57. n. 2.* Finckelthaus *Diss. de Ven. ætat. cap. 2. concl. 4.*

Q. III. *Quænam sint requisita ad veniam ætatis legitimè petendam, & impetrandam?*

R*Esp.* Sequentia. 1. ut ea petatur à Principali Clementia. 2. ut masculus eam petiturus vicesimi; fœmella decimi octavi anni metas adimpleverit. 3. ut petituros morum honestas, animi probitas, & rerum utiliter gerendarum idoneitas commendet. 4. ut hæc omnia in libello supplici allegentur, & Principi à masculo ipsomet; à fœmella per procuratorem etiam offerantur. 5. postquam literas concessæ veniæ à Principe impetravit, eas Judici inferiori ordinario insinuare, ac à se allegata requisita ipsemet rursus in persona vel scripturâ vel per 5. testes edocere debet; fœmella tamen nonnisi annorum numerum probare necesse habet, idq; iterum per procuratorem peragere potest. 6. denique hisce omnibus expeditis, sententia declaratoria, quâ minor à Judice pro majori declaretur, eiq; bonorum suorum administratio decernatur, subsequatur. Confer præter *t. t. C. de*

C. de his, qui veniam ætat. impetr. Myler ab Ehrenbach *in Ætolog. cap. 4. & 5. per tot.* Finckelthaus *de ven. ætat. cap. 4. concl. 12. & seq.*

Q. IV. *An Imperator* (idem quæsieris de Statibus Imperii) *ad observationem l. 2. C. de his, qui veniam ætat. impetr. adstrictus sit, nec aliter masculo vel fœminæ ætatis privilegium concedere valeat, nisi adimpleto anno vigesimo, vel decimo octavo?*

R. *Esp.* Negativè. Ita Myler ab Ehrenbach *in Ætolog. cap. 4. n. 7.* Vitriarius *in Inst. Jur. publ. lib. 3. tit. 2. n. 22.* ibiq; Pfeffinger *in Annot. lit. A.*

Prob. indubitati juris est, quod definitio vicesimi, & decimi octavi anni ad impetrandam ætatis indulgentiam, ac bonorum suorum administrationem sit merè Juris positivi, cùm à liberrimo Imperatoris arbitrio processerit, ea proinde etiam per ejusdem (uti & Principum aliorum) contrariam voluntatem mutari, metæq; præstituti temporis relaxari possunt, uti sæpius jam, teste historiâ, factum. Sic, ut sileamus exempla plurima, quæ refert Myler ab Ehrenbach in *Ætolog. cap. 1. n. 3.* Augustissimus Leopoldus anno 1692. Friderico wilhelmo Duci Megapolitano-Suerinensi annum ætatis 17. & anno 1693. Ebererhardo Ludovico Duci Wurtenburgico pariter annum

num ætatis 17. nec non anno 1694. Georgio Friderico Marchioni Onoldino, qui nuperrimè in turbis Gallico-Bavaricis, dum strenuè pro Imperatore & Imperij Salute decertavit, globo trajectus, genero sè obijt, annum ætatis 16. acnovissimè rursus anno 1703. die 5. Maij Wilhelmo Friderico prædicti Georgii Friderici fratri Germano, moderno Marchioni Brandenburgico Onoldino annum ætatis 18. agentibus ætatis indulgentias clementissimè concessit, Confer præter Imhoff *in Not, S. R. I. Procer. in genealogia horum Principum*, Pfeffinger *ad Vitriar. lib* 3. *tit.* 2. *n.* 20. *lit. A.*

Q. V. *Quis sit effectus impetratæ veniæ?*

Resp. Effectus impetratæ veniæ potissimũ sequentes sunt. 1. quod minor impetratâ ætatis veniâ habeatur pro majoreñi, acà curatoris potestate liberetur. prius tamen non indistinctè in omnibus procedit, sed fallit 1. in causis testamentariis, ubi, si cui legatum fuerit relictum, cùm perfectæ sit ætatis, illud major ex privilegio sub commento impetratæ ætatis veniæ capere non potest, sed tum demùm, cùm 25. ætatis annum accipiet. *l. fin. C. de his, qui veniam ætatis impetr.* fallit 2. in legibus ac statutis pœnalibus v. g. in *l.* 41. *C de transact.* fallit 3. in officiis publicis. Myler ab Ehrenbach *in Ætolog. cap.* 7. §. 7. *& seq* Finckelthaus *de Venia ætat: cap.* 5. *conclus.* 15. *& seq.*

Se-

Secundus effectus est, quod talis impetrans liberam rerum suarum administrationem consequatur.

Tertius effectus est, quod impetrans de bonis suis mobilibus, ut major pro lubitu disponere possit, non æq; verò de immobilibus, ut quæ absq; decreto Magistratûs nec alienare, nec hypothecæ supponere valet *l. 3. C. de his, qui ven. ætat. impetr.*

Quartus effectus est, quod impetrans in illis, quæ post veniam ætatis impetratam peregit, non amplius in integrum restituatur, ne contrahentes principali authoritate circumscripti videantur l. 1. *C. de his, qui veniâ ætat. impetr.* Myler ab Ehrenbach *in Ætolog. cap. 8. n. 2. & seq. & de Princip & Stat. Imp. cap. 57. n. 9.* Finckelthaus *de Venia ætat. cap. 5. concl. 21.* Vitriarius *in Inst. Jur. publ. lib. 3. tit. 2. n 25.* Schweder *in introduct. in Jus publ. part: special. sect. 1. cap. 15. n. 6.* bene verò impetrans contra ipsam impetrationem restitui potest Myler ab Ehrenbach *in Ætolog. cap. ult. n. pen.* Vitriarius *d. lib. 3. tit. 2. n. 25.* Schweder *d. sect. 1. cap. 15. n. 6.*

Curatelam extraordinariam quod concernit, tum, si furiosus ad sanam mentem redierit; mente captus intellectum sobrium recuperaverit, prodigus homo frugi rursus esse cœperit, in aliis vitia vel defectus, ob quæ curator datus est, cessaverint, contingit quoque extraordinariæ hujus curatelæ

FINIS.

217.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866231498/phys_0535
DFG

m Electoribus majo-
bque insimul cum illis
fer. Lymn. *ad A. B.*
yler ab Ehrenbach *de*
ap. 29. n. 6. Rhetius
it. 23. §. 3. Strickius

d Elector minorennis
verò complêsse necesse sit.
aviter agitata fuit an-
hardus Comes Palati-
t fata Joannis Casimi-
ratelam Friderici IV.
trahere conaretur, eũ
nnisi 59. dies ad majo-
lent. Vitriarius *in Inst.*
6. ibique Pfeffinger *in*

bere esse completum.
Germ. cap. 3. Sect. 1. n.
d A. B. Tit. 7. Ex. 5. §. 38.
bl. lib. 1. tit. 23. §. 3.
p. 7. §. 4. ibi: So solle
abgestorbenen Sohns
etter seyn/ also lang biß
er jhnen seine vollkom-
die bey einen Churfür-
er Jahr sich erstrecken

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 033
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866231498/phys_0537
DFG